


BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO EBORENSE
37
16 B
20

BIBLIOTHECA MANUALIS ECCLESIÆ PATRUM

COMPLECTENS

Illorum vitæ, & gestorum breviarium : Operum Synopsim : Illustriora testimonia Dogmata, Mores, Disciplinam spectantia, & selecta Vitæ spiritualis documenta.

OPUS

GALLICE EDITUM

A D. PETRO JOSEPHO TRICALETIO


PRESBYTERO, ET DOCTORE IN UNIVERSITATE VESONTIENSI,

LATIO DONATUM

NOTISQUE BREVIORIBUS ILLUSTRATUM

AB EUDOXIO PHILENIO S.T. PROFESSORE.

TOMUS SEPTIMUS.





BASSANI, MDCCLXXXIII.

SED PROSTANT

VENETIIS APUD REMONDINI.

Superiorum Permissu, ac Privilegio.

IN HOC SEPTIMO TOMO SEQUENTES CONTINENTUR ECCLESIÆ PATRES

S. Gregorius Magnus. pag. 1

S. Joannes Damascenus. 305



TABULA

CAPITUM, ARTICULORUM, ET SUMMARIORUM HUJUS SEPTIMI VOLUMINIS.

CAPUT XXVII.

S. Gregorius Magnus Papa, & Ecclesiæ Doctor.

ARTICULUS I.

Vitæ S. Gregorii Magni Papæ Breviarium. pag. 1.

S. Gregorii ortus. ibid.
Prætor Romæ constituitur. 2
Monasticam vitam amplectitur. ibid.
Anglorum conversionem sollicitat. 3
Diaconus eligitur. ibid.
Constantinopolim Nuntius mittitur. 4
Abbas eligitur. ibid.
Pelagii adjutor in scribendis epistolis. ibid.
Pontifex eligitur anno 590. 5
Ejus sollicitudo erga alias Ecclesias. 6
Curæ S. Pontificis. 7
Secessum quærit. ibid.
Joannis Patriarchæ Constantinopolitani fastum arguit. ibid.
Missionarios in Angliam mittit. 8
S. Gregorius ægrotat. 10
De instaurandis Basilicis cogitat. ibid.
Moritur. ibid.

ARTICULUS II.

Præcipuorum S. Gregorii Operum Analysis. 13

Præfatio generalis. 14
Liber 2. Edit. Venet. p. 40. Edit. Paris. p. 37. 15
Pars Secunda. Liber sextus. 19
Liber septimus. 21

Li-

Liber octavus. 23
Liber nonus. 25
Liber decimus. 29
Pars Tertia Moralium. 31
Liber undecimus. 32
Liber duodecimus. 34
Liber decimus tertius. 36
Liber decimus quartus. 38
Liber decimus quintus. 41
Liber decimus sextus. 43
Liber decimus septimus. 46
Liber decimus octavus. 47
Liber decimus nonus. 50
Liber vigesimus. 52
Liber vigesimus primus. 55
Liber vigesimus secundus. 57
Pars quarta Moralium. 59
Liber vigesimus quartus. 60
Liber vigesimus quintus. 61
Liber vigesimus sextus. 63
Liber vigesimus septimus. 65
Moralium Pars sexta & ultima. Liber vigesimus octavus. 67
Liber vigesimus nonus. 69
Liber trigesimus. 71
Liber trigesimus primus. 73
Liber trigesimus secundus. 76
Liber trigesimus tertius. 78
Liber trigesimus quartus. 81
Liber trigesimus quintus. 84
Regula Pastoralis Opus exaratum quanto in pretio habitum. 86
Primæ partis analysis. 87
Analysis secundæ partis. 91
Tertiæ partis Analysis. 94
Quomodo admonendi viri & fœminæ, juvenes & senes. 95
Quomodo inopes, & divites. ibid.
Læti & tristes. ibid.
Subditi & Præsules. ibid.
Servi & Domini. 96
Sapientes & hebetes. ibid.
Impudentes & verecundi. ibid.
Protervi & pusillanimes. ibid.
Impatientes & patientes. ibid.
Benevoli & invidi. 97
Simplices & versipelles. ibid.
Incolumes & ægri. ibid.
Flagella metuentes, & contemnentes. 98
Taciturni & verbosi. ibid.

Pigri & præcipites. 99
Mansueti & iracundi. 100
Humiles & elati. ibid.
Pertinaces & inconstantes. 101
Intemperantes & abstinentes. ibid.
Liberales & avari. ibid.
Tenaces & fures. 102
Discordes & pacati. ibid.
Jurgantes & pacifici. ibid.
Rudes & docti. 103
Qui officium prædicationis detrectant & qui occupant. ibid.
Prosperati & infelices. ibid.
Conjugati & cœlibes. 104
Carnis conscii, & ignari. 105
Qui opere peccarunt & qui sola cogitatione. ibid.
Qui a peccatis quæ deflent, non abstinent, & qui abstinent, sed non deflent. 106
Qui illicita quæ faciunt, laudant. ibid.
Qui peccata fatentur, nec tamen cavent. ibid.
Qui subito motu & qui consulto peccant. ibid.
Qui minimis, sed crebris noxis indulgent. 107
Qui minima caventes aliquando graviora committunt. ibid.
Qui bona nec inchoant. ibid.
Qui bona inchoata non complent. ibid.
Qui mala clam, & bona palam faciunt, & vice versa. 108
Exhortatio 1. ibid.
Exhortatio 2. ibid.
Exhortatio 3. 109
Exhortatio 4. ibid.
Exhortatio 5. ibid.
Quartæ partis Analysis. 110
Homiliæ in Ezechielem. ibid.
Prioris homiliæ Analysis. 111
Homilia 2. 112
Homilia 3. 113
Homilia 4. ibid.
Homilia 5. 114
Homilia 6. ibid.
Homilia 7. 115
Homilia 8. 116
Homilia 9. 117
Homilia 10. 119
Homilia 11. 120
Homilia 12. 122
Pars altera Homiliarum in Ezechielem. ibid.
Homilia 1. 123
Homilia 2. 124

Ho-

Homilia 3.	125
Homilia 4.	ibid.
Homilia 5.	126
Homilia 6.	127
Homilia 7.	128
Homilia 8.	129
Homilia 9.	131
Homilia 10.	132
Homiliæ S. Gregorii in Evangelia.	133
Libri primi Homilia 1.	134
Homilia 2.	ibid.
Homilia 3.	135
Homilia 4.	ibid.
Homilia 5.	136
Homilia 6.	ibid.
Homilia 7.	ibid.
Homilia 8.	137
Homilia 9.	ibid.
Homilia 10.	138
Homilia 11.	ibid.
Homilia 12.	ibid.
Homilia 13.	139
Homilia 14.	140
Homilia 15.	ibid.
Homilia 16.	ibid.
Homilia 17.	141
Homilia 18.	142
Homilia 19.	143
Homilia 20.	ibid.
Liber 2. *Homiliarum Homilia* 21.	144
Homilia 22.	145
Homilia 23.	ibid.
Homilia 24.	146
Homilia 25.	147
Homilia 26.	ibid.
Homilia 27.	148
Homilia 28.	149
Homilia 29.	150
Homilia 30.	151
Homilia 31.	152
Homilia 32.	153
Homilia 33.	154
Homilia 34.	155
Homilia 35.	157
Homilia 36.	158
Homilia 37.	160
Homilia 38.	161

Homilia 39.	163
Homilia 40.	164
Dialogorum libri.	166
Dialogorum Liber primus.	169
Dialogorum Liber ſecundus.	173
Dialogorum Liber tertius.	175
Dialogorum Liber quartus.	179
De epiſtolis S. Gregorii generales animadverſiones.	183
Primi Libri epiſtolæ.	184
Liber ſecundus.	193
Liber tertius.	196
Liber quartus Indictione duodecima.	197
Liber quintus.	199
Liber tertius Epiſtolarum.	204
Liber quartus.	207
Liber quintus.	210
Liber ſextus.	213
Liber ſeptimus.	217
Liber octavus.	222
Liber nonus.	224
Liber decimus.	231
Liber undecimus.	234
Liber duodecimus.	244
Liber decimus tertius.	245
Liber decimus quartus.	249
De Sacramentario S. Gregorii.	252
Sacramentarii Gregoriani diſtributio.	ibid.
Miſſa Pontificalis.	ibid.
Lectiones, & Oblationes.	254
Canon Miſſæ & Communio.	255
Miſſæ finis.	257
Alia Opera D. Gregorii dubia.	260
Expoſitio in lib. 1. Regum.	ibid.
Expoſitio Cantici Canticorum.	261
Expoſitio in ſeptem Pſalmos Pœnitentiales.	262
Concordia Teſtimoniorum S. Scripturæ.	ibid.
Editoris Veneti ſententia exponitur.	ibid.
S. Paterii Opera.	263

ARTICULUS III.

Præcipua D. Gregorii documenta, dogmata, mores & diſciplinam ſpectantia.	264
De Sacra Scriptura, ejuſque divina inſpiratione.	ibid.
De Prophetarum inſpiratione.	ibid.
De libris Canonicis.	ibid.

De

De Sacræ Scripturæ lectione. 266
De Conciliis. ibid.
De Ecclesia. 267
De Primatu S. Petri. 268
De Sedis Apostolicæ auctoritate. 269
De Divinarum Personarum Missione & Sp. S. processione. 270
De duabus in Christo naturis & una Persona. ibid.
De Gratiæ necessitate. 271
Semper timendum de æterna salute. 272
De Angelis bonis & malis. 274
De primo homine. 275
De peccato originali. ibid.
De baptismo Joannis & Christi. 276
De Ministro & tempore baptismi. 277
De Sacramento confirmationis. 278
De Eucharistiæ transubstantiatione. 279
De Oratoriis. 280
De Missarum celebratione, & communione. ibid.
De Pœnitentia, Confessione, & potestate clavium. 281
De vera Pœnitentia. 282
De Censuris. ibid.
De sacris Ordinationibus, & Clericorum residentia. 283
De vita & conversatione Episcoporum. 284
De Clericorum continentia & cœlibatu. 285
Pœna in Clericos incontinentes. ibid.
De Matrimonio. 286
De cultu Sanctorum eorumque miraculis. 187
De Sanctorum Reliquiis. 288
De Purgatorio. ibid.
De locis Inferni. 289
De pœnarum æternitate. 290
De prædestinatione & reprobatione. 291
De concordia gratiæ & liberi arbitrii. 292
De Simonia. 293

ARTICULUS IV.

Selectiora S. Gregorii M. Papæ Asceticæ Vitæ documenta. 294

Flagella utilia. ibid.
Lectio spiritualis. ibid.
Conscientia portus quietis. ibid.
Patientia in tribulatione. ibid.
Judicii dies timendus. ibid.
Piorum justa judicia. ibid.
Peccata semper deflenda. ibid.
Tenebræ mentis quantæ. 295

Ira divina potestas. ibid.
Internæ gratiæ locutiones. ibid.
Timor justorum. ibid.
Dei flagella justa. ibid.
Nullus plene justus. ibid.
Tempus redimendum. 296
Patientia necessaria. ibid.
Modus servandæ mansuetudinis. ibid.
Ira alia recta, alia prava. ibid.
Adversitates utiles. ibid.
Fidei mira credenda, non scrutanda. ibid.
Conformes divinæ voluntatis simus. ibid.
Correctio licet aspera utilis. 297
Cordis infirmitates. ibid.
Operatio cum contemplatione. ibid.
Contemplatio aliquibus noxia. ibid.
Intentio in Deum dirigenda. 298
Electorum timor. ibid.
Non declinandum a recta via. ibid.
Parum est quod finem habet. ibid.
Vita hominis tentatio. ibid.
Electis leves sunt pœnæ. ibid.
De justitiæ amissione timendum. 299
Divinæ misericordiæ necessitas. ibid.
Timor judiciorum Dei salutaris. ibid.
Gratiæ accessus & recessus. ibid.
Ægritudo spiritualis nunquam deest. 300
Contra hypocritas. ibid.
Laus Dei, non propria quærenda in bono opere. ibid.
Justi peregrini in mundo. 301
Deus silendo laudatur melius quam loquendo. ibid.
Timor salutaris. ibid.
Avaritiæ dolus. ibid.
Munera non quærenda. 302
Judicia Dei. ibid.
Dei deserentis, & miserentis effectus. ibid.
Custodia cordis necessaria. ibid.
Lex Christi caritas. ibid.
Temporalia spernenda, æterna desideranda. 303
Caritas voluptatibus mortuos nos efficit. ibid.
Carnis & spiritus fomenta. ibid.
Sapientia Mundi fallax, Justorum vera. ibid.
Non sensus, sed affectus pensandus. ibid.
Juvenes non prædicent. ibid.
Ignorantia perniciosa. ibid.
Hora mortis cur incerta. 304

CAPUT XXVIII.

S. Joannes Damascenus Monachus, & Presbyter Hierosolymitanus.

ARTICULUS I.

Vitæ S. Joannis Damasceni Breviarium. 305

Nativitas, & educatio S. Jo. Damasceni. ibid.
Ejus apud Saracenos officia, & infortunium. ibid.
In Monasterium secedit. 306
Obitus post ann. 754. 307
Ejus Opera, & Editiones. ibid.

ARTICULUS II.

Operum S. Joannis Damasceni Analysis. 308

Dialectica Damasceni. ibid.
Tractatus de Hæresibus. ibid.
Mohamedanorum Secta. 309
De Iconoclastis. ibid.
Fidei Professio. 310
De Fide Orthodoxa. ibid.
Operis Analysis 1. & 2. libri. 311
Liber tertius. 312
Liber quartus. 314
Ejusdem libri continuatio. 315
Sermones Apologetici tres de Imaginibus. 316
Analysis primi Sermonis. 317
Sermonis secundi & tertii analysis. 321
Libri de recta sententia analysis. 323
Analysis Tractatus adversus Jacobitas. 324
Dialogus adversus Manichæos. 325
Disceptationes cum Sarraceno. 326
De Draconibus. ibid.
De Sancta Trinitate. ibid.
Epistola ad Jordanem de Trisagio. ibid.
Epistola de Sanctis Jejuniis. 329
Epistola de octo vitiis. 330
Tractatus de Virtutibus, & vitiis. ibid.
De Institutione elementari. 331
Dissertatio contra Acephalos. ibid.
Tractatus adversus Monothelitas. 332
Tractatus adversus Nestorianos. ibid.

Com-

Commentaria in epistolas D. Pauli. 333
Parallela. ibid.
Homiliæ S. Joannis Damasceni. ibid.
Homilia de Transfigurat. ibid.
Homilia de Resurrectione Domini. 334
Sermo in Sancta Parasceve. ibid.
Sermo in Sabbatum Sanctum. ibid.
Homiliæ de Beata Virgine. ibid.

ARTICULUS III.

Præstantiora Damasceni testimonia, Dogmata, Mores, & Fidem spectantia. 336

De Sacra Scriptura. ibid.
De Traditione. ibid.
De Conciliis. 337
De Trinitate & Incarnatione. ibid.
De Sacramentis. ibid.
De Angelis. 340
De Gratia, & libero arbitrio. 341
De voluntate Dei salvandi omnes. ibid.
De cultu Sanctorum Imaginis, & Crucis. 342
De duplici potestate spirituali, & temporali. ibid.

ARTICULUS IV.

Selecta Vitæ spiritualis documenta. 343

Caritas virtutum apex. ibid.
Eucharistiæ salutares effectus. ibid.
Præsentia realis J. C. in Eucharistia. ibid.
Crux adoranda. ibid.
Imaginum cultus. ibid.
Duplex potestas temporalis & spiritualis. ibid.
Ecclesia immobilis. ibid.
Oratio solitaria. ibid.
Virgo Deipara. 344
Laus Deiparæ. ibid.
Assumptio Deiparæ in Cœlum. ibid.

BIBLIOTHECA MANUALIS PATRUM ECCLESIÆ.

CAPUT XXXVII.

S. GREGORIUS MAGNUS

Papa, & Ecclesiæ Doctor.



ARTICULUS PRIMUS.

Vita S. Gregorii Magni Papæ Breviarium.



ROMÆ ortum duxit D. Gregorius parentibus Gordiano, & Sylvia, genere præclarissimis & nobilissimis, & vitæ sanctitate conspicuis. Gordianus Senatorii ordinis ac ditissimus, Senatoria abdicata dignitate, & Clericalem amplexatus statum Regionarius fuit, ut conjectat Baronius (*a*) ex Joannis Diaconi narratione (*b*), idest unus ex Septem Diaconis Cardinalibus, qui dicti sunt Regionarii, quod certis urbis Regionibus præficerentur, & curam gerebant pauperum & hospitalium, quæ Diaconiæ dicebantur. Sylvia vero mater in Albo Sanctorum descripta, secessum sibi delegit juxta portam Basilicæ S. Pauli, quo in loco vulgo dicto *Cella nova* conditum est Oratorium ejus nomini dicatum. Utriusque parentis imagines pio animo penicillo exprimi curavit, servanturque usque in hodiernum diem in Monasterio S. Andreæ. Quo anno lucem aspexerit S. Gregorius, potius conjecturis assequi potest, quam rationibus & monumentis certo statui; proinde in annum

S. GREG. M. S. Gregorii ortus.

(a) *Ad annum 540.*
(b) *Lib. 4. n. 83.*

S.GREG. M. annum 540. refertur. De ejus ingenio & studiis sic scribit Paulus Diaconus: „ Disciplinis liberalibus, hoc est grammatica, rhetorica, dialectica ita a puero est institutus, ut quamvis eo tempore florerent adhuc Romæ studia literarum, tamen nullus in Urbe ipsa secundus esse putaretur. Inerat ei in parva adhuc ætate maturum jam studium (*a*)". Fatetur Gregorius ipse, se græcum ignoralle idioma (*b*). At juris peritissimum, & consultissimum fuisse constat ex ejus epistolis, sed præsertim ex epistola 45. libri 13.

Longobardi rapinis, incendiis, cædibus miseram repleverant Italiam. Urbes, ut ipse scribit Gregorius (*c*), „ depopulatæ ab ipsis, eversa castra; concrematæ Ecclesiæ, destructa sunt Monasteria virorum ac fœminarum, desolata ab hominibus prædia ". Inter tot bellorum calamitates & clades Gregorius Prætoris boni officio functus est, & eodem tempore cum aliis nobilissimis viris subscripsit cautioni, seu promissioni, quam Laurentius Mediolanensis Episcopus de tribus famosis Capitulis ad Sedem Apostolicam miserat. Hoc contigit circa annum 574.

Prætor Romæ constituitur.

Ob Patris obitum amplissimas consecutus jure hæreditario opes sex in Sicilia monasteria construxit; septimum vero Romæ in propriis ædibus, hisque tantam delegavit terrarum copiam, quanta ad victum quotidianum præbendum sufficeret (*d*). Romæ vero constructum monasterium celebre, dictum S. Andreæ ad Clivum Scauri, primo acceperunt Monachi Benedictini, sed tempore Joannis Diaconi Monachi Græci illud obtinuerunt, fortassis beneficio Stephani III. Modo Camaldulenses obtinent. In hoc monasterio primum in monasticis institutis patrem & doctorem habuit Hilarionem, postmodum Maximianum, qui ad Syracusanas infulas postea fuit assumptus. Monasticam vitam S. Gregorium amplexatum fuisse egregie & invicte probat adversus Baronium Mabillonius in vita S. Gregorii lib. 1. cap. 3. In Monasterio itaque constitutus „ tanta (scribit Paulus Diaconus) perfectionis gratia cœpit conversari, ut jam tunc in ipsis initiis perfectorum posset numero deputari ". Abstinentiæ, jejuniis, aliisque pœnitentiæ operibus ita deditus erat, ut debilitato stomacho, & afflicta valetudine, brevi moriturus videretur (*e*). Inde contraxit „ assiduas infirmitates, & maxime ea pulsabatur molestia, quam græco eloquio medici syncopem vocant, cujus incommodis ita dolore vitalium cruciabatur, ut crebris interceptus angustiis per singula pene horarum momenta ad exitum propinquaret (*f*) "; & tamen de intermissione jejunii magis quam de gravi dolebat infirmitate. Maxime vero moleste tulit, quod ipso sacratissimo Sabbato Paschæ pervigilio, in quo omnes etiam

Monasticam vitam amplectitur.

(a) *In vita Pauli Diac.* (b) *Lib. 7. cap. 32.*
(c) *Lib. 3. Dial. cap. 38.*
(d) *In Vita Pauli Diac. n. 4.*
(e) *Ibid. n. 5.* (f) *Ibidem.*

etiam parvuli jejunarent, ipse a cibo abstinere non posse videretur. At suis assiduis precibus, & Eleutherii S. Andreæ monachi impetravit non solum ut eo die jejunare posset, sed, ut ipse scribit (*a*), „ virtutem tantam ejus stomachus accepit, ut mihi fun„ ditus a memoria tolleretur & cibus & ægritudo ". Cibus ejus legumina erant, quæ Sylvia mater eodem cibo victitans suppeditabat & parabat, illique in scutella argentea mittebat, quam ipse, cum non aliud haberet quod pauperi petenti daret, illi largitus est. S.GREG. M.

„ Dum die quadam advenientibus nuper mercatoribus (*b*) multa „ venalia in forum Romæ collata fuissent, contigit & Gregorium „ per forum transitum facere, ac vidisse inter alia pueros venales „ positos lactei corporis, ac venusti vultus, capillos quoque præci„ pui candoris habentes. Quos cum aspiceret interrogavit, ex qua „ gente essent, & num christiani; responsum, non esse christia„ nos, & ex Britanniæ insulis, unde Angli dicti sunt. At ille: „ Bene, inquit, nam & angelicam habent faciem, & tales Ange„ lorum in Cælis decet esse cohæredes ": & cum rursus audisset eos esse ex provincia Deiri sita in Ducatu Eboracensi: „ Bene, „ subdit, de ira eruti, & ad misericordiam Christi vocati ". Nec mora; accedens ad Summum Pontificem Benedictum, rogavit ut genti Anglorum aliquos verbi ministros, per quos ad Christum converterentur, mitteret; „ asserens & seipsum in hoc opus Domino coope„ rante perficiendum paratum esse, si tamen ejdem, hoc ut fieret, „ complaceret (*c*). Annuit Papa ejus infatigabilibus precibus vi„ ctus ". At hoc ubi ad notitiam populi venit, Romani Summum Pontificem magno numero adeunt, & terribili voce conclamant (*d*): „ Eja Apostolice, quid fecisti? S. Petrum offendisti. Romam de„ struxisti. Gregorium non tam dimisisti, quam expulisti ". His clamoribus motus Papa post eum summa cum festinatione, & obligationis, ut quantocius Romam rediret, interdictione direxit. „ Itaque trium dierum confecto itinere sodales post brevem quie„ tem, ut alacriter ceptam persequerentur viam hortabatur, cum „ ecce adveniunt sudantibus equis a Summo Pontifice missi, offe„ runtque epistolam, qua Gregorio præcipiebatur vestigia relegere, & „ actutum urbem revisere (*e*). Anglorum conversionem sollicitat.

Romam reversus summa omnium ordinum gratulatione receptus est, & in monasterium regressus novo fervore ad intermissos monastici instituti labores sese accingit. Verum cito a sua quiete abstractus a Summo Pontifice Diaconus septimus creatus est, tum ut ad altare ministraret, tum ut in partem pontificalis sollicitudinis succederet: mos enim tunc temporis obtinebat, ut in Ecclesiæ gubernatione Diaconi Episcopo suum ministerium præstarent. Diaconus eligitur.

(a) *Dialog. lib. 3. cap. 33.*
(b) *In Vita Pauli n. 17.* (c) *Ibid. n. 18.*
(d) *Ibid. n. 19.* (e) *In Vita lib. 1. cap. 4. n. 5.*

S. GREG. M.

Constantinopolim Nuntius mittitur.

Non multo post vero a Pelagio II. qui Benedicto vita functo tertio Kalend. Augusti anno 571. in Pontificatu successerat, Constantinopolim mittitur, ut inibi Aprocrisarii, sive Nuntii Sedis Apostolicæ munere fungeretur, quod contigisse creditur anno 578. vel sequente, quando Tiberius post Justini obitum cœpit solus imperium moderari: „ Mos enim erat Romanæ Ecclesiæ penes Imperatores habere negotiorum curatorem (hoc enim Apocrisarii nomen denotat), cujus præsentia adeo ipsis grata erat, ut si forte missio differebatur, Imperatores, ut testatur Beda, de cunctatione conquererentur (*a*) “. Proficiscentem vero S. Gregorium secuti sunt multi ex monasterio fratres, „ germana (ut inquit Jo. Diaconus (*b*)) caritate devincti, quod divina factum dispensatione conspicitur, ut eorum exemplo ad orationis placidum litus quasi anchoræ fune stringeretur, & dum causarum secularium continuatis vertiginibus fluctuaret, ad illorum consortium, velut ad tutissimi portus sinum refugeret “.

Cum vero Constantinopoli S. Gregorius frequentius ratione sui muneris cum Eutychio Patriarcha regiæ urbis concertaret, eum illo detineri errore comperiit, ut crederet, & doceret, corpus nostrum in futura gloriosa resurrectione impalpabile ventis aereque subtilius esse futurum, quem errorem & libro de resurrectione mortuorum conscripto evulgaverat. Hoc perversum dogma confutandum sibi assumpsit D. Gregorius, ne in regia urbe natum facilius in exteras regiones propagaretur. Plures itaque habuit cum ipso Patriarcha collationes, quibus cum aliquando interfuisset Imperator, Gregorii doctrinam ita suo calculo comprobavit, ut librum Eutychii flammis abolendum decreverit. Patriarcha vero ita a suo errore resipuit, ut paulo post „ validissimis febribus æstuans, & cum morte confligens pellem manus suæ teneret, coram omnibus dicens: Confiteor, quia omnes in hac carne resurgemus (*c*), Obiit vero Eutychius mense Augusto anno 582.

Abbas eligitur.

Romam reversus S. Gregorius in monasterii sui portum iterum se recepit, ubi Abbatis officium, rogantibus, imo cogentibus fratribus, exercuit, succedens S. Maximiano ad Syracusanum Episcopatum assumpto. Sed otio & pace monasterii diu frui nequaquam concessum fuit Sanctissimo Abbati. Nam ut olim S. Hieronymus S. Damaso Papæ, sic ille Pelagio II. in scribendis epistolis adjutor fuit. Proinde trium epistolarum ad Eliam, & ad alios Istriæ Ecclesiæ Episcopos & filios pro trium Capitulorum causa tumultuantes scriptor ab omnibus habetur, cum unum sit illarum argumentum, unus scopus, stylusque plane non absimilis.

Pelagii adjutor in scribendis epistolis.

At pestilentia sublato Pelagio II. anno 590. sexto Idus Februarii, postquam Ecclesiam duodecim annis, & tribus fere mensibus rexerat, „ Gregorium (*d*) licet totis viribus renitentem Clerus, „ Sena-

(a) *Lib. 11. hist. cap. 1.* (b) *Lib. 1. n. 26.*
(c) *Ibid. n. 30.* (d) *Ibid. n. 39.*

„ Senatus, Populusque Romanus sibi concorditer Pontificem delegerunt. Quem ille apicem totis viribus evitare decernens, sese „ indignum tali honore clamitabat, videlicet metuens, ne mundi „ gloria, quam prius abjecerat, ei sub ecclesiastici colore regiminis „ aliquo modo subrepere potuisset : " Cum vero a Regum Gothorum Italiam obtinentium saltem temporibus usurpatum esset, ut electus Papa non sederet, nisi accedente prius Principis confirmatione, licet Pontificis electio nonnisi ad Clerum, Senatum, Populumque Romanum spectaret, ea tamen non stabat, nec firma habebatur citra Imperatoris auctoritatem, & confirmationem. Quamobrem S. Gregorius Pontificatus onus detrectans „ Imperatori Mau„ ritio, cujus filium ex lavacro sancto susceperat (*a*), latenter lit„ teras destinavit adjurans, & multa prece deposcens, ne unquam „ assensum populis præberet, ut se hujus honoris gloria sublimaret. „ Sed Præfectus urbis Germanus ejus nuntium anticipavit, com„ prehensumque, ac diruptis epistolis, consensum, quem populus fe„ cerat, Imperatori direxit. At ille gratias agens Deo pro amici„ tia Diaconi, eo quod locum deferendi ei honoris, ut cuplerat, „ reperisset, data præceptione, ipsum ordinari præcepit (*b*). Ut „ vero accepit interceptam fuisse suam ad Augustum epistolam, & „ aliam delatam, qua Præfectus Urbis eum de electione unanimi „ consensu facta, & de incredibili populi totius erga electum stu„ dio certiorem faciebat, sibi maxime timendum ratus de fuga „ quamprimum cogitavit : & cum ad portas Urbis sollicite excu„ baretur, ne evaderet, a negotiatoribus impetravit, ut in crate„ ra occultatus educeretur extra Urbem (*c*). Sylvarum saltus „ expetiit, cavernarum latibula requisivit. In quibus dum ab o„ mnibus summa sollicitudine quæreretur, indicio columnæ fulgidæ „ super se jugiter a cælo dependentis agnoscitur, capitur, trahi„ tur, & apud B. Petri Apostolorum Principis Templum sum„ mus Pontifex consecratur (*d*) ". Servatur adhuc & legitur in Joanne Diacono fidei professio, quam in sua emisit consecratione. Et quidam Diaconus S. Gregorii Turonensis, qui Romæ aderat, quando mortuus est Pelagius, eique successor datus est S. Gregorius, ejus interfuerat ordinationi, omnia quæ narravimus in Gallias reversus annuntiavit.

S. GREG. M. Pontifex eligitur anno 590.

Pontifex itaque assumptus & consecratus Aulæ faciem statim immutavit, „ & remotis a suo cubiculo (*e*) Secularibus, Clericorum „ sibi prudentissimos consiliarios, familiaresque delegit, inter quos „ Petrum Diaconum coætaneum suum, cum quo postea disputans, „ quatuor Dialogorum libros composuit... Paterium æque Notarium, „ qui ex libris ipsius aliqua utillima defloravit, & Joannem defen-

 „ sorem,

(a) *Ibid. n.* 40.
(b) *In Vita lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 1.
(c) *Ibid. lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 8. (d) *Jo. Diac. lib.* 1. *n.* 44.
(e) *Joan. lib.* 2. *n.* 11.

S. GREG. M.

„ forem, qui ejus jussu in Hispanias cognitor destinatus Januarium Episcopum Malacitanum Sedi propriæ restituit; Augustinum „ Monasterii sui Præpositum, & Mellitum, per quos Angelorum „ gentes ad Christianismi gratiam convocavit, Marinianum ejusdem Monasterii sui Monachum, quem in Ravennati Metropoli „ Episcopum consecravit, & Probum, cujus probitas & sapientia „ sibi maxime erat comperta ". Cum his D. Gregorius diu noctuque versatus, nihil monasticæ perfectionis in palatio, nihil Pontificalis institutionis in Ecclesia dereliquit. Peregrinos & pauperes hospitio excipiebat, & ut majori sollicitudine pauperum necessitatibus & commodis prospiceret, omnia Ecclesiæ patrimonia solis Clericis procuranda & administranda commendavit. Cum enim sine liberis essent, futurum sperabat, ut pauperes in filios adoptarent, ac susciperent. De spirituali cibo non minus quam de corporali filiis suis ministrando sollicitus, quamdiu per vires corporis licuit, Evangelia, & selectos quosdam Sacræ Scripturæ libros in publico cœtu exposuit. „ Gelasianum Codicem de Missarum so„ lemniis, multa subtrahens, pauca convertens, nonnulla vero su„ peradjiciens, pro exponendis evangelicis lectionibus in unius libri „ volumine coarctavit (*a*). Stationes per basilicas secundum quod „ hactenus plebs Romana quasi eo vivente certatim discurrit, solli„ cite ordinavit (*b*) ". Ecclesiasticum cantum expolivit, & cantus scholam instituit, in uno collegit Antiphonario omnia, quæ decantari solent in Missis, luminaria adauxit, & Ministrorum numerum, & Subdiaconis lineas tunicas concessit in servitio Altaris: nihil denique omisit, quod ad Sacrificii celebrationem necessarium & decorum videri poterat.

Ejus sollicitudo erga alias Ecclesias.

„ Parum fuit Gregorio seipsum, domumque suam recte regere, „ vel etiam Romanæ Ecclesiæ singulariter spectatæ invigilare, nisi „ simul Christi gregi, cui auctoritate præerat, paterna caritate, „ ac sollicitudine providisset (*c*) ", præsertim Siciliæ Ecclesiis. Sicilia enim una erat ex suburbicariis provinciis, quæ Romano Episcopo immediate subjiciebantur juxta canonem sextum Nicænæ Synodi. Africanis quoque Ecclesiis a reliquiis Manichæorum, & Donatistarum turbatis suppetias tulit. Gennadium Patricium; & Exarchum Africæ rogavit, ut hæreticorum contra Ecclesiam catholicam colla erigentium conatus comprimeret, ac superbas eorum cervices inflecteret, omnemque adimeret nocendi licentiam. Cum dissidentibus tamen in causa trium Capitulorum moderatione usus est, & indulgentia, quam & erga Judæos ostendit, scribens Terminensi Episcopo, „ qui illos de loco, in quem ad celebrandum festi„ vitates suas convenire consueverant, expulerat, ut alium illis as„ signaret locum, ubi libere possent religionis causa congre„ gari

(a) *Ibid. n.* 17.
(b) *Ibid. c.* 18.
(c) *In Vit. lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 1.

„ gari (a) ". Hæc omnia gessit Gregorius primo sui Pontificatus anno.

S. GREG. M.

Curæ S. Pontificis.

In altero autem anno auctæ sunt S. Pontificis curæ & sollicitudines, Longobardis bellum, & cladem in Italiam inferentibus. Horum inimicorum strages, ruinas, devastationes graphice Romano Populo pingit in postrema sua super Ezechielem homilia, & in epistola ad Mauricium Imperatorem data. Romam tamen minime obtinuere Longobardi, sed accepta magna vi auri, & argenti ab ea recessere.

Secessum quærit.

Sub finem anni 593. vel insequentis initio S. Pontifex, ut quietem aliquam a tot laboribus & sollicitudinibus nancisceretur, in solitudinem secessit, quam sibi delegit in Monasterio S. Andreæ, non expedire arbitrans recessum ejus ab Urbe, ubi ea turbulenta tempestate erat quam maxime necessaria Pastoris præsentia. In eo vero recessu Dialogorum librum inter ipsum & Petrum Diaconum discipulum, & a secretis composuit. Plures etiam conscripsit epistolas pro variis Ecclesiæ negotiis componendis.

Joan. Patriarchæ Constantinopolitani fastum arguit.

Anno 589. Mense Junio Joannes Patriarcha Constantinopolitanus Œcumenici, sive Universalis Patriarchæ titulum sibi assumpsit in Concilio eodem anno habito, quod mox ut Pelagius Papa agnovit, directis epistolis auctoritate S. Petri Apostoli (b) ejusdem Synodi acta cassavit (c). Oblatum Romano Pontifici, nimirum S. Leoni Magno pro Beati Petri Apostolorum Principis honore Œcumenici titulum per venerandam Chalcedonensem Synodum testatur S. Gregorius (d). „ Sed nullus, inquit, eorum unquam hoc singularitatis nomen assumpsit, nec uti consensit ". In Chalcedonensi sane Concilio lecti sunt nonnulli libelli supplices Papæ oblati, in quibus hoc honorifico vocabulo insignitur, & in Act. „ sexta Paschasinus Episcopus unus ex S. Leonis Legatis habita „ coram Sancta Synodo oratione Summum Pontificem *Œcumeni-* „ *cum* appellavit ". Verum nec S. Leo, nec alii ante ipsum Pontifices usi hoc sunt honoris vocabulo, tum quod novum esset, tum quia vanitatem suadere videtur, cum cæteros Episcopos sua dignitate spoliet, & unum tantum facere videatur Episcopum in tota Ecclesia. At non ita sentiebat Joannes Constantinopolitanus, qui D. Gregorio scribens, & acta ab ipso mittens contra Presbyterum de hæresi accusatum pluries, & fere tertio quoque verbo se Œcumenicum Episcopum appellavit. Ut vero fraternæ dilectionis ordinem teneret S. Gregorius, prius ipsum bis per Sabinianum Diaconum, & suum in Regia Apocrisarium admonuit, deinde & Marciano Imperatori, & Constantinæ Imperatrici scripsit, ut illius audaciam compescerent: cum vero in sua audaci usurpatione persi-

 steret

(a) *Epistol. lib. 1. epist. 35.*
(b) *Joan. Diac. lib. 3. n. 52.*
(c) *In Vita lib. 3. c. 1. n. 1.*
(d) *Lib. 5. epist. 20.*

fteret Joannes, præfato Sabiniano Diacono in mandatis dedit, ut ab ejus communione abstineret. Præterea ut cæteros Orientis Patriarchas ad ejus compescendam audaciam excitaret, epistolam omnibus communem illis misit. Irrita tamen fuere S. Pontificis studia; nam usque ad obitum in usurpatione nominis universalis Episcopi perduravit.

S. GREG. M.

Missionarios in Angliam mittit.

Anno vero 596. consilium, quod jamdiu in suo Monachatu conceperat de Anglorum conversione procuranda, perficere constituit. Augustinum itaque (a) cum aliis domus suæ Monasterii Monachis in Britanniam evangelizandi gratia destinavit. Quibus etiam in itinere constitutis, & de reditu ad Urbem cogitantibus sic scripsit: „ Quia melius fuerat bona non incipere, quam ab his, quæ cœpta „ sunt, cogitatione retrorsum redire: summo studio, dilectissimi fi„ lii, oportet, ut opus bonum quod cœpistis, auxiliante Domino „ compleatis . . . Remeanti autem Augustino Præposito vestro, „ quem & Abbatem vobiscum statuimus, in omnibus humiliter „ obedite". Jusserat autem multo ante Sanctissimus Pontifex Candido Gallicani patrimonii Rectori ex Anglorum gente comparari adolescentes ab annis decem & septem, vel decem & octo, & in monasteriis de fide, ritibusque Christianis edoceri ac erudiri, quorum postea ministerio ad gentis totius conversionem uteretur. Roma vero discesserant Augustinus, & Monachi, ut scribit Beda, mense Augusti anno 596. muniti commendatitiis epistolis datis Galliarum Episcopis (per Galliam enim erant iter habituri) & Brunichildæ Reginæ, nec non Regibus Theodorico, & Theodeberto; erant autem omnes missi quadraginta. Horum aliquos ex præcipuis Augustinus cum Interpretibus ad Regem præmisit sui itineris, adventusque causam exposituros (b). Eos perhumaniter excipiens Rex jussit, ut in eo quo appulsi erant loco aliquamdiu morarentur, donec quid facto opus esset decerneret, suppeditatis interea cunctis necessariis. Regnabat tunc Eribertus, cujus uxor erat Bertha Choriberti Francorum Regis filia, & Clotharii primi neptis, Anglo hac lege in matrimonium data, ut fidem Christianam retineret, ac libere profiteretur, a qua proinde aliqua de Christiana fide jam audierat. Post dies aliquot venit ad Insulam Rex, & sub dio residens, Augustinum ac socios ad colloquium accersivit. „ Caverat „ (c) autem (inquit Beda) ne in aliquam domum ad se introi„ rent, ne superventu suo si quid maleficæ artis habuissent eum su„ perando deciperent. At illi non dæmoniaca, sed divina virtute „ præditi veniebant Crucem pro vexillo ferentes argenteam, & „ imaginem Domini Salvatoris in tabula depictam, litaniasque „ cantantes", a Deo salutem Regis, & Gentis, ad quos venerant, postulantes. Eos itaque Rex considere fecit, & Augustinus impetrata

(a) *Joan. Diac. lib. 2. n. 33.*
(b) *In Vit. lib. 3. cap. 4. n. 9.*
(c) *Beda lib. hist. 1. c. 20.*

trâta loquendi licentia, Regi aperuit, se sociosque suos eo consilio advenisse, ut ipsum docerent, qua ratione post mortem gloriosus regnaret, immortalitatisque coronam consequeretur. Hujus primi colloquii fructus fuit potestas illi a Rege data, „ ut quæ vera, S. Greg. M.
„ & optima eis viderentur, sibi & populis communicarent, &
„ facultas concessa, ut quicumque Christo nomen dare vellent,
„ ab illis susciperentur, & in fide instruerentur. Præterea locum
„ assignavit in Dorrobernia, postea Cantuaria dicta, totius Re-
„ gni Metropoli, ubi commode manerent, & quæ ad vitam ne-
„ cessaria forent, abunde suppeditari jussit (a). In concessa sibi sede
„ Augustinus, ejusque commilitones Apostolicam nascentis Ecclesiæ
„ vitam imitari cœperunt, cuncta mundi hujus velut aliena sper-
„ nendo, & ea tantum quæ victui necessaria forent, ab eis, quos do-
„ cebant, accipiendo, ut exemplis potius, quam verbis legis chri-
„ stianæ sanctitatem commendarent. His innoxiis illecebris illecti
„ ad veritatis retia non pauci fidem in Christum amplexi sunt,
„ quibus in antiqua S. Martini juxta Urbem Ecclesia, ubi Regi-
„ na pro data sibi facultate sacra celebrari jubebat, Synaxes agere
„ concessum est. At postquam Rex ipse credidit, & baptismo
„ initiatus est, miraculorum, quibus Deus Servorum suorum do-
„ ctrinam, sanctitatemque confirmabat, invicto testimonio ultra re-
„ luctari non ferens, vetera Templa diruta restaurare, ac nova ex-
„ truere mira alacritate cœperunt Neophyti. Nimirum tanta tunc
„ Ecclesiæ nascenti facta est accessio, Anglis Regis exemplum cer-
„ tatim sequentibus (licet ad Religionem neminem cogeret) ut
„ eos prior Ecclesia minime caperet ". Permisit præterea ut dirutæ Ecclesiæ restaurarentur. Fides enim Christiana jam Angliam pervaserat, licet Romanis semper fuerit impervia. Præterea in sua Metropoli Cantuariensi Episcopalem Sedem figi concessit, assignatis ad hoc sufficientibus reditibus, & proventibus (b). Datam sibi a Gregorio provinciam tam feliciter auspicatus Augustinus in Galliam trajecit, ubi a Germaniarum Episcopis consecratus est Episcopus, idest a S. Vigilio Arelatensi Episcopo juxta facultatem a S. Gregorio illi datam, qui idcirco etiam illum inter Germanos recenset Episcopos, quia Burgundionibus præerat origine Germanis (c). Ad sua autem post acceptam episcopalem consecrationem reversus ipso Natalis die plusquam decem Anglorum millia lustralibus aquis tinxit. Mox duos ex Sodalibus, Laurentium & Petrum Romam misit, ut de omnibus, quæ gesta fuerant, certiorem facerent Sanctum Pontificem, eumque de nonnullis quæstionibus interrogarent. Et quia in Anglorum Ecclesia Augustinus solus tunc erat Episcopus, licet canonibus indictum esset, ut Epi-
scopo

(a) *In Vit. lib. 3. cap. 4. n. 12.*
(b) *In Vit. lib. 3. cap. 5. n. 1.*
(c) *Ibid. n. 2.*

S. GREG. M. ſcopo alterum conſecranti duo alii adeſſent Epiſcopi, annuit Papa, ut ab illo ſolo Epiſcopi poſſent ordinari.

S. Gregorius ægrotat. Anno 598. gravata eſt adverſa D. Gregorii valetudo, cœpitque pedibus ita laborare (*a*) „ ut (ſcribit ipſe) vix in diebus feſtis uſque ad horarum trium ſpatium ſurgere valeam, ac Miſſarum ſolemnia celebrare. Mox autem cum gravi pellor dolore decumbere, ut cruciatum meum poſſim interrumpente gemitu tolerare. Qui dolor interdum mihi lentus eſt, ut recedat, nec ita nimius ut interficiat. Unde fit, ut qui quotidie in morte ſum, quotidie repellar a morte. Inter quos dolores (ſubdit) quid aliud (*b*) debemus, niſi ſemper delicta noſtra ad memoriam revocare, atque Omnipotenti Deo gratias agere? Quoniam qui ex carnis blandimento multa peccavimus, ex carnis afflictione purgemur. Sciendum quoque eſt nobis, quia pœna præſens, ſi animum afflicti convertit, finis eſt culpæ præcedentis. Si autem ad timorem Domini minime convertit, initium eſt pœnæ ſequentis. Curandum igitur nobis eſt, & ſummopere in fletibus tota mentis converſione vigilandum, ne de tormento ad tormenta tranſeamus. Conſiderandum quoque eſt, quanta erga nos diſpenſatione pietatis agat Conditor noſter, quod morte dignos aſſidue percutit, & tamen adhuc minime occidit. Minatur enim quod facturus eſt, nec tamen facit, ut dolores nos percurrentes terreant, & converſos ad timorem diſtricti judicis ab ejus nos animadverſione in vitæ termino abſcondant. Quis enim dicit, quis enumerat, quanti in ſua luxuria dimiſſi. . . uſque ad diem obitus ſui ita in hoc ſæculo vixerunt, ut nunquam dolorem vel capitis paterentur, ſed ſubito percuſſi ignibus inferni ſunt traditi "?

De inſtaurandis Baſilicis cogitat. Licet ob aſſiduas & ingraveſcentes infirmitates ſe diutius vivere non poſſe probe cognoſceret S. Gregorius, conceptum tamen conſilium (*c*) de inſtaurandis SS. Apoſtolorum Petri & Pauli Baſilicis non abjecit, ſed non ultra differendum judicavit. Scripſit itaque Sabino Subdiacono res Eccleſiæ in Lucania & Brutiis curanti, ut his in provinciis trabes ad id operis neceſſarias pararet, atque ad mare advehendas curaret. Scripſit etiam ad Arogen Beneventanum Ducem conſtitutum a Rege Longobardorum, ut Sabino Diacono in hujus materiæ vectura opem ferret. Præterea multa prædia aſſignavit Baſilicæ S. Pauli pro luminaribus. Extant in præfatis SS. Apoſtolorum Baſilicis tabulæ marmoreæ, in quibus leguntur donationes de olivetis, & aliis fundis a S. Gregorio ipſis conceſſis. Tabula donationis factæ Baſilicæ S. Pauli data eſt 9. Kalend. Februarii anni 604. Ipſe vero obiit die 12. Martii gravibus oppreſſus infir-

Moritur.

(a) *Lib. 10. epiſt. 35.*
(b) *Lib. 11. epiſt. 36.*
(c) *In Vit. Lib. 4. cap. 6. n. 1.*

infirmitatibus, & sollicitudinibus innumeris omnium Ecclesiarum, sepultusque est absque ulla pompa, ut jusserat, in extrema (*a*) porticu Basilicæ B. Petri Apostoli ante vetus Secretarium, quo videlicet Leo, Simplicius, Gelasius, atque Symmachus Apostolicæ Sedis Episcopi cum nonnullis aliis tumulati sunt. Servatur ipsius Pallium, & Phylacteria (idest Crux pectoralis Reliquiis referta) tenui argento fabricata, & baltheus. Voluit (inquit Jo. Diaconus) (*b*) suam similitudinem depingi in suo venerabili Monasterio S. Andreæ una cum imaginibus suorum parentum, in qua posset a suis Monachis, non pro elationis gloria, sed pro cognitæ districtionis cautela frequentius intueri. Sic autem ejus corporis habitum describit: „ Statura justa & bene formata erat, facie de paternæ „ faciei longitudine, & maternæ rotunditate medie temperata ... „ barba paterno more subfulva, & modica: ita calvaster, ut in „ medio frontis gemellos cincinnos variusculos habeat, & dextror- „ sum reflexos: corona rotunda, & spatiosa ... fronte speciosa, „ elatis & longis, sed exilibus superciliis; oculis pupilla furvis, „ non quidem magnis sed patulis, ... ore rubeo, crassis & sub- „ dividuis labiis, genis compositis, mento a confinio maxillarum „ decibiliter prominente, colore aquilino & vivido, vultu mitis, „ manibus pulcris, teretibus digitis, & habilibus ad scribendum. „ Præterea planetam super dalmaticam castaneam gestabat in sua „ effigie, evangelium in sinistra, modum crucis in dextra ". Ita, inquam, illud, ut in imagine viderat, nobis depingit Gregorium Joannes Diaconus, at non ita facile ejus virtutes valuisset exprimere æquanimitatem tum in prosperis, tum in adversis, ardens studium divinæ gloriæ, caritatem teneram & ardentem erga suas oves, profundam humilitatem, eximiam modestiam, temperantiam, prudentiam, cæteraque eximia animi ornamenta. De illo sic scribit S. Ildephonsus (*c*): Vicit sanctitate Antonium, eloquentia Cyprianum, sapientia Augustinum, adeo ut omnes antiquiores clarissimos viros ita superaverit, ut nullus illi par possit reperiri. Magni titulus illi communiter in Ecclesia concessus ejus meritis omnino respondet.

S. GREG. M.

Opera ab ipso exarata hic enumerantur: Libri triginta duo in Job: bini in Ezechielem; totidem in Evangelia, Liber Pastoralis inscriptus, quatuor dialogorum libri. His accedunt quamplurimæ epistolæ numero 840. in libris quatuordecim collectæ. Commentaria in priores Regum libros, in Cantica Canticorum, & in septem Psalmos Pœnitentiales, prout modo extant, non prorsus genuina esse videntur. Sacramentarii quoque solus auctor dici non potest, cum Gelasianum Sacramentarium solum auxerit, & emendaverit. Plures habentur hujus S. Pontificis Operum editiones, quas

(a) *Joan. Diac. lib. 4. n. 68.*
(b) *Ibid. lib. 4. n. 84.*
(c) *Lib. de Viris illustr. cap. 1.*

S. GREG. M. quas recensent Maurini, & Fabricius; præcipue vero illa a Petro Gussanvillæo Presbytero Parisiis edita anno 1675., cui alia accessit Editio Parisina quatuor in folio voluminibus edita a PP. Benedictinis Congregationis S. Mauri, procurante summo studio Dionysio a S. Martha, qui & ejus vitam præmisit, sicut & aliam a Paulo Diacono a Secretis Desiderii Longobardorum Regis, & postea Monachi in monte Cassino scriptam sub finem sæculi octavi, & aliam a Joanne Diacono conscriptam sæculo nono. Præter has recentiores Editiones, alia novissima in lucem prodiit Venetiis Tomis decem & septem in quarto, opera & studio Clarissimi Viri Jo. Baptistæ Galliccioli Veneti Presbyteri, qui impulsus adhortationibus, & adjutus consiliis sapientissimis, & saluberrimis Illustrissimi, ac Reverendissimi Hieronymi Gradonici Archiepiscopi Utinensis, hanc novam adornavit Editionem, in qua plura præstitit opportuna, & utillima: nimirum contulit iterum S. Gregorii Opera cum MM. SS. Codicibus Cardinalis Bessarionis in Marciana Bibliotheca servatis, edita ab aliis viris Opuscula in subsidium adhibens. In Liturgiis plurima in melius mutavit, præfationem addidit ad rem Liturgicam illustrandam. Responsoriale a Thomasio editum, & Muratorianum Sacramentarium iterum edidit. Epistolas eodem ordine, sed castigatiores exhibet. Denique Sanctum Paterium dedit non mutilum, ut hucusque prodierat, sed majori sui parte auctum, ac pene integrum. Hac ego utar Editione: ad commodum tamen Lectorum in margine etiam Sammarthanæam Editionem indicabo. In Veneta Editione addita sunt etiam 1. Vindiciæ S. Gregorii Papæ adversus criminationes Casimiri Oudini. 2. Dissertatio de nova S. Gregorii Magni Editione procuranda a præfato Clarissimo Archiepiscopo Gradonico elucubrata.

S. Gregorii Magni Opera in italicum translata sermonem hæc circumferuntur. I. *Libri Moralium*, partim a Zenobio Strata, partim ab aliis versi prodierunt Florentiæ per Nicolaum Laurenti de Alemania 1486. Iterum Romæ distinctis annis in quatuor Tomos distributi. Primus Tomus prodiit 1714. Secundus 1721. Tertius 1725. Quartus 1730. Item Neapoli apud Joannem de Simone 1745. & 1746. II. *Dialogorum Libri* in italicam linguam translati a Magistro Leonardo de Utino prodiere Venetiis 1475. Iterum Mantuæ per Dominicum Rhochocerla 1481. Iterum Venetiis per Andream Toresani 1487. Iterum Cajetæ per Magistrum Justum 1488. Iterum Florentiæ per Jo. Stephanum Caroli Papiensem 1515. Iterum Venetiis per Cæsarem Arivabene 1518. Iterum ibidem per Dominicum Zio & Fratres 1528. Iterum, sed versi per Torrellum Fola Canonicum Fesulanum. Venetiis per Christophorum Zanetti 1575. Iterum versi a Joanne M. Tarsia Florentino ibidem 1582. Iterum ibidem apud heredes Petri Dauchini 1586. Iterum per Jo. Bonfadium 1509. Iterum per eundem 1606. III. Homiliæ italice ab Anonymo versæ prodiere Venetiis per Franciscum Bendoni, & Mapheum Pasini 1543. Sunt & nonnullæ in Collectione Florimontana, de qua in Vita S. Augustini. IV. *Vita S. Benedicti* scri-

scripta a S. Gregorio primum gallice versa a D. Josepho Mige Monacho Cassinensi, deinde latine ab alio Cassinensi prodiit Venetiis apud Christophorum Zane 1733. Legitur etiam in Vitis tredecim Confessorum italice editis a P. Joanne Petro Maffei. Brixiæ apud Vincentium Sabbio 1595. V. Desiderabatur italica versio *Pastoralis*, quam frustra quæsieris ante annum 1766. Licet enim ab Argelato Tom. 2. pag. 223. laudetur quædam itala versio sæculi quintidecimi, hæc tamen typis impressa nunquam apparuit, sed in Bibliothecis manuscripta delitescit. Ab præfato anno R. P. Lector Joannes Petrus Zeviani Veronensis Concellita meus, quem licet duobus ab hinc annis fato functum (hæc scribo anno 1777.) adhuc lugeo, italam hujus eximii Operis versionem, suo tamen reticito nomine, edidit & Joanni Bragadeno tunc Venetiarum Patriarchæ dedicavit. Typis prodiit Veronæ apud Moronum 1766. Versio elegans & fidelis tum Auctoris tum Interpretis digna. Hocce erga Concellitam suavissimum amoris mei pignus & argumentum posteritati lubens relinquo. S. GREG. M.

ARTICULUS SECUNDUS.

Præcipuorum S. Gregorii Operum Analysis.

INTER S. Gregorii Opera ratione temporis locum obtinent Moralia, sive libri Job Moralia Commentaria. Hoc opus, ut ipse scribit, S. Gregorius non sponte suscepit, sed precibus motus suorum Concellitarum, quos secum Constantinopolim munus Apocrisarii Sedis Apostolicæ gesturus adduxerat, „ad quorum con„ sortium (scribit) veluti (a) ad tutissimi portus sinum terreni „ actus volumina fluctusque fugiebam: ... & inter eos per studiosæ „ lectionis alloquium, quotidianæ me adspiratio compunctionis a„ nimabat... Iidem autem placuit, ut librum Beati Job exponere „ importuna me petitione compellerent; & prout veritas vires in„ funderet, eis mysteria tantæ profunditatis aperirem. Qui hoc „ quoque mihi in onere suæ petitionis addiderunt, ut non solum „ verba historiæ per allegoriarum sensus excuterem, sed allegoria„ rum sensus protinus in exercitium moralitatis inclinarem; adhuc „ aliquid gravius adjungentes, ut intellecta quæque testimoniis cin„ gerem; & prolata testimonia si implicita fortasse viderentur, in„ terpositione superadditæ expositionis enodarem". Difficillimum cognovit tantum laborem suscipere: quamobrem subdit: „Mox „ vero

(a) *In Epistola Operi præmissa cap. 1.*

[redacted] S. GREG. M. „ vero (*a*) ut in obscuro hoc opere, atque ante nos hactenus indiscusso, ad tanta me pertrahi ac talia cognovi, solo auditus „ pondere victus, fateor, lassatusque succubui. Sed repente inter „ formidinem, devotionemque deprehensus, cum in largitorem mu„nerum oculos mentis attollerem, cunctatione postposita, illico „ certus attendi, quia impossibile esse non poterat, quod de frater„nis mihi cordibus caritas imperabat . . . . Coram itaque positis „ fratribus, priora libri sub oculis dixi: & quia tempus paulo „ vacantius reperi, posteriora tractando dictavi. Cumque mihi „ spatia largiora suppeterent, multa augens, pauca subtrahens, „ atque ita ut inventa sunt nonnulla derelinquens " integrum Commentarium in libros trigintaquinque divisum in sex voluminibus explevit.

In Præfat. generali Ed. V. Tom. 1. pag. 7. Edit. Parif. ann. 1705. pag. 7. In præfatione itaque generali Commentario præfixa expositis diversorum Auctorum sensibus de libri Job Scriptore, quem nonnulli Moysem, alii unumquemlibet ex Prophetis fuisse arbitrantur, subdit: „ Sed quis (*b*) hæc scripserit, valde supervacue quæritur: „ cum tamen auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur. Ipse „ igitur hæc scripsit, qui scribenda dictavit. Ipse scripsit, qui & „ in illius opere inspirator extitit, & per scribentis vocem imitan„da ad nos ejus facta transmisit ". Arbitratur tamen verius, „ quod idem Beatus (*c*) Job, qui certamina spiritualis pugnæ sus„tinuit, etiam consummatæ suæ victoriæ gesta narravit. Nec „ (subdit) movere debet quod in eodem libro dicitur, *Dixit* „ *Job*: vel, *hæc atque illa pertulit Job*. Moris enim Sacræ Scri„pturæ est, ut ipsi qui scribunt, sic de se in illa quasi de aliis „ loquantur. Hinc est enim quod Moyses ait: *Erat Moyses vir* „ *mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra* (*d*). „ Hinc Joannes dicit: *Discipulus ille, quem diligebat Jesus* (*e*) ". Animadvertit deinde, Deum S. Job exemplum posuisse „ ad confu„tandam (*f*) impudentiam nostram, dum gentilis homo ad ex„emplum deducitur; ut quia obedire homo legi sub lege positus „ despicit, ejus saltem comparatione evigilet, qui sine lege legali„ter vixit . . . Homo gentilis (*g*), homo sine lege, ad medium „ adducitur, ut eorum qui sub lege sunt, pravitas confundatur ": Ostendit deinde, Job virtutem suam supra modum perfecisse „ dum „ devotus Deo inter flagella permansit (*h*); & cum illum expe„tisset hostis, ut consumeret, tentando egit, ut ejus merita auge„ret. Cum autem scriptum sit: *In omnibus his non peccavit* „ *Job labiis suis*, falluntur, dum quædam verba responsionum il„lius imperitis lectoribus aspera resonant . . . . & credunt (*i*)

„ B. Job

(a) *Cap.* 2. (b) *Ibid. c.* 1. *n.* 2.
(c) *Ibid. n.* 3. (d) *Num.* 12. 3.
(e) *Joan.* 21. 7. (f) *Cap.* 2. *n.* 4.
(g) *Num.* 5. (h) *Cap.* 3. *n.* 7.
(i) *Ibid. n.* 8.

,, B. Job in suis sermonibus deliquisse : minus caute intuentes , [redacted]
,, quia si Beati Job responsa redarguunt, falsam etiam de eo Domi- S. Greg. M.
,, ni sententiam fuisse testantur ".

His præmissis progreditur D. Gregorius ad textum Job explicandum, & quidem secundum triplicem sensum litteralem, moralem, & allegoricum. Et primo verba illa, *Vir erat in terra Hus nomine Job*, explicans scribit : ,, Idcirco (*a*) sanctus vir ubi habitaverit dicitur, ut ejus meritum virtutis exprimatur. Hus namque quis nesciat quod sit terra Gentilium? . . . Dicatur itaque ,, ubi habitavit, ut hoc ejus laudibus proficiat, quod bonus inter ,, malos fuit. Neque enim valde laudabile est bonum esse cum ,, bonis, sed bonum esse cum malis ". Nati quoque ejus septem filii & tres filiæ enumerantur, quia ,, sæpe (*b*) ad avaritiam ,, cor parentis illicit fœcunditas prolis. Eo enim ad ambitum ,, congregandæ hæreditatis accenditur, quo multis hæredibus fœcundatur. Ut ergo beati Job quam sancta mens fuerit, ostendatur: ,, & justus dicitur, & multæ prolis pater fuisse perhibetur. Qui ,, in libri sui exordio devotus in sacrificiis offerendis asseritur : ,, promptus autem largitatibus etiam post a semetipso memoratur. ,, Pensemus ergo quanta fortitudine præditus extitit, quem ad hæ- ,, reditatis tenaciam nec tot hæredum affectus inclinavit ". Dicitur S. Job de filiorum salute sollicitus, quotiescumque pertransibant dies convivii, quod fratres simul & sorores habebant, mittere consuevisse, ut eos sanctificaret offerens holocausta pro singulis. Holocaustum autem moraliter explicans S. Gregorius scribit : ,, Holocaustum (*c*) totum incensum dicitur. Holocaustum igitur ,, dare, est totam mentem igne compunctionis incendere, ut in a- ,, ra amoris cor ardeat, & quasi delicta propriæ sobolis, inquina- ,, menta cogitationis exurat ".

In præfatione vero secundi libri (*d*) observat 1. quod " Sacra ,, Scriptura non solum nobis Sanctorum virtutes asserit, sed etiam ,, casus innotescit, ut & in victoria fortium, quod imitando arripere, & rursum videamus in lapsibus, quod debeamus timere " : 2. De Sanctis Angelis loquens, inquirit, cur de illis dicatur, *Cum venissent, ut assisterent coram Domino* : ,, Si enim (scribit) semper vident (*e*), & semper assistunt, vigilanti cura quærendum ,, est, unde veniunt, qui nunquam recedunt ". Respondet vero : ,, Cum de illis per Paulum dicitur : '*Nonne omnes (f) sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis ?* per hoc, quod missos cognoscimus, ,, unde veniant invenimus ". Ac subdit : ,, Quomodo semper assistere, aut videre semper faciem Dei possunt, si ad ministerium ,, exterius pro nostra salute mittuntur " ? Quæstionem vero solvit statim

Liber 2. Edit. Venet. pag. 40. Edit. Parif. pag. 37.

(a) *Lib.* 1. *c.* 1. *n.* 1. (b) *Ibid. c.* 4. *n.* 5.
(c) *Ibid. c.* 35. *n.* 49. (d) *Lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 1.
(e) *Ibid. c.* 3. *n.* 3. (f) *Hebr.* 1. 14.

S. GREG. M.

statim dicens: ,, In hoc est natura angelica a naturæ nostræ con-
,, ditione distincta, quod nos & loco circumscribimur, & cæcita-
,, tis ignorantia coarctamur: angelorum vero spiritus loco quidem
,, circumscripti sunt, sed tamen eorum scientiæ longe super nos
,, incomparabiliter dilatantur . . . Quid enim de his quæ scienda
,, sunt, nesciunt, qui scientem omnia sciunt? . . . Et mittuntur
,, igitur, & assistunt: quia & per hoc quod circumscripti sunt,
,, exeunt; & per hoc quod intus quoque præsentes sunt, nunquam
,, recedunt. Et faciem ergo Patris semper vident, & tamen ad
,, nos veniunt; quia & ad nos spiritali præsentia foras exeunt, &
,, tamen ibi se, unde recesserant, per internam contemplationem
,, servant. Dicatur ergo: *Venerunt filii Dei, ut assisterent coram*
,, *Domino*. Quia illuc spiritus conversione redeunt, unde nulla
,, mentis aversione discedunt ".

Inquirit deinde ,, quomodo (*a*), inter electos Angelos Satan
,, adesse potuerit . . . Scriptum est: *Beati mundo corde, quoniam*
,, *ipsi Deum videbunt* (*b*). Satan vero, qui mundo corde esse
,, non potest, quomodo ad videndum Deum adfuisse potest "?
Respondet: ,, Intuendum est (*c*), quia adfuisse coram Domino,
,, non autem Dominum vidisse perhibetur. Venit quippe, ut vi-
,, deretur, non ut videret. Ipse in conspectu Domini, non au-
,, tem in conspectu ejus Dominus fuit: sicut cæcus cum in sole
,, consistit, ipse quidem radiis solis perfunditur, sed tamen lumen
,, non videt, quo illustratur ".

Observat vero, Satan nocere nobis non posse, nisi quantum illi
a Domino conceditur; quamobrem scribit (*d*): ,, Satanæ volun-
,, tas semper iniqua est, sed nunquam potestas injusta: quia a se-
,, metipso voluntatem habet, sed a Domino potestatem. Quod
,, enim ipse facere inique appetit, hoc Deus fieri nonnisi juste per-
,, mittit. Unde bene in libris Regum dicitur: *Spiritus* (*e*) *Do-*
,, *mini malus irruebat in Saul*. Ecce unus idemque spiritus, &
,, Domini appellatur, & malus: Domini videlicet per licentiam
,, potestatis justæ: malus autem per desiderium voluntatis in-
,, justæ ".

Explicans illa verba: *Egressusque est Satan a facie Domini*, in-
quirit: ,, Quo enim (*f*) exitur ab eo qui ubique est "? Respon-
det vero: Quamdiu Satan pressus majestatis potentia, appetitum
,, suæ malitiæ exercere non valuit, quasi ante faciem Domini ste-
,, tit. A facie autem Domini exiit; quia relaxatus divinitus ab
,, internæ retentionis angustia, ad sui desiderii effectum venit ".

Exponens vero illa verba: *Cum quadam die filii, & filiæ ejus*
comederent, & biberent vinum in domo fratris sui primogeniti,
observat, esse quædam tempora tentationibus congrua, scribens:
,, Tunc

(a) *Ibid. c.* 4. *n.* 4. (b) *Matth.* 5. 8.
(c) *Ibid. n.* 5. (d) *Ibid. c.* 10. *n.* 17.
(e) 1. *Reg.* 18. 10. (f) *Ibid. c.* 12. *n.* 21.

„ Tunc (*a*) quippe diabolus tentandi tempus elegit, quando beati S. GREG. M.
„ Job filios in convivio invenit. Neque enim solummodo intue-
„ tur hostis, quid faciat, sed etiam quando faciat. Nam quam-
„ vis potestatem acceperit, aptum tamen ad subversionem tempus
„ exquisivit: ut videlicet nobis Deo dispensante proderetur, quia
„ prænuntia tribulationis est lætitia satietatis ".

Ad verba autem illa: *Tunc surrexit Job, & scidit vestimenta sua*, sic scribit (*b*): „ Nonnulli magnæ constantiæ philosophiam
„ putant, si disciplinæ asperitate correpti, ictus verberum, doloresque non sentiant. Nonnulli vero tam nimis percussionum flagella
„ sentiunt, ut immoderato dolore commoti, etiam in excessum
„ linguæ dilabantur. Sed quisquis veram tenere philosophiam nititur, necesse est ut inter utraque gradiatur. Non est enim pondus veræ virtutis, insensibilitas cordis .... Rursus virtutis custodiam deserit, qui dolorem verberum ultra quam necesse est
„ sentit... Beatus itaque Job (*c*), quia veræ philosophiæ regulam tenuit, contra utraque mira se æquitatis arte servavit: ut
„ nec dolorem non sentiens, flagella sperneret: nec rursum ultra
„ modum dolorem sentiens, contra judicium flagellantis insaniret.
„ Cunctis enim rebus perditis, cunctis liberis amissis, surrexit,
„ scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram adoravit. Quod vestimenta scidit, quod tonso capite in terram corruit, monstrat nimirum, quia flagelli dolorem sensit. Quod vero adjicitur, *Adoravit*, aperte ostenditur, quia & in dolore positus contra flagellantis judicium non excessit ".

Verba vero: *Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc*, sic ad litteram interpretatur (*d*): „ Quia judicante Domino, cuncta amiserat, pro servanda patientia illud
„ tempus ad memoriam reduxit, quo necdum ista, quæ perdidit,
„ habebat: ut dum intuetur quod aliquando illa non habuit, dolorem temperet quod amisit. Magna enim consolatio est in rerum amissione, illa tempora ad mentem reducere, quibus nos
„ contigit res, quas perdidimus, non habuisse ".

Quam bene autem dixerat S. Job: *Dominus dedit, Dominus abstulit*, ostendit S. Gregorius subdens (*e*): Sanctus vir, tentante
„ adversario, cuncta perdiderat; sed tamen sciens, quia contra se
„ Satan tentandi vires, nisi permittente Domino, non habebat,
„ non ait: Dominus dedit, diabolus abstulit; sed *Dominus dedit*,
„ *Dominus abstulit* ... Beatus itaque Job (*f*) percussus damno
„ rerum, percussus morte filiorum, quia vim doloris vertit in laudem conditoris dicens: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum*, superbum hostem humiliavit, crudelem
„ patientia stravit ".

(a) *Ibid. cap.* 13. *n.* 22. (b) *Ibid, cap.* 16. *n.* 28.
(c) *Num.* 29. (d) *Cap.* 17. *n.* 30.
(e) *Cap.* 18. *n.* 31. (f) *Num.* 32.

S. GREG. M. Quando vero Job maledixit diei, in qua natus eſt, non eſſe ejus verba litteraliter accipienda docet (*a*): „ quomodo enim maledictioni „ ſubeſſe poteſt, quod nullo modo exiſtit? modus quippe temporis „ eſt, ut ſtatum non habeat manſionis... Quia igitur verba hæc in „ ſuperficie a ratione diſcordant, ipſa jam littera indicat, quod in „ eis Sanctus vir juxta litteram nihil dicat ". Quomodo vero ſint intelligenda, exponit ſubdens: Quid debet (*b*) per diem nativitatis, niſi omne hoc tempus noſtræ mortalitatis intelligi? Quod „ quamdiu nos in hac noſtræ mutabilitatis corruptione retinet, „ æternitatis nobis incommutabilitas non apparet. Qui igitur „ diem jam æternitatis videt, ægre diem ſuæ mortalitatis ſuſtinet. „ Et notandum quia non ait: *Pereat dies*, *in qua conditus*, ſed „ *Pereat dies*, *in qua natus ſum*. In die quippe juſtitiæ homo eſt „ conditus, ſed jam in tempore culpæ natus. Adam enim conditus, ſed Cain primus natus eſt. Quid eſt ergo diei nativitatis „ maledicere, niſi aperte dicere: dies mutabilitatis pereat, & lumen æternitatis erumpat "? Hinc oſtendit (*c*) „ quod Jobi „ maledictio non eſt ex malitia delinquentis, ſed ex rectitudine judicis: non eſt ira commoti, ſed doctrina tranquilli. Qui enim „ tam recta maledicens intulit, non perturbationis vitio ſuccubuit, „ ſed doctrinæ magiſterium impendit. Vidit quippe amicos cum „ clamore flere, vidit veſtes ſcindere, vidit pulvere capita conſperſiſſe, vidit conſideratione ſuæ percuſſionis obmuteſcere; & vir „ ſanctus inſpexit, quia hi, qui proſpera temporalia requirebant, „ ex comparatione mentis propriæ eum temporali fractum adverſitate crediderant. Perſpexit quod tranſitoria afflictione percuſſum „ deſperate non flerent, niſi ipſi deſperatam mentem ab ſpe incolumitatis internæ ſubtraherent; & dum erumpit foras in vocem „ doloris, vulneratis intus oſtendit virtutem medicaminis, dicens: „ *Pereat dies*, *in qua natus ſum*... quaſi diceret, dies mutabilitatis pereat, & lumen æternitatis erumpat.... Nam quaſi „ (*d*) dies quædam eſt, cum mundi hujus proſperitas arridet. Sed „ dies iſte in noctem deſinit, quia ſæpe temporalis proſperitas ad „ tribulationis tenebras perducit ". Quamobrem merito obſervat (*e*), quod „ ſancti viri cum ſibi ſuppetere proſpera hujus mundi „ conſpiciunt; pavida ſuſpicione turbantur. Timent enim, ne hic „ laborum ſuorum fructus recipiant, ne quod divina juſtitia latens „ in eis vulnus aſpiciat, & exterioribus eos muneribus cumulans „ ab intimis repellat... Sciunt etiam, quia mens dum blanda occupatione premitur, aliquando libens ad exteriora derivatur ". Econtra vero „ per adverſitatem nonnunquam homo cum exterius „ premitur, ad concupiſcenda quæ intus ſunt, liberius relaxatur ".

Incipit

(a) *Lib.* 4. *in præfat. c.* 2. & 3.
(b) *Lib.* 4. *c.* 1. *n.* 4. (c) *Ibid. n.* 3.
(d) *Ibid. c.* 13. *n.* 24. (e) *Lib.* 5. *c.* 1. *n.* 1.

S. CÆSAR. Pars Secunda. Liber 6.

Incipit in hac secunda parte D. Gregorius ab explicatione versiculi tertii capitis quinti, & allegorice exponit dicens, per Job Christum & Ecclesiam, & per ejus amicos hæreticos designari. Scribit siquidem: „ Beatus Job (*a*) latino eloquio *Dolens* dicitur, „ ut per ejus & nomen & vulnera, Redemptoris nostri passio de- „ signetur, de quo Propheta ait: *Vere languores nostros ipse tulit,* „ *& dolores nostros ipse portavit* (*b*). Cui tentator, ablatis o- „ mnibus, & servos, & filios occidit: quia non solum Judaicum „ populum ex timore servientem, sed ipsos quoque Apostolos in „ suo amore regeneratos, passionis ejus tempore telo perfidiæ per- „ culit ". Præfiguratur etiam Ecclesia, „ quæ Christi corpus est, „ & quæ non solum per extrema & ultima, sed usque ad summa „ membra persecutione sæviens tentator affligit .... Cui suadere „ uxor ad maledicendum nititur: quia carnales quique intra san- „ ctam Ecclesiam adjutores callidi tentatoris existunt ... Amici „ vero illius, qui quasi ad consolandum veniunt, sed ad verba as- „ peræ invectionis excedunt, hæreticorum speciem tenent, qui cum „ contra bonos Deum defendere nituntur, offendunt ".

Bonum vero adversitatis, & tribulationis ostendit ad illa verba: *Homo ad laborem nascitur, & avis ad volatum*, scribens: „ Ad „ laborem (*c*) quippe nascitur homo; quia valde impossibile est, „ ut hæc peregrinationis suæ tempora sine gemitu evadat ... Sed „ in eo quod caro flagellis afficitur, mens ad appetenda altiora „ sublevatur ... Homo ergo ad laborem nascitur, & avis ad vo- „ latum: quia inde mens ad summa evolat, unde caro in infirmis „ durius laborat ".

Quomodo autem miracula sint accipienda, ostendit explicans Jobi verba: *Qui facit magna & inscrutabilia, & mirabilia*, scribens: „ Sciendum est (*d*), quia divina miracula & semper debent consi- „ derari per studium, & nunquam discuti per intellectum. Sæpe „ namque humanus sensus dum quarumdam rerum rationem quæ- „ rens non invenit, in dubitationis se voraginem mergit .... „ Mira igitur ex fide credenda sunt, perscrutanda per rationem „ non sunt; quia si hæc nostris oculis ratio expanderet, mira non „ essent ".

In humilitatis laudem excurrit scribens (*e*): „ In sublimi hu- „ miles ponuntur, quia cum se ex humilitate substernunt, altæ „ mentis judicio cuncta temporalia transeunt: cumque se indignos „ in omnibus æstimant, rectæ cogitationis examine hujus mundi „ gloriam transcendentes calcant ..... Sancti viri foris despecti „ sunt, & velut indigni omnia tolerant: sed dignos se supernis „ sedibus confidentes, æternitatis gloriam cum certitudine expe-

 „ ctant:

(a) *Ibid. cap.* 1. *n.* 1.
(b) *Isai.* 53. 4. (c) *Cap.* 13. *n.* 15.
(d) *Ibid. cap.* 15. *n.* 19.
(e) *Ibid. cap.* 16. *n.* 24.

S. GREG. M. „ ctant: cumque laborant foris adversitate persecutionis, ad munitam recurrunt intrinsecus arcem mentis ; & inde cuncta sub se ire despiciunt, inter quæ & transire corporaliter etiam semetipsos cernunt ; minas non metuunt, quia & tormenta patiendo contemnunt “.

Veram lætitiam dicit solis bonis convenire : iniquorum autem lætitiam ex insania prodire, scribens: „Sæpe in hoc mundo (a) etiam læti quilibet erecti sunt, dum de ipsa gloria suæ prosperitatis intumescunt. Sed mœrentes Dominus sospitate erigit : quia afflictos suos ad gloriam veræ lætitiæ soliditate sustollit. Sospitate quippe, non insania erecti sunt, qui in bonis actibus positi, spe in Deum firma gratulantur. Nonnulli enim, sicut diximus, & iniquitates perpetrant, & gaudere non cessant ... Hi nimirum non sospitate eriguntur, sed insania, qui superbiunt cum affligi debuerant ; & inde miseri in exultatione defluunt, unde a bonis flentur “.

Dei vero voluntatem semper etiam a malis impleri ostendit, dicens: „ Justus & misericors Deus (b) mortalium acta disponens, alia concedit propitius, alia permittit iratus ; atque ea, quæ permittit, sic tolerat, ut hæc in sui consilii usum vertat. Unde miro modo fit, ut & quod sine voluntate Dei agitur, voluntati contrarium non sit : quia dum in bonum usum mala facta vertuntur, ejus consilio militant etiam quæ ejus consilio repugnant .... Sic quippe ejus opera magna sunt, ut per omne quod ab hominibus agitur, ejus voluntas exquiratur “.

In explicatione verborum Job: *Beatus homo, qui corripitur a Domino*, utilitatem ostendit tribulationum, scribens : „ Plerumque (c) culpas non solum imminentes minime vitamus, verum etiam nec commissas agnoscimus. Et peccatorum mens tanto altius tenebrescit, quanto nec damnum suæ cæcitatis intelligit. Unde fit plerumque divini muneris largitate, ut culpam pœna subsequatur ; & flagella oculos delinquentis aperiant, quos inter vitia securitas cæcabat. Hinc itaque ipsa asperitas correptionis, origo fit luminis “.

Quomodo vero sint doctrinæ verba aptanda, ostendit explicans illa verba : *Quod auditum, mente pertracta*, unde scribit : „ Quantalibet (d) doctrina mens polleat, gravis ejus imperitia est, velle docere meliorem. Unde & ea quæ ab amicis recte prolata sunt, ab interno arbitro non recta judicantur. In eo namque vim suæ rectitudinis amittunt, quod auditori non congruunt: quia & medicamina vires perdunt, cum sanis membris apponuntur. In omni ergo quod dicitur, necesse est ut causa, „ tem-

(a) *Ibid. num.* 26.
(b) *Ibid. c.* 18. *n.* 33.
(c) *Ibid. cap.* 23. *n.* 40.
(d) *Ibid. cap.* 39. *n.* 64.

„ tempus, & persona pensetur; si verba sententiæ veritas roborat, si hanc tempus congruum postulat, si & veritatem sententiæ, & congruentiam temporis personæ qualitas non impugnat. Ille enim laudabiliter spicula emittit, qui prius hostem quem feriat, conspicit. Male namque arcus validi cornua subigit; qui sagittam fortiter dirigens civem ferit“. S. GREG. M.

In hoc septimo libro totum caput sextum, postremis tribus versiculis exceptis, explicat S. Gregorius: & primo quidem Jobi patientiam invictam exornat, scribens (*a*): „ Quorumdam mentes plus flagella, quam convicia cruciant: quorumdam vero plus convicia, quam flagella castigant . . . Unde beato Job ne deesse tentatio ulla potuisset, non solum hunc flagella desuper feriunt, sed graviora plagis amicorum colloquia affligunt . . . Sed tactus plagis gratias retulit, lacessitus verbis recta respondit: & percussus innotescit, quam pro minimo salutem carnis habuerit. Loquens quoque indicat, quam sapiens tacebat“. Ostendit deinde, quomodo „ quædam ejus verba, quæ apud humana judicia patientiæ limitem transire videantur, talia tamen non sint, si superni sententiam judicis in eorum examinatione pensamus. Ipse quippe B. Job & prius contra adversarium prætulit dicens: *Vidisti Servum meum Job, quod non ei similis est super terram, vir simplex & rectus . . . ?* Ipse post probationem amicos ejus redarguit dicens: *Non estis loquuti coram me rectum, sicut servus meus Job*. Restat ergo, ut cum mens in Beati Job sermonibus fluctuat, eorum pondus ex ejusdem historiæ initio ac fine perpendat. Ab æterno enim judice nec casurus laudari potuit, nec lapsus præferri. Liber Septimus.

Ostendit vero, quomodo justis pœnæ ad emendationem prosint, scribens super illa verba: *Indignatio ebibit spiritum meum*: „ Sagittæ (*b*) autem Domini spiritum hominis ebibunt, cum supernæ animadversionis sententiæ afflictam animam ab elatione compescunt. Sagittæ Domini spiritum hominis ebibunt, quia intentum exterioribus introrsus trahunt. Epotatus namque David spiritus fuerat, cum dicebat: *In deficiendo in me Spiritum meum; & tu cognovisti semitas meas* (*c*) . . . Sagittarum ergo indignatio justi spiritum ebibit: quia supernæ sententiæ electos, quos in peccatis inveniunt, dum vulnerant, immutant, ut duritiam suam transfixa mens deserat, atque ex salutifero vulnere sanguis confessionis currat“.

Explicans illa verba: *Aut poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum?* ostendit electis & justis perquam gravia esse verba & mores carnalium, scribens: „ Verba quippe (*d*) moresque carnalium, quasi cibum se nostris mentibus ingerunt, ut in delectationis ventre rapiantur. Sed electus quisque insulsum non

 „ come-

(a) *Cap.* 1. *n.* 1. (b) *Ibid. cap.* 5. *n.* 5.
(c) *Psal.* 141. *v.* 4. (d) *Ibid. cap.* 13. *n.* 15.



S. GREG. M.

,, comedit: quia pravorum dicta, factaque dijudicans ab ore cor-
,, dis repellit . . . Sæpe autem verba carnalium, dum se impor-
,, tune nostris auribus ingerunt, in corde bellum tentationis gi-
,, gnunt: & quamvis hæc & ratio respuat, & lingua reprehendat;
,, cum labore tamen intus vincitur, quod foris cum auctoritate ju-
,, dicatur. Unde necesse est, ut nec ad aures veniat, quod mens
,, a cogitationis aditu vigilans repellat ".

Quomodo Dei judicia timenda sint, docet in explicatione verborum Job: *Solvat manum suam, & succidat me*, scribens: ,, Cum
,, nos (*a*) extolli Conditor conspicit, sed amorem suum erga nos
,, per verbera non exercet, quasi ad ferienda nostra vitia manum
,, ligatam tenet. Annon affectus sui manum ligaverat, cum pec-
,, canti populo dicebat: *Jam non irascar tibi* (*b*): Et: *Zelus*
,, *meus recessit a te* (*c*)? *Solvat* ergo *manum* dicitur, exerceat
,, affectum. Recte autem subjungitur: *Et succidat me*. Cum enim
,, securos nos ac de virtutum affluentia elatos, repentinus vel flagelli
,, dolor, vel infirmitatis tentatio percutit, protinus ab statu sui ver-
,, tice mentis nostræ elatio succisa cadit; ut de semetipsa nihil au-
,, deat, sed infirmitatis suæ ictu prostrata, manum levantis quærat ".

Discrimen assignat inter fortitudinem justorum, & reproborum ad illa Jobi verba: *Quæ est fortitudo mea, ut sustineam?* scribens: ,, Justorum (*d*) fortitudo est carnem vincere, propriis vo-
,, luntatibus contraire, delectationem vitæ præsentis extinguere,
,, hujus mundi aspera pro æternis præmiis amare, prosperitatis
,, blandimenta contemnere, adversitatis metum in corde superare.
,, Reproborum vero fortitudo, est transitoria sine cessatione dili-
,, gere, contra flagella conditoris insensibiliter perdurare, ab amore
,, rerum temporalium nec ex adversitate quiescere, ad inanem glo-
,, riam etiam cum vitæ detrimento pervenire, malitiæ augmenta
,, exquirere, bonorum vitam non solum verbis, ac moribus, sed
,, etiam gladiis impugnare, in semetipsis spem ponere, iniquitatem
,, quotidie sine ullo desiderii defectu perpetrare ".

Quid sibi invicem præstent amor Dei, & proximi, declarat ad illa Jobi verba: *Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Domini derelinquit*, scribens: ,, Quia (*e*) duo sunt præcepta ca-
,, ritatis, Dei videlicet amor & proximi: per amorem Dei amor
,, proximi gignitur, & per amorem proximi amor Dei nutritur.
,, Nam qui amare Deum negligit, profecto diligere proximum ne-
,, scit; & tunc plenius in Dei dilectione proficimus, si in ejusdem
,, dilectionis gremio prius proximi caritate lactamur. Quia enim
,, amor Dei amorem proximi generat, dicturus per legem Do-
,, minus, *Diliges proximum tuum*; præmisit dicens: *Diliges Do-*
,, *minum Deum tuum*: ut scilicet in terra pectoris nostri, prius
,, amo-

(a) *Ibid. cap.* 18. *n.* 21.
(b) *Isaj.* 54. 9. (c) *Ezech.* 16. 42.
(d) *Ibid. cap.* 21. *n.* 24. (e) *Ibid. cap.* 24. *n.* 28.

„ amoris sui radicem figeret, quatenus per ramos postmodum di- „ lectio fraterna germinaret “. S.GREG. M.

Ostendit quomodo aliquando peccandi consuetudo a mentis cæcitate præveniatur: aliquando vero ipsa cæcitas consuetudinem præcedat, scribens: „ Sciendum est (a), quod aliquando prius oculus „ intellectus obtunditur, & postmodum captus animus per exte- „ riora desideria vagatur: ut cæca mens quo ducitur nesciat, & „ carnis suæ illecebris sese libenter subdat. Aliquando vero prius „ desideria carnis ebulliunt, & post longum usum illiciti operis, „ oculum cordis claudunt. Nam sæpe mens recta cernit, nec ta- „ men audenter contra perversa se erigit: & renitens vincitur, „ dum hoc ipsum quod agit dijudicans, carnis suæ delectatione „ superatur “.

Librum claudit, ostendens, quomodo ita lingua regenda sit, ut per disciplinam retineatur, & ex necessitate laxetur, scribens: „ Studiose lingua (b) sub magni moderaminis libratione frenanda „ est, non insolubiliter obliganda: ne aut laxata in vitium de- „ fluat, aut restricta etiam ab utilitate torpescat. Hinc namque „ per quemdam dicitur: *Sapiens tacebit usque ad tempus (c):* „ ut nimirum cum opportunum considerat, postposita censura si- „ lentii, loquendo quæ congruunt, in usum se utilitatis im- „ pendat “.

In octavo libro reliquam partem capitis sexti, & totum septimum, ac octavum exponit. Præcipue vero a versiculo undecimo capitis octavi usque ad finem, hypocrisis vitium late perstringit. Explicans vero illa Jobi verba: *Militia est vita hominis super terram*, 1. ex veteri translatione legit *tentatio est &c.* Deinde ostendit, quoad sensum (d) unum eumdemque intellectum efformare, subdens: „ Quid enim nisi pugna contra malignos spiritus „ nomine tentationis exprimitur? Et quid appellatione militiæ, „ nisi contra hostes exercitium designatur? Tentatio itaque ipsa „ militia est; quia dum contra malignorum spirituum insidias vi- „ gilat, in bellorum procinctu proculdubio exsudat . . . Sponte „ quippe ab statu conditionis lapsa, & corruptionis suæ putredini „ subdita, dum sibi ex semetipsa molestias gignit, hoc est jam fa- „ cta quod tolerat. Quia enim statum mentis inclinata deseruit, „ quid in se nisi motum varietatis invenit? Unde nunc etsi ad „ summa appetenda se erigit, mutabilitatis lubricæ impulsu pro- „ tinus ad semetipsam cadit. Vult in contemplatione stare, sed „ non valet. Cogitationis gressum figere nititur, sed infirmitatis „ suæ lapsibus enervatur . . . Ipsa ergo hominis vita tentatio est, „ cui ex semetipsa nascitur unde perimatur. Quæ etsi semper ex „ virtute succidit, quod ex infirmitate generat: semper tamen ex „ infir- Liber Octavus.

(a) *Ibid. cap.* 28. *n.* 37.
(b) *Ibid. cap.* 37. *n.* 61.
(c) *Eccli.* 20. 7. (d) *Ibid. cap.* 6. *n.* 8.

S.GREG. M. „ infirmitate generat, quod ex virtute succidat... Sic itaque (a) „ humana vita tentatio est: ut etsi jam ab iniquitatis perpetratione compescitur, in ipsis tamen bonis operibus modo malorum „ memoria, modo seductionis caligine, modo intentionis suæ interruptione fuscetur ".

Justos autem in hac vita peregrinantes mercenariis similes, ostendit, dum explicans illa verba Jobi: *Et sicut mercenarii dies ejus*, scribit: „ Dies hominis (b) vera & æterna sapientis, recte „ mercenarii diebus comparantur: quia præsentem vitam, viam non „ patriam, militiam non palmam deputat: & eo se abesse longius a præmio conspicit, quo tardius ad finem venit . . . Mercenarius sollicite curat inspicere, ne unquam dies vacuus labatur „ ab opere. Nam cum opus crescit, præmii fiducia proficit: cum „ vero opus torpuerit, spes a remuneratione lassescit. Unde & „ electus quisque vitam suam quasi mercenarii dies pensans, tanto „ fidentius spe tendit ad præmium, quanto nunc robustius perdurat „ ad laboris incrementum: qui sit decursus præsentis temporis pensat, dies cum operibus numerat; ne a labore vacua transeant „ vitæ momenta, formidat ".

Amore præsentium non teneri docet illos, qui vitæ hujus recogitant brevitatem, dicens: „ Pensandum est (c) quod carnales „ mentes idcirco præsentia diligunt, quia vita carnis quam fugitiva sit, minime perpendunt. Nam si velocitatem transitus ejus „ aspicerent, hanc etiam prosperantem minime amarent ".

Stultitiam reproborum ostendit, qui ne instante quidem vitæ termino de morte non cogitant, scribens: „ Reproborum mens (d) „ erga dies vitæ præsentis tanto amore constringitur, ut sic semper „ hic appetant vivere, quatenus, si valeant, vivendi cursum desiderent nunquam finire. Cogitare quippe ventura despiciunt, spem „ totam in rebus transeuntibus ponunt: habere nulla, nisi quæ „ prætereunt, concupiscunt . . . . & sic cæcitate insensibili cordis „ oculus clauditur, ut æternæ luci nullatenus intendatur. Unde „ fit, ut sæpe jam corpus molestia quatiat, & vicina mors virtutem vitalis spiritus incidat: nec tamen curare quæ mundi sunt „ desinant. Jamque eos ultor ad judicium pertrahit: & tamen „ ipsa ordinatione solicita rebus transeuntibus occupati, nihil aliud „ cogitant, nisi in hoc mundo adhuc qualiter vivant. Relinquendo „ omnia quasi possidendo disponunt: quia spes vivendi non frangitur, etiam cum vita terminatur ".

Ad peccatorum apertam confessionem urget, explicans Jobi verba: *Ego non parcam ori meo*, scribens: Ori suo (e) parcit, qui confiteri „ malum quod fecit, erubescit. In laborem quippe os mittere est „ hoc ad confessionem perpetratæ iniquitatis occupare. Sed justus „ ori

(a) *Ibid. n.9.* (b) *Ibid. cap.7. n.12.*
(c) *Ibid. cap.10. n.25.* (d) *Ibid. cap.12 n.27.*
(e) *Ibid. cap.20. n.36.*

„ ori suo non parcit ; quia iram judicis districti præveniens, verbis contra se propriæ confessionis sævit . . . Hinc scriptum est: *Justus in principio accusator est sui* (a). Sed nequaquam ad confessionem os panditur, nisi cum consideratione districti judicii per pavorem spiritus angustatur ". S.Greg. M.

Ostendit, quomodo ex justis alii terrena retineant, alii abjiciant, & semper recte, scribens: „ Sunt (b) nonnulli justorum, qui sic „ cælestia appetunt, ut tamen a terrenorum spe minime frangantur. Largita divinitus patrimonia ad necessitatis subsidium possident, honores sibi temporaliter impensos tenent: aliena non „ ambiunt, suis licite utuntur. Qui tamen ab eisdem rebus, quas „ habent, alieni sunt; quia ad hæc ipsa, quæ possident, ex desiderio non tenentur. Et sunt nonnulli justorum, qui ad comprehendendum culmen perfectionis accincti, dum altiora interius appetunt, exterius cuncta derelinquunt: qui rebus se habitis nudant, „ gloria honoris expoliant, qui internorum desiderio per assiduitatem se amici mœroris afficiunt, habere de exterioribus consolationem nolunt: qui internis gaudiis dum mente appropiant, „ vitam in se funditus corporeæ delectationis necant ".

Quomodo sint bona opera occultanda docet: „ Bona nostra (c) „ & intempestive manifestata depereunt, & diutius occultata solidantur: quia humanæ occupationis manus cum incipientem conversationis nostræ vitam contigerit, quasi recentem parietem impellit, eamque facile destruit, qui adhuc honorem infirmitatis „ propriæ non amisit. Cum vero in longa quietis tuæ abjectione se animus comprimit, quasi more exsiccati parietis contra „ ictus obdurescit, & confractum protinus resilit omne, quod solidum ferit . . . Sæpe autem novæ conversationis primordia (d) „ adhuc ex carnali sunt vita commixta: & idcirco innotescere citius non debent, ne cum laudantur bona quæ placent, deceptus „ laude sua animus deprehendere in eis nequeat mala quæ latent ".

In hoc libro D. Gregorius caput nonum & decimum Jobi explanat. Et 1. quidem Dei sapientiam & fortitudinem exaltat indicatas in verbis Jobi: *Sapiens corde est*, & *fortis robore*, scribens: „ Sapiens Deus dicitur (e), quia occulta nostra subtiliter „ agnoscit: & esse fortis adjungitur, quia valenter cognita percutit. Nec falli ergo a nobis, quia sapiens; nec vitari, quia „ fortis est, valet. Nunc ut sapiens omnia invisibilis aspicit: „ tunc ut fortis sine ullo obstaculo, quos reprobat punit. Qui hoc „ quoque hic forti sapientia ordinat, ut humana mens cum contra „ auctorem se elevat, ipsa se sua elatione confundat ". Liber Nonus.

Cur in Sacra Scriptura profanorum auctorum dicta referantur, ratio-

(a) *Prov. 18. 17.* (b) *Ibid. cap. 26. n. 45.*
(c) *Ibid. cap. 47. n. 78.* (d) *Ibid. n. 79.*
(e) *Ibid. cap. 4. n. 4.*

S. GREG. M. rationem reddit ad illa verba Jobi: *Qui facit Arcturum, & Oriones, & Hyades*, scribens: „ Nequaquam (*a*) sermo veritatis vanas Hesiodi, Arati, & Callimachi fabulas sequitur, ut Arcturum nominans extremam stellarum septem caudam Ursæ suspicetur, & quasi Orion gladium teneat amator insanus. Hæc quippe astrorum nomina, a cultoribus sapientiæ carnalis inventa sunt: sed Scriptura Sacra idcirco eisdem vocabulis utitur, ut res, quas insinuare appetit, notitia usitatæ appellationis exprimantur. Nam si astra quæ vellet, per ignota nobis nomina diceret; homo, pro quo hæc eadem Scriptura facta est, nesciret proculdubio quid audiret. Sic igitur in sacro eloquio sapientes Dei sermonem trahunt a sapientibus sæculi, sicut in eo pro utilitate hominis vocem in se humanæ passionis ipse conditor hominum sumit Deus, ut videlicet dicat: *Pœnitet me fecisse hominem super terram* (*b*): cum profecto constet, quia is, qui cuncta prius quam veniant, conspicit, nequaquam postquam aliquid fecerit, pœnitendo resipiscat ".

Ostendit deinde, quinam illis nominibus designentur, & *Arcturum*, „ qui in cæli axe septem stellarum radiis fulget (*c*), Ecclesiam significare universalem dicit, quæ in Joannis Apocalypsi per septem Ecclesias, septemque candelabra figuratur. Oriones vero, qui hiemali tempore oriuntur, & tempestates excitant (*d*), & maria terrasque perturbant, Martyres dicit denotari, qui pondus persequentium molestiasque passuri ad cæli faciem quasi in hieme venerunt ". Hyadas vero (*e*) juvenescente verno prodeuntes, & quæ cum jam sol caloris vires exerit, ostenduntur, designari dicit Ecclesiæ Doctores, „ qui subductis Martyribus, eo jam tempore ad mundi notitiam venerunt, quo fides clarius elucet . . . . qui remota tempestate persecutionis, expletis noctibus longæ infidelitatis, tunc sanctæ Ecclesiæ exorti sunt, cum ei jam per credulitatis vernum lucidior annus aperitur ".

Quanta sit humanæ mentis ab originali peccato cæcitas inducta, ostendit, scribens: „ Seclusum quippe (*f*) ab internis gaudiis genus humanum, exigente culpa, mentis oculos perdidit: & quo meritorum suorum passibus graditur, nescit. Sæpe enim donum gratiæ est, quod iram deputat: & sæpe divinæ districtionis ira est, quod gratiam putat. Nam plerumque gratiam æstimat dona virtutum: & tamen eisdem donis elatus corruit. Plerumque velut iram metuit adversa tentationum: & tamen eisdem tentationibus pressus ad virtutum custodiam cautior exsurgit.

Qua ratione Dei iræ nemo resistere valeat, ostendit ad illa verba Jobi: *Deus, cujus resistere iræ nemo potest*, scribens: „ Mirum „ val-

(a) *Ibid. cap.* 11. *n.* 12.
(b) *Gen.* 6. 7. (c) *Ibid. n.* 13.
(d) *Ibid. n.* 14. (e) *Ibid. n.* 15.
(f) *Ibid. cap.* 13. *n.* 20.

„ valde est (*a*), quod iræ Dei nullum posse resistere dicitur, cum „ multos indignationi supernæ animadversionis obviasse, eloquia divina testentur. An non iræ Dei Moyses restitit, qui pro cadente „ populo erectus, ipsum supernæ persecutionis impetum mortis „ suæ oblatione restrinxit? .. An non iræ Dei Aaron restitit..? „ An non Phinees? .. An non David, qui Angelo ferienti se „ offerens, placationis gratiam & ante tempus propositum exegit? „ An non Elias iræ Dei restitit, qui longo jam tempore terra „ arente, subductas de cælo pluvias verbo revocavit? .. Iræ igitur & resisti valet, quando ipse qui irascitur, opitulatur; & „ resisti omnino non valet, quando se & ad ulciscendum excitat, „ & ipse precem quæ ei funditur, non aspirat. Hinc ad Jeremiam dicitur: *Tu ergo noli orare pro populo hoc, & ne assumas* „ *pro eis laudem & orationem: quia non exaudiam in tempore* „ *clamoris eorum ad me* (*b*)".

S. GREG. M.

Ignorantiæ nostræ utilitates & incommoda exponit dicens: „ Plerumque si scimus bona (*c*) quæ agimus, ad elationem ducimur; „ si nescimus, minime servamus. Quis enim aut de virtutis suæ „ conscientia non quantulumcumque superbiat? Aut quis rursum „ bonum in se custodiat quod ignorat? Sed contra utraque quid superest, nisi ut recta quæ agimus, sciendo nesciamus: ut hæc & „ recta æstimemus, & minima: quatenus & ad custodiam sanctificet animum scientia rectitudinis, & in tumorem non elevet æstimatio minorationis"?

Explicans verba Jobi: *Et innocentem, & impium ipse consumit*, scribit: „ Innocens a creatore (*d*) consumitur, quia quantalibet ejus „ simplicitas fuerit, divinæ magnitudinis simplicitate devoratur. „ Quamvis enim simplicitatem studiose servemus, ex consideratione „ tamen intimæ puritatis ostenditur, quod hæc ipsa, quam agimus, „ simplicitas non sit. Impius quoque a conditore consumitur, quia „ Deo cuncta mirabiliter ordinante, ipsis suis versutiis ejus impietas ligatur. Nam inde se suppliciis & nesciens implicat, „ unde se aliquid facere scienter exultat... Igitur Omnipotens „ Deus & bonorum innocentiam simplicitate superat, & malorum „ astutiam penetrans damnat".

Quomodo & de ipsis bonis operibus timendum sit, nos instruit S. Gregorius ad illa Jobi verba: *Verebar omnia opera mea*, scribens: „ Quid (*e*) vir sanctus sua opera verebatur, qui illa semper exhibuit, ex quibus placari Deus erga iniquitates solet? „ Quid est quod mira opera faciens, hæc ipsa etiam veretur pavens, „ cum dicit *Verebar, &c.*? nisi quod in sancti viri actibus verbisque „ colligimus, ut si placere Deo veraciter cupimus, postquam perversa subigimus, ipsa in nobis etiam bene gesta timeamus".

Pec-

(a) *Ibid. cap.* 16. *n.* 23. (b) *Jer.* 7. 16.
(c) *Ibid. cap.* 25. *n.* 37. (d) *Ibid. cap.* 26. *n.* 40.
(e) *Ibid. cap.* 34. *n.* 52.

S. GREG. M.

Peccatis Deum nunquam parcere declarat, explicans Jobi verba: *Sciens quod non parceres delinquenti:* quare scribit: „ Si delinquenti non parcitur (*a*), quis ab æterna morte eripitur, cum a „ delicto mundus nemo reperitur? . . . Delinquenti Dominus ne„ quaquam parcit, quia delictum sine ultione non deserit. Aut „ enim ipse hoc homo in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum „ homine vindicans, percutit. Nequaquam igitur peccato parci„ tur, quia nullatenus sine vindicta laxatur. Sic David audire „ post confessionem meruit: *Dominus transtulit peccatum tuum* „ *a te* (*b*). Et tamen multis post cruciatibus afflictus ac fugiens, „ reatum culpæ quam perpetraverat, exsolvit. Sic nos salutis „ unda a culpa primi parentis absolvimur: sed tamen reatus „ ejusdem culpæ diluentes, absoluti quoque adhuc carnaliter obi„ mus ".

Timorem perfectam non inducere cordis conversionem ostendit, dum explicans illa verba Jobi: *Neque enim possum metuens respondere*, scribit: Respondere homo (*c*) divinis beneficiis debet; „ sed „ tamen respondere metuens non valet, quia humani generis con„ ditorem qui adhuc serviliter formidat, proculdubio non amat. „ Nam tunc solum Deo vera obsequia reddimus, cum eum pro„ pter amoris fiduciam non timemus; cum nos ad bona opera, „ affectus non metus dirigit; cum malum nostræ menti jam non „ placet, etiam si licet. Nam qui a perversitatis opere ex timore „ restringitur, perversa libenter ageret, si liceret. Nequaquam „ ergo veraciter rectus est, qui adhuc a pravitatis desiderio liber „ non est. Bene itaque dicitur: *Neque enim possum metuens* „ *respondere*, quia vera obsequia Deo non reddimus, si ex timore „ mandatis illius, & non potius ex amore serviamus ".

Discrimen justi & impii describit dicens: „ Impius væ habet, „ justus miseriam (*d*): quia & æterna damnatio reprobum sequi„ tur, & electus quisque doloribus transitoriæ adversitatis expia„ tur. Impius caput levat, sed elatus evadere væ quod sequi„ tur, non valet. Justus laboribus sui certaminis afflictus, caput „ levare non finitur: sed pressus a perpetua afflictione liberatur. „ Ille se in voluptatibus erigit: sed suppliciis sequentibus mergit. „ Iste se in dolore deprimit: sed tamen a pondere æternæ anim„ adversionis abscondit. Consideret ergo vir sanctus, quod aut „ renitens homo vitiis, præsenti labore afficitur; aut succumbens, „ perpetuæ afflictioni mancipatur, & dicat cum Job: *Et si im*„ *pius fuero, væ mihi est: & si justus, non levabo caput, satu*„ *ratus afflictione & miseria* ".

Librum denique claudit ostendens, quomodo sit carnis habenda cura. Scribit siquidem: „ Mortali (*e*) adhuc in carne viventi„ bus

(a) *Ibid. n.* 54. (b) 2. *Reg.* 12. 13.
(c) *Ibid. cap.* 41. *n.* 64. (d) *Ibid. cap.* 56. *n.* 85.
(e) *Ibid. cap.* 66. *n.* 106.

„ bus funditus cura carnis absciditur: sed ut discrete animo serviat, „ temperatur. Nam quia sollicitos nos esse veritas in crastinum pro- „ hibet, habere utcumque curam in præsentibus non negat, quam „ tendi ad tempus quod sequitur, vetat. Et nimirum Paulus cum „ carnis curam fieri in concupiscentiis non sinit, proculdubio in „ necessitate concedit. Discretione ergo magni moderaminis carnis „ cura frenanda est, ut serviat, & minime principetur: ne quasi „ domina animum vincat, sed subacta mentis dominio, quasi an- „ cilla famuletur: ut jussa adsit, atque ad nutum cordis repulsa „ dissiliat: ut vix a tergo sanctæ cogitationis appareat, & nun- „ quam contra faciem recta cogitantis obsistat ". S.Greg. M.

In decimo libro secundam sui Operis partem claudit D. Gregorius expositis capite undecimo, & prioribus quinque versiculis capitis duodecimi. Primo itaque Sancti Job fortitudinem extollit, scribens: „ In hominum (*a*), angelorumque spectaculo beatus Job „ fortis athleta prodiit, quantumque contra mutationes adversan- „ tium valeat, continuatione indefessi roboris ostendit. Cui primus „ se Eliphaz, secundus autem Baldad objicit, atque ad extremum „ se Sophar in ejus expugnatione supponit: qui ad inferendos ictus „ totis se conatibus erigunt, sed tamen ad feriendam altitudinem „ robusti pectoris non pertingunt ". Deinde ostendit, quomodo varie ad correptionem sint dispositi pravi & recti, scribens: „ Sicut recti (*b*) de quibusdam, quæ ab eis non recte gesta sunt, „ correctionis vocem, ministerium caritatis æstimant; sic perversi „ contumeliam derisionis putant. Illi se protinus ad obedientiam „ sternunt, isti ad insaniam suæ defensionis eriguntur. Illi corre- „ ptionis adjutorium, vitæ suæ patrocinium deputant, per quod „ dum præsentis vitæ culpa corrigitur, venturi judicis ira tempe- „ ratur. Isti cum se imperi redargutione conspiciunt, gladium per- „ cussionis credunt; quia dum per correptionis vocem culpa dete- „ gitur, præsentis gloriæ opinio fœdatur. Liber Decimus.

Caritatis deinde præconia celebrat ostendens, quod licet a duobus præceptis incipiat, ad plurima tamen officia se extendit (*c*). Multiformem esse, adductis pluribus Sanctorum exemplis, evincit (*d*). Explicat ejus officia a D. Paulo enumerata, cum scribit: *Caritas patiens est, benigna est: non æmulatur, non inflatur, non agit perperam, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati* (*e*)*:* & singula verba exponit (*f*). Justi zeli limites indicat (*g*).

Quomodo vero sint intelligenda verba: *Deus excelsior est cælo, profundior inferno, longior terra, latior mari*, sic explicat: „ Est

---

(a) *Ibid. cap. 1. n. 1.*
(b) *Ibid. cap. 3. n. 3.* (c) *Ibid. cap. 6. n. 8.*
(d) *Ibid. n. 9.* (e) *1. Corinth. 13. 4.*
(f) *Ibid. n. 10.* (g) *Ibid. cap. 7. n. 12.*

S.GREG. M.

„ Eſt (*a*) cælo excelſior, quia incircumſcriptione ſui ſpiritus cuncta „ tranſcendit: inferno profundior, quia tranſcendendo ſubvehit: „ terra longior, quia creaturæ modum perennitate ſuæ æternitatis „ excedit: mari latior, quia rerum temporalium fluctus ſic regens „ poſſidet, ut hos ſub omnimoda potentiæ ſuæ præſentia coangu- „ ſtando circumdet ". Explicat vero etiam, quomodo dimenſiones a S. Paulo Deo tributæ dicente: *Ut poſſitis* (*b*) *comprehendere... quæ ſit latitudo, longitudo, ſublimitas, & profundum*, ipſi convenire poſſint, dicens: „ Habet Deus latitudinem (*c*), quia dile- „ ctionem ſuam uſque ad collectionem perſequentium tendit. Ha- „ bet longitudinem, quia ad vitæ patriam nos longanimiter tole- „ rando perducit. Habet ſublimitatem, quia ipſorum quoque in- „ telligentiam, qui recepti in ſupernam fuerint congregationem, „ tranſcendit. Habet profundum, quia damnatis inferius, diſtri- „ ctionis ſuæ judicium incomprehenſibiliter exercet. Quæ ſcilicet „ quatuor nobis in hac vita poſitis ſingulis exercet: quia & lati- „ tudinem amando, & longitudinem tolerando, & celſitudinem, non „ ſolum noſtram intelligentiam, ſed etiam vota ſuperando, & pro- „ funditatem ſuam exhibet, occultos & illicitos cogitationum mo- „ tus diſtricte judicando ".

In adverſis animum erigendum conſideratione bonorum æternorum, docet, dum ſcribit: „ Mala vitæ præſentis (*d*) tanto durius „ animus ſentit, quanto penſare bonum quod ſequitur, negligit: „ & quo non vult præmia conſiderare quæ reſtant, gravia æſti- „ mat eſſe quæ tolerat. Unde & contra flagelli ictum cogitatio „ cæca conqueritur, & quaſi infinita calamitas creditur, quæ die- „ bus curſu labentibus quotidie finitur. At ſi ſemel quiſque ad „ æterna ſe erigat, atque in his, quæ incommutabiliter permanent, „ oculum cordis figat, prope nihil eſſe hic conſpicit, quidquid ad „ finem currit. Præſentis vitæ adverſa tolerat; ſed quaſi nihil „ eſſe omne quod labitur, penſat. Quo enim ſe internis gaudiis „ robuſtius inſerit, eo minus exterius dolores ſentit ".

Mundi ſpernere oblectamenta dicit illum qui æterna concupiſcit, ſcribens: „ Quiſquis præſentem (*e*) gloriam quærit, profecto de- „ ſpectum metuit. Qui ſemper ad lucra inhiat, ſemper videlicet „ damna formidat ... At contra quiſquis in ſolo æternitatis de- „ ſiderio figitur, nec proſperitate attollitur, nec adverſitate quaſ- „ ſatur: dum nil habet in mundo quod appetat, nihil eſt quod „ de mundo pertimeſcat ... Bene itaque dicitur: *Requieſces, &* „ *non erit qui exterreat*: quia tanto quiſque a ſe plenius pavorem „ qui ex mundo eſt, abjicit, quanto in ſemetipſo verius mundi „ concupiſcentiam vincit ".

Sic vero exponit illa Jobi verba: „ *Spes illorum abominatio a-* „ *nimæ*.

(a) *Ibid. cap. 9. n. 14.* (b) *Ephes. 3. 18.*
(c) *Ibid. cap. 9. n. 15.* (d) *Ibid. cap. 16. n. 31.*
(e) *Ibid. cap. 21. n. 39.*

S. GREG. M.

„ *nimæ*. Quid hic peccator (*a*) totis cogitationibus sperat, nisi „ ut potestate cæteros transeat, cunctos rerum multiplicitate tran„ scendat, adversantes dominando subjiciat, obsequentibus miran„ dus innotescat, iræ ad votum satisfaciat, benignum se, cum „ laudatur, ostendat; quidquid gula appetit, offerat; ad hoc „ quod voluptas imperat, operis expletione concurrat? Bene er„ go spes illorum abominatio animæ dicitur: quia & ea, quæ „ carnales ambiunt, spiritales quique judicio rectitudinis aver„ santur ".

Hujus mundi sapientiam sic describit: „ Hujus mundi (*b*) sa„ pientia est, cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, „ quæ falsa sunt vera ostendere; quæ vera sunt, fallacia demon„ strare. Hæc nimirum prudentia usu a juvenibus scitur, hæc a „ pueris pretio discitur: hanc qui sciunt, cæteros despiciendo su„ perbiunt; hanc qui nesciunt, subjecti & timidi in aliis miran„ tur: quia ab eis hæc eadem duplicitas iniquitatis, nomine pal„ liata, diligitur, dum mentis perversitas, urbanitas vocatur ".

Huic autem mundi sapientiæ justorum opponit veram sapientiam, subdens: „ Contra sapientia justorum est, nihil per osten„ sionem fingere, sensum verbis aperire; vera ut sunt diligere, fal„ sa devitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare quam „ facere; nullam injuriæ ultionem quærere, pro veritate contu„ meliam lucrum reputare. Sed hæc justorum simplicitas deride„ tur; quia ab hujus mundi sapientibus puritatis virtus fatuitas „ creditur ".

Justorum gloriam in die judicii, in fine libri sic describit (*c*): „ Statutum quippe contemptæ lampadis tempus, est extremi judi„ cii prædestinatus dies, quo justus quisque, qui nunc despicitur, „ quanta potestate fulgeat, demonstratur. Tunc enim cum Deo „ judices veniunt, qui nunc pro Deo injuste judicantur. Tunc „ eorum lux tanto latius emicat, quanto eos nunc manus perse„ quentium durius angustat. Tunc reproborum oculis patescet „ quod cælesti potestate subnixi sunt, qui terrena omnia relique„ runt .... quia quisquis stimulo divini amoris excitatus, hic „ possessa reliquerit, illic proculdubio culmen judiciariæ potestatis „ obtinebit; ut simul tunc judex cum judice veniat, qui nunc con„ sideratione judicii, sese spontanea paupertate castigat ".

Tertia Moralium pars sex complectitur libros, in quibus explicationem prosequitur capitis duodecimi a versiculo sexto usque ad vigesimum primum capitis vigesimi quarti. In libro tamen primo, in ordine undecimo, non nisi reliquos duodecimi capitis versiculos exponit, & totum caput decimum tertium; decimi quarti vero solum quatuor priores versus, mutato tantisper stylo, interpretatur. *Pars Tertia Moralium.*

Inci-

(a) *Ibid. cap.* 24. *n.* 42.
(b) *Ibid. cap.* 29. *n.* 48. (c) *Ibid. cap.* 31. *n.* 52.

S. GREG. M.

Liber undecimus.

Incipit itaque hunc undecimum librum, & priorem tertiæ partis ab excusatione mutati styli, scribens: „ Quamvis (a) in prolixo opere esse culpabilis styli mutabilitas non debeat; ne quis „ tamen me ex locutionis meæ immutatione reprehendat, in epi„ stola libris præmissa (idest ad Leandrum data) causam reddi„ di, cur tertiam hujus operis partem ad aliarum usque similitu„ dinem minime emendando perduxi ". Quibus causis, & aliam subdit rationem: „ Quæ, nimirum dicenda, tam multa sunt, ut in „ uno corpore comprehendi non possent, nisi sub magna brevitate „ dicerentur. Qui ergo ab aliis actibus vacat, legat cætera multi„ pliciter dicta. Cui vero ad studiose legendum non vacat, hujus „ partis ei brevitas placeat, in qua non tam quæ sentimus, dici„ mus, quam ea quæ sunt dicenda signamus . . . Præterea immu„ tationem styli lector meus æquanimiter accipe, quia & sæpe eos„ dem cibos edentibus diversitas placet coctionis ".

Interioris vero gratiæ necessitatem ostendit illa explicando Jobi verba: *Si destruxerit, nemo est qui ædificet*, scribens: „ Omnipo„ tens Deus humanum (b) cor destruit, cum relinquit: ædificat, „ dum replet. Neque enim humanam mentem debellando destruit, „ sed recedendo: quia ad perditionem suam sufficit sibi dimissa. „ Unde plerumque fit, ut cum audientis cor exigentibus culpis o„ mnipotentis Dei gratia non repletur, incassum exterius a præ„ dicatore moneatur: quia mutum est os omne quod loquitur, si „ ille interius in corde non clamet, qui aspirat verba quæ au„ diuntur. Hinc Propheta ait: *Nisi Dominus ædificaverit do„ mum, in vanum laborant qui ædificant eam* (c). . . . Nec mi„ rum si a corde reprobo prædicator minime auditur, dum non„ nunquam ipse quoque Dominus in his quæ loquitur, resistentium „ moribus impugnatur ".

Ejusdem vero gratiæ efficientiam in corde etiam pertinaci mutando deprædicat, scribens: „ Manet terra immobilis (d), cum „ præceptis dominicis peccator obedire contemnit; cum cervicem „ superbiæ erigit, atque a veritatis lumine oculos mentis clau„ dit . . . Sed quia cum veritas in corde figitur, mentis immo„ bilitas agitatur; si Sancti Spiritus gratia superno munere juxta „ vocem prædicantis infunditur, statim terra subvertitur: quia pec„ catricis mentis duritia ab immobilitatis suæ obstinatione permu„ tatur, ut tantum se postmodum præceptis dominicis flendo sub„ jiciat, quantum superbiendo prius contra Dominum cervicem „ cordis erigebat ". Quod & confirmat exemplo D. Pauli, „ qui „ cum Damascum pergeret (e) Sancti Spiritus gratia in itinere „ infusus, ab illa sua protinus crudelitate mutatus est, & post„ modum

(a) *Cap. 1. n. 1.* (b) *Ibid. cap. 9. n. 12.*
(c) *Psalm. 126. 1.*
(d) *Ibid. cap. 10. n. 15.*
(e) *Ibid. n. 16.*

„ modum plagas pro Christo accepit, quas veniebat inferre Chri- S.GREG. M.
„ stianis ".

Quomodo vero Deus iniquos & sciat simul & nesciat, exponit dicens: „ Scire Dei (a), aliquando cognoscere dicitur, aliquando approbare; & scit iniquum, quia cognoscendo judicat . . . & tamen iniquum nescit, quia ejus facta non approbat. Et novit ergo, quia deprehendit: & non novit, quia hunc in suæ sapientiæ specie non recognoscit: sicut de veraci quolibet viro dicitur, quia falsitatem nesciat: non quia cum vel ab aliis falsum dicitur, hoc reprehendere ignorat; sed eamdem ipsam fallaciam. & scit in examine, & nescit in amore, ut videlicet ipse hanc non agat, quam actam ab aliis damnat ".

Cur occulta Deus velit in mundo sua consilia, declarat scribens: „ Magna (b) omnipotentis Dei dispensatione agitur, ut videlicet in hac vita omnia habeantur incerta, & nullus ex habita castitate superbiat . . . Nullus ex vitiorum suorum depressione desperet: quia *eos, qui oppressi fuerant, revelat*. Et quoniam cum hæc aguntur, ex occultis Dei consiliis super unumquemque sententia aperta producitur, recte subjungitur: *Et revelat profunda de tenebris* ".

Stulti dicit esse aliena facta judicare, sapientis vero etiam reprehendendo misereri, scribens: „ Stulti (c) cum prudentium facta conspiciunt, hæc eis omnia reprehensibilia esse videntur: qui suæ imperitiæ atque infirmitatis obliti, tanto intentius de alienis judicant, quanto sua profundius ignorant. At contra justi cum pravorum facta redarguunt, semper suæ infirmitatis conscii, eos etsi exterius sæviendo, tamen interius compatiendo reprehendunt ".

In hac vita peccatis non esse parcendum, monet, ut Deus ipsa condonet, scribens: „ Cum (d) Paulus dicat: *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur* (e): eo tunc Dominus salvator invenitur, quo nunc pro timore Dei, peccatum nostrum a nobismetipsis redarguitur. Unde electi quique culpis suis nunquam sciunt parcere, ut possint culparum judicem placatum invenire. Et vere eum postmodum invenire salvatorem credunt, quem districte modo judicem metuunt. Nam qui sibi nunc in culpa parcit, ei postmodum in pœna non parcitur ".

Denique nostræ originis immunditiam expendens ad illa verba Jobi: *Qui potest facere mundum de immundo conceptum semine*, scribit: „ Homo (f) in corruptibili carne vivens, habet tentationum immunditias impressas in semetipso: quia nimirum eas traxit ab origine. Ipsa quippe propter delectationem carnis ejus con-

(a) *Ibid. cap.* 12. *n.* 18.
(b) *Ibid. cap.* 17. *n.* 27.
(c) *Ibid. cap.* 27. *n.* 38. (d) *Ibid. cap.* 35. *n.* 48.
(e) 1. *Corint.* 11. 31. (f) *Ibid. cap.* 52. *n.* 70.

S.GREG. M. „ ceptio, immunditia eſt . . . Hinc eſt ergo quod plerumque tentatur & nolens. Hinc eſt, quod immunda quædam in mente „ patitur, quamvis ex judicio reluctetur: quia conceptus de immunditia, dum ad munditiam tendit, hoc conatur vincere quod „ eſt. Quiſquis autem occultæ tentationis motus, atque immunditiam cogitationis evicerit, nequaquam ſibi ſuam munditiam „ tribuat: quia de immundo conceptum ſemine nullus facere mundum poteſt, niſi is, qui mundus per ſemetipſum ſolus eſt “.

Liber duodecimus. In hoc libro reliquos capitis 14. verſiculos exponit: deinde integrum caput 15. moraliter interpretatur. Et primo quidem oſtendit, nulla fieri hominibus ſine Dei conſilio licet occulto, ſcribens: „ Nulla, quæ (*a*) in hoc mundo hominibus fiunt, abſque omnipotentis Dei occulto conſilio veniunt. Nam cuncta Deus ſecutura præſciens, ante ſæcula decrevit qualiter per ſæcula diſponantur. Statutum quippe jam homini eſt, vel quantum hunc „ mundi proſperitas ſequatur, vel quantum adverſitas feriat: ne „ electos ejus vel immoderata proſperitas elevet, aut nimia adverſitas gravet. Statutum quoque eſt, quantum in ipſa vita „ mortali temporaliter vivat. Nam etſi annos quindecim Ezechiæ „ regi ad vitam addidit omnipotens Deus; cum eum mori permiſit, tunc eum præſcivit eſſe moriturum . . . Nec tamen Propheta Dei fallax, qui ei dixerat: *Morieris tu, & non vives*, „ quia tempus mortis innotuit, quo vir ille mori merebatur: nec „ Dominica ſtatuta convulſa ſunt: quia ut ex largitate Dei anni „ vitæ creſcerent, hoc quoque ante ſæcula præfixum fuit: atque „ ſpatium vitæ, quod inopinate foris eſt additum, ſine augmento „ præſcientiæ fuit intus ſtatutum. Bene ergo dicitur: *Conſtituiſti* „ *terminos ejus, qui præteriri non poterunt*.

In deſcenſu ad inferos Chriſtum non omnes liberaſſe oſtendit ibi detentos, ſed ſolos juſtos, ſcribens: „ Non ab inferno (*b*) rediens „ Dominus electos ſimul & reprobos traxit, ſed illa exinde omnia ſuſtulit, quæ ſibi inhæſiſſe præſcivit. Unde etiam per „ Oſee prophetam dicit: *Ero mors tua, o mors: ero morſus tuus,* „ *inferne* (*c*). Quod enim occidimus, agimus ut penitus non „ ſit. Ex eo enim quod mordemus, partem abſtrahimus, partemque relinquimus. Quia ergo in electis ſuis funditus Dominus occidit mortem, mors mortis extitit. Quia vero ex inferno „ partem abſtulit, partemque reliquit, non occidit funditus, ſed „ momordit infernum “.

Peccata docet diluenda per pœnitentiam, ne in die judicii veluti de ſacculo prodeant: explicans illa Jobi verba: *Signaſti quaſi in ſacculo delicta mea*, ſcribit: „ Signantur (*d*) quaſi in ſacculo delicta noſtra, quia hoc quod nos exterius agimus, niſi pœnitentia interveniente diluamus, in ſecreto judiciorum Dei ſub qua-

„ dam

(a) *Ibid. cap.* 2. *n.* 2. (b) *Ibid. cap.* 11. *n.* 15.
(c) *Oſee* 13. 14. (d) *Ibid. cap.* 17. *n.* 21.

S.GREG. M.

„ dam occultatione servatur, ut quandoque etiam de sacculo se„ creti exeat ad publicum judicii . . . Cum vero pro malis, quæ „ fecimus, disciplinæ flagello atterimur, & hæc per pœnitentiam „ deflemus, iniquitatem nostram signat, & curat: quia nec inulta „ hic deserit, nec in judicio punienda reservat. Signat igitur de„ licta: quia ea hic subtiliter attendit, ut feriat: curat vero, quia „ hæc per flagellum funditus relaxat “.

Qui voluptatibus carnalibus indulgent, majores ex carne tribulationes experiri ostendit ex D. Paulo, scribens: „ De conjugibus „ (a) Paulus dicit: *Tribulationem tamen carnis habebunt hujus„ modi* (b). Sed tribulationem carnis hic pati possunt, etiam „ qui spiritaliter vivunt. Cur ergo inesse conjugibus carnis tri„ bulatio, quasi specialiter dicitur, quæ etiam a vita spiritalium „ longe non est, nisi quod hi frequenter majores tribulationes ex „ carne suscipiunt, qui carnis voluptatibus delectantur “?

Justorum & malorum aliquando similia sunt verba, sed dissimilis cordis affectus: quamobrem optime scribit D. Gregorius: „ Plerumque (c) justi aliquibus necessitatibus afflicti, sua opera „ coguntur fateri... sed cum eorum dicta injusti audiunt, hæc per „ elationem potius quam per veritatem existimant prolata. Ex „ suis enim cordibus verba justorum pensant, & dici humiliter „ posse verba bona non existimant. Sicut enim gravis culpa est, „ sibi hoc hominem arrogare, quod non est: sic plerumque culpa „ nulla est, si humiliter bonum dicat, quod est. Unde sæpe con„ tingit, ut justi, & injusti habeant verba similia, sed tamen „ semper cor longe dissimile: & ex quibus dictis Dominus ab in„ justis offenditur, in eisdem quoque a justis placatur “.

Electos in humilitate, reprobos vero in superbia vitam finire ostendit scribens: „ Solent etiam (d) electi in quibusdam suis co„ gitationibus atque actibus superbire. Sed quia electi sunt, cun„ ctis diebus suis superbire non possunt, quia priusquam vitam fi„ niant, ad humilitatis metum ab elatione corda commutant. Im„ pius vero diebus suis omnibus superbit: quia sic vitam terminat, „ ut ab elatione minime recedat. Circumspicit quod temporaliter „ floret, & pensare negligit quo in æternum ducitur. In vita car„ nis fiduciam ponit, eaque diu permanere existimat, quæ ad præ„ sens tenet. Solidatur in elatione animus “.

Ostendit, Deum aliquando pravorum voluntati obsistere, aliquando sinere impleri, scribens: „ Sunt nonnulli (e), qui & si qua ali„ quando agere contra omnipotentis Dei judicium nituntur, ipsa „ impossibilitate explendæ suæ voluntatis fracti, ad semetipsos re„ spiciunt, atque ad eum, quem contemnere voluerant, convertun„ tur: & qui discedere longe potuerant, si quod vellent implere

 valuis-

(a) *Ibid. c. 22. n. 27.*
(b) *2. Corinth. 7. 28.*
(c) *Ibid. c. 31. n. 36.*
(d) *Ibid. c. 37. n. 42.*
(e) *Ibid. c. 43. n. 48.*

S.Greg. M.

,, valuiſſent, per hoc aliquando ſalvantur, quia quod nequiter vo-
,, luerunt, implere nequiverunt . . . . Et ſunt nonnulli, qui hoc
,, quod perverſe contra Deum appetunt, juſto Dei judicio implere
,, nequius permittuntur. Et cum eos malitia accendit, potentia
,, roborat, tanto jam ſemetipſos in errore cognoſcere nequeunt,
,, quanto in rebus affluentibus extra ſe ſemper per potentiam tra-
,, huntur . . . & tunc Deus magis iraſcitur, quando permittit im-
,, pleri, quod ſaltem concipi in cogitatione non debuit ".

Quam periculoſum ſit poſt converſionem iterum ad peccata redi-
re, declarat ſcribens; ,, Sunt nonnulli (*a*), qui poſt vitam perdi-
,, tam ad ſemetipſos redeunt, & accuſante ſe conſcientia, perver-
,, ſa itinera relinquunt, commutant opera, antiquæ ſuæ pravitati
,, contradicunt, terrenas actiones fugiunt, deſideria ſuperna ſectan-
,, tur: ſed priuſquam in eiſdem ſanctis deſideriis ſolidentur, per
,, torporem mentis ad ea, quæ dijudicare cœperant, redeunt: atque
,, ad mala, quæ fugere diſpoſuerant, recurrunt . . . & cum ad ex-
,, teriora agenda refunduntur, ab omni ſtatu boni operis eradican-
,, tur. Unde recte quoque de his iniquis dicitur: *Antequam dies*
,, *ejus impleantur, peribit* ".

Denique librum claudit explicans illa verba: *Concepit dolorem, &*
peperit iniquitatem, dicendo: ,, Dolorem concipit (*b*), cum per-
,, verſa cogitat, Iniquitatem parit, cum explere cœperit quod co-
,, gitavit. Invidendo dolorem concipit, derogando iniquitatem pa-
,, rit. Gravis quippe eſt iniquitas, quando is, qui perverſus eſt,
,, oſtendere alios perverſos molitur, ut inde ipſe quaſi ſanctus ap-
,, pareat, quod alios ſanctos non eſſe docuerit ".

Liber Decimus tertius.

Liber tertiuſdecimus moralem continet explicationem capitum 16.
& 17. libri Job. Et primo quidem plane contrariam juſtorum &
perverſorum affectionem exponit ſcribens: ,, Eſſe hoc (*c*) perver-
,, ſorum proprium ſolet, quod ſua mala per convicium bonis in-
,, gerant, priuſquam de eis ipſi veraciter accuſentur: & dum me-
,, tuunt increpari de his, quæ faciunt, adverſantes ſuis pravitatibus
,, juſtos hæc facere teſtantur. Sancti autem viri patienter audiunt
,, etiam quæ ſe nunquam feciſſe meminerunt; quamvis ea mala
,, quæ ſibi ingeri conſpiciunt, ab ipſis ſuis criminatoribus noverint
,, perpetrata: & cum eos prædicando corrigere non poſſunt, pa-
,, tiendo tolerant; quatenus ſi fructum converſionis eorum non va-
,, lent, ex ipſis tamen præmium longanimitatis acquirant ".

Verba etiam bona aliquando per ſuperbiam prolata ventoſa eſſe
dicit: ,, Ventoſa (*d*) verba ſunt, quæ inflationi temporali potius
,, quam rectitudini ſerviunt. Sæpe autem mali etiam bona dicunt:
,, ſed quia bene non dicunt, ventoſa verba proferunt. Nam dicta
,, eorum

(a) *Ibid. c.* 52. *n.* 59.
(b) *Ibid. c.* 55. *n.* 64.
(c) *Ibid. c.* 1. *n.* 1.
(d) *Ibid. c.* 3. *n.* 3.

„ eorum & si quando sana sunt per sententiam, inflata tamen sunt „ per elationem “. S.GREG. M.

Licere aliquando docet malis flagella aptare, ut corrigantur, scribens: „ Aliquando (a) necesse est, ut pravis mentibus, quæ humana prædicatione corrigi nequeunt, divina flagella aptari benigne debeant. Quod cum magno fit amoris studio: videlicet non errantis pœna, sed correptio quæritur, & oratio potius quam maledictio esse monstratur “.

Quomodo sint peccatores corrigendi, pulcre ostendit scribens: „ Magna (b) prædicationis arte agendum est, ut qui ex aperta „ correptione deteriores fiunt, quodam temperamento correptionis „ ad salutem redeant . . . Sicut enim inhonesta membra in corpore, ita quidam sunt intra sanctam Ecclesiam potentes & protervi; qui dum aperta invectione feriri nequeunt, quasi honore tegminis vallantur. Sed hæc de occultis potentium delictis loquimur. Nam quando & aliis cognoscentibus peccant, aliis etiam cognoscentibus increpandi sunt: ne si prædicator taceat, culpam adprobasse videatur; atque hæc crescens in exemplum veniat, quam pastoris lingua non secat “.

Explicans illa verba: *Ecce in cælo testis meus*, scribit: „ Omnis, qui ex eo (c) quod agit, humanas laudes appetit, testem in terra quærit. Qui autem de actibus suis omnipotenti Deo placere festinat, testem se in cælo habere considerat. Et sæpe contingit, ut ipsa quoque in nobis bona opera ab incautis hominibus reprehendantur. Sed qui testem in cælo habet, reprehensiones hominum metuere non debet “.

Deum quandoque permittere, ut perversi nec per flagella emendentur, ostendit scribens: „ Sunt nonnulli (d), qui & flagella tolerant, & tamen mentem ad flagellantis metum minime reformant. Unde recte nunc dicitur: *Cor eorum longe fecisti a disciplina*. Quia etsi corpus sub disciplina est, cor sub disciplina non est: dum & flagellatur quisque, & tamen ad humilitatem mentis non reducitur. Neque ita hoc dicitur, ac si omnipotens & misericors Deus longe cor hominis a disciplina faciat, sed quod sponte delapsum, ibi remanere ubi cecidit, judicando permittat “.

Quam facile errent, qui de divinis flagellis judicare audent, ostendit scribens: „ Omnis (e) qui flagello percutitur, quasi in proverbium ponitur vulgi: quia stultus quisque dum cuiquam maledicere appetit, ex illius similitudine maledictionem sumit, quem percussum temporaliter videt; eamque pœnam suo optat adversario, quam evenisse conspicit justo. Sicque fit, ut non recte sapientibus in exemplum deducatur rectus, dum & pœna

(a) *Ibid. c. 5. n. 5.* (b) *Ibid. n. 7.*
(c) *Ibid. c. 24. n. 28.* (d) *Ibid. c. 32. n. 36.*
(e) *Ibid. c. 35. n. 46.*

S. Greg. M.

,, juſti eſſe damnatio creditur, & quæ illi maneat gloria, nulla ,, ſpe fidei prævidetur".

Sanctos veteris Teſtamenti in Limbo detentos Deum non vidiſſe docet, ſcribens: ,, Priores Sancti (a) & ſuſtinere adverſa poterant, & tamen e corporibus educti, adhuc ab inferni locis liberari non poterant: quia necdum venerat, qui illuc ſine culpa ,, deſcenderet, ut eos, qui ibi tenebantur ex culpa, liberaret ... ,, Et quia in ipſis quoque inferni locis juſtorum animæ ſine tormento tenebantur, ut & pro originali culpa adhuc illuc deſcenderent, & tamen ex propriis actibus ſupplicium non haberent, ,, quaſi in tenebris lectulum ſtraviſſe, eſt in inferno ſibi requiem ,, præparaſſe. Grave etenim tædium electis fuit, poſt ſolutionem ,, carnis, adhuc ſpeciem non videre creatoris. Quod tædium non ,, immerito beatus Job tenebras vocat".

Quiſque de ſua ſalute ſollicitus ſemper timere debet, cum & ſancti viri timuerint, ut ex S. Job oſtendit D. Gregorius, ſcribens: ,, Qua in re(b) cum magno nobis timore penſandum eſt, quis ,, noſtrum jam de requie æterna ſecurus ſit, ſi de ea adhuc & Job ,, trepidat, cujus virtutis præconia & ipſe judex qui percutit, ,, clamat: *Si enim juſtus vix ſalvabitur, impius & peccator ubi* ,, *parebunt (c)?* Beatus etenim Job ad requiem ſe poſt flagella ,, perventurum noverat: ſed ut noſtra timore corda concuteret, ,, ipſe viſus eſt de æternæ quietis retributione dubitare".

Liber decimus quartus.

Capitum 18. & 19. Libri Job ſenſum hiſtoricum, allegoricum, & moralem exponit D. Gregorius in libro decimoquarto. Et primo quidem omnium, quæ in præcedentibus libris dixit, velut epilogum & anacephalæoſim exhibet. Deinde ex verbis Baldad Suhites anſam arripit hæreticos redarguendi, oſtendens (d), illos inique Eccleſiam ſuperbiæ & ignorantiæ inſimulare, eorumque falſas in eamdem ſuſpiciones & contumelias repellit (e), cujus zelum immerito furorem vocant & inſaniam (f). A vero aberrare dicit, dum putant, extra Eccleſiam ſe poſſe ſalutem conſequi, ſcribens: ,, Sancta (g) univerſalis Eccleſia prædicat, Deum veraci- ,, ter niſi intra ſe coli non poſſe, aſſerens quod omnes qui extra ,, ipſam ſunt, minime ſalvabuntur. At contra hæretici, qui etiam extra ipſam ſalvari ſe poſſe confidunt, in quolibet loco ſibi ,, divinum adjutorium adeſſe profitentur".

Explicans Jobi verba: *Lucerna, quæ ſuper eum eſt, extinguetur*, oſtendit, tam juſtos, quam malos ſuas lucernas habere, ſed iſtos ſupra, illos vero infra ſe, ſcribens: ,, Lucerna lumen in teſta eſt ,, (h): lumen vero in teſta, eſt gaudium in carne. Lucerna ergo, quæ ſuper eum eſt, extinguitur, quia cum malorum ſuo- ,, rum

(a) *Ibid. c. 44. n. 49.* (b) *Ibid. c. 49. n. 55.*
(c) *1. Petr. 4. 18.* (d) *Ibid. c. 2. n. 2.*
(e) *Ibid. c. 3. n. 3.* (f) *Ibid. c. 4. n. 4.*
(g) *Ibid. c. 5. n. 5.* (h) *Ibid. c. 8. n. 10.*

„ rum retributio impium sequitur, in ejus mente gaudium carnale „ dissipatur . . . Justi autem etiam cum prosperitatem vitæ præsentis habent, eam sub semetipsis premere noverunt, ut hoc „ quod apud se in bonis hilarescunt, gravitatis consilio transeant, „ & virtutis regimine excedant. Lucerna ergo impii, quæ supra „ eum est, extinguitur, quia citius ejus gaudium deficit, quod „ eum totum in hac vita possedit ". S.GREG. M.

A superbia vix cavere divites posse docet, dum scribit: „ Iniqui (*a*) gloriam vel operationem superbia plantat. Potuit enim „ etiam in hac vita sine culpa gloriosus existere, si superbus minime fuisset: potuit auctoris sui judicio quibusdam suis operibus „ commendari, nisi hæc ipsa opera ante ejus oculos elatio supplantaret. Sæpe enim quosdam divites videmus, qui opes & „ gloriam habere sine culpa potuissent, si hæc habere cum humilitate voluissent. Sed extolluntur rebus, inflantur honoribus, „ dedignantur cæteros, omnemque vitæ suæ fiduciam in ipsa abundantia rerum ponunt. Unde & quidam dives dicebat: „ *Anima, habes multa bona reposita in annos plurimos, requiesce*, „ *comede, bibe, epulare* (*b*). Quas earum cogitationes dum supernus judex aspicit, de hac ipsa eos sua fiducia evellit ".

Carnalia peccata sulphuri fœtenti, & ardenti comparat, scribens: „ In sulphure (*c*) peccatum carnis accipitur. Quod dum „ perversis cogitationibus quasi quibusdam fœtoribus mentem replet, æterna ei incendia præparat . . . Sulphur quippe fœtorem „ habet, ignis ardorem. Quia itaque ad perversa desideria ex „ carnis fœtore arserant (Sodomæ habitatores) dignum fuit, ut simul igne & sulphure perirent: quatenus ex justa pœna discerent, ex injusto desiderio quid fecissent. Hoc ergo in tabernaculo iniqui sulphur aspergitur, quoties perversa carnis delectatio „ in ejus mente dominatur ".

Prius contra propria peccata insurgendum, deinde contra aliena, monet dicens: „ Ordo (*d*) erectionis in bono iste est, ut primum „ contra nos, & postmodum contra malos erigamur . . . Contra „ nosmetipsos enim erigimur, quando mala propria recognoscentes, districta nosmetipsos pœnitentiæ ultione ferimus; quando „ nequaquam nobis in peccatis parcimus, & nullis erga nos cogitationum blandimentis inclinamur. Qui si districte prius nostra in nobis mala insequimur, justum quoque est, ut etiam „ contra aliena mala utiliter erigamur; & ea quæ in nobis punimus, etiam in aliis redarguendo superemus ".

Quomodo Deus corporea membra habere dicatur, exponit scribens: „ In Deo (*e*), qui corporis forma non circumscribitur, „ membra corporis, id est manus, oculus, uterus ita nominantur,

 „ ut

(a) *Ibid. c. 16. n. 19.* (b) *Luc. 12. 19.*
(c) *Ibid. c. 19. n. 23.* (d) *Ibid. c. 29. n. 33.*
(e) *Ibid. c. 45. n. 53.*

S.GREG. M. „ ut ex membrorum vocabulis, effectus ejus potentiæ designentur. „ Oculos quippe habere dicitur, quia cuncta videt; manus habere „ describitur, quia cuncta operatur; in utero autem proles conci- „ pitur, quæ in hac vita profertur. Quid ergo uterum Dei, „ nisi ejus consilium debemus accipere, in quo ante sæcula per „ prædestinationem concepti sumus, ut creati per sæcula produca- „ mur “?

Piorum mentes ad preces, non ad iram moveri, dum injuste vexantur, ostendit, scribens: „ Hoc habere (*a*) solet proprium „ mens piorum, quod cum injusta ab adversariis patitur, non tam „ ad iram, quam ad preces moveatur: ut si moderari eorum „ pravitas placide valeat, plus deprecari eligant, quam irasci ... „ & a quibus semper contumeliis se affligi considerat, amicos vo- „ cat: quia bonis mentibus etiam ipsa fiunt prospera, quæ viden- „ tur adversa “.

Detractores insectatur S. Pontifex, explicans illa verba: *Et carnibus meis saturamini*, scribens: „ Hi qui (*b*) alienæ vitæ de- „ tractione pascuntur, alienis proculdubio carnibus satiantur. Un- „ de per Salomonem dicitur: *Noli esse in conviviis potatorum*, „ *neque comedas cum eis*, *qui carnes ad vescendum conferunt* (*c*). „ Carnes quippe ad vescendum conferre, est in collocutione dero- „ gationis vicissim proximorum vitia dicere. De quorum illic pœ- „ na mox subditur: *Quia vacantes potibus*, *&* *dantes symbolum* „ *consumentur* (*d*). Potibus vacant, qui de opprobrio alienæ vi- „ tæ se inebriant. Symbolum vero dare, est, sicut unusquisque „ solet pro parte sua cibos ad vescendum, ita in confabulatione „ detractionis verba conferre. Sed vacantes potibus, & dantes „ symbolum consumentur, quia sicut scriptum est: *Omnis detra-* „ *ctor eradicabitur* (*e*) “.

Christum vero Redemptorem prænuntiasse S. Jobum ostendit scribens: „ Qui non ait (*f*) Conditor, sed Redemptor: aperte eum „ denuntiat, qui postquam omnia creavit, ut nos de captivitate re- „ dimeret, inter nos incarnatus apparuit, suaque passione nos a „ perpetua morte liberavit. Et notandum, quanta fide se in virtute „ ejus divinitatis adstringat ... Ait: *Scio quod Redemptor meus* „ *vivit:* ac si apertis vocibus dicat: Infidelis quisque illum flagel- „ latum, derisum palmis cæsum, corona spinea coronatum, sputis „ illitum, crucifixum, mortuum noverit; ego illum post mortem „ vivere certa fide credo, libera voce profiteor, quia Redemptor „ meus vivit, qui inter impiorum manus occubuit. Sequitur: *Et* „ *in novissimo die de terra surrecturus sum*. Quia (*g*) videlicet „ resurrectionem, quam in se ostendit, in nobis etiam quandoque „ factu-

(a) *Ibid. c.* 51. *n.* 59. (b) *Ibid. c.* 52. *n.* 61.
(c) *Prov.* 23. 20. (d) *Ibid.* 21.
(e) *Ibid.* 15. 5. (f) *Cap.* 54. *n.* 67.
(g) *Ibid. c.* 55. *n.* 68.

„ factus est. Resurrectionem quippe, quam in se ostendit, nobis „ promisit: quia sui capitis gloriam sequuntur membra ". S. Greg. M.

Veram quoque agnovisse S. Job corporum resurrectionem in illis verbis: *Et rursum circumdabor pelle mea*, testatur subdens; „ Dum „ aperte (*a*) pellis dicitur, omnis dubitatio veræ resurrectionis „ aufertur ". Et hic S. Gregorius quasi occasionem nactus suam cum Eutychio Patriarcha Constantinopolitano controversiam narrat; & quomodo illum a suo errore, quo putabat corpus nostrum post resurrectionem futurum impalpabile, aereque subtilius, revocaverit, & ad veritatem agnoscendam adduxerit, ut diximus in ejus vitæ Synopsi.

Explicat deinde, quomodo caro nostra post resurrectionem & eadem futura sit, & plane diversa, scribens: „ Nos beati Job „ (*b*) fidem sequentes, & Redemptoris nostri post resurrectionem „ corpus palpabile veraciter credentes, fatemur carnem nostram „ post resurrectionem futuram & eamdem, & diversam: eamdem „ per naturam, diversam per gloriam: eamdem per veritatem, „ diversam per potentiam. Erit itaque subtilis, quia & incorruptibilis: erit palpabilis, quia non amittet essentiam veracis na„ turæ ". Denique librum claudit, ad pœnitentiam peccatores alliciendo, & urgendo memoria, & consideratione postremi judicii ultimam resurrectionem subsecuturi.

In hoc quinto decimo libro explicanda sibi sumit capita 20. & 21. Et primo quidem se putare declarat S. Jobi amicos non perversos fuisse, quod ex verbis Naamathitis ostendit. Deinde considerandam proponit vitæ nostræ brevitatem, scribens: „ Si ab ipso „ (*c*) humani generis exordio, usque ad hoc tempus in quo su„ mus, mentis oculos ducimus, omne quod finiri potuit, quam „ breve fuerit videmus. Ponamus enim quemlibet hominem a „ primo die mundi conditi usque ad hodiernum diem vitam du„ cere, hodie tamen eamdem vitam, quam sic longam ducere vi„ debatur, finire: ecce finis adest, præterita jam nulla sunt, quia „ cuncta transierunt. Futurum in hoc mundo nihil est, quia nul„ lum ad vitam vel brevissimum restat momentum. Ubi est er„ go longum tempus, quod inter initium finemque deprehensum „ ita consumitur, ac si nec breve unquam fuisset "? Liber decimus quintus.

Contra hypocritas vero declamat, ostendens (*d*) eorum hypocrisim tandem in vitæ fine detegi (*e*), cum eorum vita sit phantasmati similis, quia hoc ostendit in imagine, quod non habet in veritate (*f*). Nihil profuturas illis in judicio linguas adulantium (*g*). Exterius multiplicatos, interius inanes fieri (*h*). Damnationem in suæ hypocrisis pœnam recepturos (*i*). A vitiis nunquam deferen-

(a) *Ibid. c.* 56. *n.* 72.
(b) *Ibid. c.* 57. *n.* 77. (c) *Ibid. c.* 3. *n.* 3.
(d) *Cap.* 5. *n.* 6. (e) *Cap.* 6. *n.* 7.
(f) *Cap.* 7. *n.* 8. (g) *Cap.* 8. *n.* 9.
(h) *Cap.* 9. *n.* 10. (i) *Cap.* 10. *n.* 11.

S. GREG. M.

ferendos (a). Sermonibus dulcia prætendere, cogitationibus perversa moliri (b). Denique gloriam & laudem, quibus delectantur hypocritæ, tandem in fel aspidum convertendas.

Diaboli tentationes & aspidi, & viperæ morsibus assimilat scribens: „ Quid per (c) aspides parvos, nisi latentes suggestiones „ immundorum spirituum figurantur, qui cordibus hominum parva „ prius persuasione surripiunt? Quid vero per linguam viperæ, „ nisi violenta diaboli tentatio designatur? Prius enim leniter surri„ pit, postmodum vero etiam violenter trahit. Caput itaque aspidum „ sugit: quia initium suggestionis occultæ parvum prius in corde „ nascitur, sed occidit eum lingua viperæ: quia postmodum capta „ mens veneno violentæ tentationis necatur “.

Æternitatem pœnarum in inferno oculis peccatorum exhibet, ex„ plicans Jobi verba: „ *Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur*, sic scribit: „ Persolvit (d) in tormento ea quæ hic illi„ cite servavit desideria: & flammis ultricibus traditus, semper „ moritur, quia semper in morte servatur. Non enim in morte „ consumitur: quia si consumeretur vita morientis, cum vita et„ iam pœna finiretur. Sed ut sine fine crucietur, vivere sine fine „ in pœna compellitur: ut cujus vita hic mortua fuit in culpa, „ illic ejus mors vivat in pœna .... & sic cruciatur, & non „ extinguitur: moritur, & vivit: deficit, & subsistit: finitur sem„ per, & sine fine est. Hæc solo auditu valde sunt terribilia, quan„ to magis passione “?

Avaritiam damnat, ostendens nunquam satietate expleri, scribens: „ Prius anhelat (e) per avaritiam concupita congregare: „ & cum quasi in quodam ventre avaritiæ multa congesserit, sa„ tiatus arctatur: quia dum anxiatur qualiter acquisita custodiat, „ ipsa eum sua satietas angustat. Divitis enim cujusdam uberes „ fructus ager attulerat, sed quia ubi eos tantos reponeret non „ habebat, dixit: *Quid faciam, quia non habeo quo congregem* „ *fructus meos* (f)? ... Qui ergo ex abundantia coangustatus „ dicebat: *Quid faciam?* quasi multo cibo pressus æstuabat. Pen„ semus quot votis appetiit, ut uberes fructus ager illius afferret. „ Ecce autem vota completa sunt, quia fructus uberes ager attu„ lerat. Sed quia ad recondendum loca non sufficiunt, multipli„ catus dives, quid faciat ignorat. O angustia ex satietate nata! „ De ubertate agri angustiatur anima “.

Gehennæ ignis quomodo foveatur, & servetur, explicat dicens: „ Miro valde modo paucis verbis (g) expressus est ignis Gehen„ næ. Ignis namque corporeus, ut esse ignis valeat, corporeis „ indiget fomentis. Qui cum necesse est ut servetur, per congesta

„ ligna

(a) *Cap.* 11. *n.* 13. (b) *Cap.* 13. *n.* 15.
(c) *Ibid. c.* 15. *n.* 19. (d) *Ibid. c.* 17. *n.* 21.
(e) *Ibid. c.* 22. *n.* 26. (f) *Luc.* 12. 17. & 18.
(g) *Ibid. c.* 29. *n.* 35.

S. GREG. M.

„ ligna proculdubio nutritur; nec valet nisi succensus, esse, & nisi „ refotus subsistere. At contra Gehennæ ignis, cum sit corporeus, „ & in se missos reprobos corporaliter exurat, nec studio huma- „ no succenditur, nec lignis nutritur: sed creatus semel durat „ inextinguibilis, & succensione non indiget, & ardore non ca- „ ret . . . quia omnipotentis justitia futurorum præscia, ab ipsa „ mundi origine Gehennæ ignem creavit, qui in pœna reprobo- „ rum esse semel inciperet, sed ardorem suum etiam sine lignis „ nunquam finiret "?

Paucos quidem verbis dicere Deo, *Recede a nobis*, plurimos vero factis ingeminare ostendit, dum scribit: „ Verbis dicere (*a*), „ *Recede a nobis*, vel stulti minime præsumunt: sed tamen per- „ versi omnes Deo, *Recede*, non verbis, sed moribus dicunt. „ Qui enim illa agunt quæ Deus omnipotens prohibet, quid aliud „ faciunt, quam suum animum contra Omnipotentem claudunt? „ Sicut enim ejus præcepta cogitare, eum ad se introducere est: „ ita ejus mandatis obsistere, eum a cordis inhabitatione repel- „ lere est. Dicunt ergo: *Recede a nobis*, qui ei ad se aditum „ præbere recusant, eumque pravis actibus impugnant, etiam si „ verbis laudare videantur ".

Impiorum oculos culpam claudere, sed pœnam aperire declarat scribens: „ Impiorum oculos (*b*) culpa claudit, sed in extremum „ pœna aperit.... Nescit enim impius mala quæ fecit, nisi cum pro „ iisdem malis puniri jam cœperit. Unde & per Prophetam dici- „ tur: *Et tantummodo sola vexatio dabit intellectum auditui* (*c*). „ Tunc namque intelligit quod audivit, cum se jam pro contem- „ ptu vexari doluerit . . . Qui si (*d*) in hac vita positus culpam „ suam videre voluisset, de Omnipotentis postmodum furore non „ biberet. Sed qui hic avertit oculos a conspectu criminis, illic „ declinare non valet sententiam damnationis ".

Librum denique claudit dicens, sanctis, & piis omnibus odiosum esse mendacium. „ Sanctorum mentes (*e*), quia veritatem diligunt, „ etiam culpa fallaciæ torquet alienæ. Quanto enim grave men- „ dacii esse crimen aspiciunt, tanto hoc non solum in se, sed et- „ iam in aliis oderunt ".

Liber Decimus sextus.

In hoc decimo sexto libro, quo tertiam partem suorum Moralium claudit D. Gregorius, explicanda sumit capita 22. 23. & 24. usque ad medium vigesimum versiculum. Et primo quidem observat, quod (*f*) „ qui contra veritatis verba in allegatione defi- „ ciunt, sæpe etiam nota replicant, ne tacendo victi videantur ". Deinde Deum nostra non indigere justitia ostendit scribens: „ In „ omni (*g*) quod bene agimus, nosmetipsos, non autem Deum juva-

(a) *Ibid. c.* 44. *n.* 50.
(b) *Ibid. c.* 51. *n.* 58. (c) *Isaj.* 28. 19.
(d) *Ibid. c.* 52. 59. (e) *Ibid. c.* 62. *n.* 73.
(f) *Ibid. ante n.* 1. (g) *Ibid. c.* 2. *n.* 2.

S. Greg. M. „ juvamus. Unde & per Pſalmiſtam dicitur: *Dixi Domino, Deus* „ *meus es tu, quoniam bonorum meorum non indiges* (*a*). Ipſe „ enim vere nobis Dominus, quia & utique Deus eſt, qui bono „ non indiget ſervientis, ſed bonitatem confert, quam recipit: ut „ oblata bonitas non ipſi, ſed prius accipientibus, & poſt redden- „ tibus proſit. Nam etſi in judicium Dominus veniens, dicit: „ *Quamdiu feciſtis uni de his fratribus meis minimis, mihi feci-* „ *ſtis* (*b*): mira hoc pietate loquitur ex ſuorum compaſſione „ membrorum. Et ipſe nos per hoc quod caput noſtrum eſt ad- „ juvat, qui per noſtra bona opera in ſuis membris adjuvatur “.

Hæreticos inſectatur, qui Eccleſiam inſcitiæ arguunt (*c*), qui ejus magnitudini, & univerſalitati invident (*d*), illi detrahunt, quia reſipiſcentes benigne, clementerque excipit (*e*), verba irriſionis contra catholicos proferunt, atque ab eis illum non timeri ſuſpicantur, quem videre corporaliter nequeunt (*f*) “.

Et hic quaſi occaſionem nactus, divinam immenſitatem & providentiam eximie deſcribit dicens: „ Cum ſit (*g*) ſemper Omni- „ potens; ſic intendit omnibus, ut adſit ſingulis: ſic adeſt ſingulis, „ ut ſimul omnibus nunquam deſit. Nam etſi quoſdam peccantes „ deſerit, eiſdem tamen ipſis adeſt per judicium, quibus deeſſe „ cernitur per adjumentum. Sic itaque exteriora circumdat, ut „ interiora impleat: ſic interiora implet, ut exteriora circum- „ det: ſic ſumma regit, ut ima non deſerat: ſic imis præ- „ ſens eſt, ut a ſuperioribus non recedat: ſic latet in ſua ſpe- „ cie, ut tamen cognoſcatur in operatione: ſic cognoſcitur in „ ſuo opere, ut tamen comprehendi non valeat a cognoſcentis æ- „ ſtimatione: ſic adeſt, ut videri nequeat: ſic videri non valet, „ ut tamen ejus præſentiam ipſa ſua judicia teſtentur: ſic ſe nobis „ intelligendum præbet, ut tamen ipſum nobis radium ſui intelle- „ ctus obnubilet: & rurſum ſic caligine nos ignorantiæ reprimit, „ ut tamen menti noſtræ radiis ſuæ claritatis intermicet “.

Cur Deus etiam malis bona rependat, rationem reddit dicens: „ Malorum (*h*) domos Dominus bonis implet, quia etiam ingra- „ tis ſua dona non denegat: ut aut benignitatem conditoris erubeſ- „ cant, & ad bonitatem redeant: aut redire omnimodo conte- „ mnentes, inde illic gravius puniantur, unde hic & bonis Dei „ largioribus mala reddiderunt: ut duriora eos tunc ſupplicia pu- „ niant, quorum hic malitiam nec dona vicerunt “.

Superbiæ damna, & humilitatis emolumenta deſcribit per hæc verba: „ Quantalibet ſit (*i*) juſtitia operis, apud internum judi- „ cem nulla eſt, ſi hanc elevat tumor mentis .... Oculos incli- „ nare

(a) *Pſal.* 15. 2. (b) *Matth.* 25. 40.
(c) *Ibid. c.* 5. *n.* 8. (d) *Ibid. n.* 9.
(e) *Ibid. c.* 6. *n.* 10. (f) *Ibid. c.* 8. *n.* 12.
(g) *Ibidem.* (h) *Ibid. c.* 12. *n.* 17.
(i) *Ibid. c.* 23. *n.* 28.

„ nare (*a*), est nullum respiciendo despicere, sed se minorem at- S.GREG. M.
„ que imparem cunctis quos aspicit, æstimare. Salvabitur itaque
„ qui oculos inclinat: quia qui falsum superbiæ verticem deserit,
„ veritatis altitudinem ascendit".

Gratiæ necessitatem inculcat, scribens: „ Illum in (*b*) extremo
„ examine justitia æterni judicis salvat, quem hic ejus pietas ab
„ immundis operibus liberat .... Superna ergo pietas prius agit
„ in nobis aliquid sine nobis, ut subsequente quoque nostro libero
„ arbitrio, bonum quod jam appetimus, agat nobiscum: quod
„ tamen per impensam gratiam in extremo judicio ita remunerat
„ in nobis, ac si solis processisset ex nobis".

Justorum sollicitudinem in via veritatis retinenda describit dicens:
„ Hæc est sollicitudo justorum (*c*), ut actus suos quotidie juxta
„ vias veritatis examinent, & eas sibi in regulam proponentes, a
„ rectitudinis earum tramite non declinent. Super semetipsos
„ quippe quotidie ire contendunt, & quo in virtutum verticem
„ provehuntur, cauta reprehensione dijudicant, quidquid de eis ex
„ semetipsis remanet infra semetipsos, & totos se illo festinant tra-
„ here, ubi se inveniunt ex parte pervenisse".

Neminem in pravis cogitationibus immunem dicit, scribens:
„ Sæpe etiam (*d*) corda justorum subortæ cogitationes polluunt,
„ terrenarum rerum delectationibus tangunt; sed dum citius manu
„ sanctæ discretionis abiguntur, festine agitur, ne cordis faciem
„ caligo operiat, quæ hanc jam ex illicita delectatione tangebat.
„ Nam sæpe in ipso orationis sacrificio importunæ se cogitationes
„ ingerunt, quæ hoc rapere vel maculare valeant, quod in nobis
„ Deo flentes immolamus".

Hæreticorum fraudes detegit, ostendens infirmos & indoctos qua vi, qua blandimentis seducere (*e*); Sanctorum Patrum doctrinam otiosis & incautis auferre (*f*): Fideles persecutionibus insectantur, quas tamen fidelibus utiles dicit (*g*): Ecclesiæ unitatem solvere nituntur (*h*): Deum tamen eorum scelera impunita minime relinquere (*i*): sed eos reprobo sensui tradere (*k*).

Quod non sit peccatum irremissibile, explicat dicens: „ Peccatum
„ usque ad inferos (*l*) ducitur, quod ante finem vitæ præsentis
„ per correctionem ad pœnitentiam non emendatur. De quo vi-
„ delicet peccato per Joannem dicitur: *Est peccatum ad mortem*,
„ *non pro illo dico ut roget quis* (*m*). Peccatum namque ad mor-
„ tem, est peccatum usque ad mortem: quia scilicet peccatum
„ quod hic non corrigitur, ejus venia frustra postulatur".

Quar-

(a) *Ibid. c.* 14. *n.* 29. (b) *Ibid. c.* 25. *n.* 30.
(c) *Ibid. c.* 34. *n.* 42. (d) *Ibid. c.* 42. *n.* 53.
(e) *Ibid. c.* 52. *n.* 65. (f) *Ibid. c.* 53. *n.* 66.
(g) *Ibid. c.* 54. *n.* 67. (h) *Ibid. c.* 55. *n.* 68.
(i) *Ibid. c.* 56. *n.* 69. (k) *Ibid. c.* 58. *n.* 71.
(l) *Ibid. c.* 68. *n.* 82. (m) 1. *Joan.* 5. 16.

[redacted] S. GREG. M. Liber Decimus septimus.

Quarta Moralium pars libros sex complectitur. In quorum primo reliqua capitis 24. a versu 20. dimidiato, & integra capita 25. 26. morali sensu exponit. In libro itaque decimo septimo, primo S. Jobi nomen & passiones typica expositione enodat, ostendens, in ipso Christum ejusque passionem designari; quare scribit: Crebro (*a*) dixisse me memini, quoniam beatus Job passiones Redemptoris nostri, ejusque corporis, idest sanctæ Ecclesiæ, „ & passione sua signavit & nomine. Job quippe interpretatur „ Dolens. Et quis alius in hoc dolente figuratur, nisi is de quo „ scriptum est: *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros* „ *ipse portavit* (*b*)? . . . Amici vero ejus hæreticorum speciem „ tenent, qui, ut sæpe jam diximus, Deum dum defendere nituntur, offendunt ". Eorum autem labores steriles ostendit (*c*).

Deinde ostendit, quomodo misericordia Dei a peccantibus neglecta in eorum pœnam vertitur, scribens: „ Quisquis (*d*) delinquit „ & vivit, hunc divina dispensatio in iniquitate tolerat, ut ab „ iniquitate compescat. Sed qui diutius toleratur, nec tamen ab „ iniquitate compescitur, munus quidem supernæ patientiæ percipit, sed reatus sui vinculis, ex ipso se munere arctius adstringit. Nam quia accepta pœnitentiæ tempora divertit ad culpam, districtius in ultimis judex impensa argumenta misericordiæ „ convertit ad pœnam ".

Plane diversam justorum & impiorum conditionem in paleis & granis adumbratam agnoscit scribens: „ Aristæ (*e*) ad alta prosiliunt, grana latent: quia & reproborum potentia eminet, & „ electorum gloria non apparet. Illi se bonorum fastibus ostendunt, isti in humilitate se deprimunt. Sed trituræ tempus adveniet, quod & aristarum rigiditatem frangat, & solida grana „ non conterat. Tunc quippe superbia iniquorum comminuitur, „ tunc electorum vita quanta integritate fulgeat, declaratur: quia „ cum injusti deficiunt, ex hac ipsa aristarum contritione agitur, „ ut grana appareant quæ latebant. Cumque aristæ franguntur, „ granorum candor ostenditur: quia iniquis in supplicia æterna „ cadentibus, Sanctorum justitia quanta veritate candeat, demonstratur ".

De Angelis vero disputans, dicit, eorum numerum (*f*) & infinitum, & definitum exprimi in Scripturis, „ ut qui Deo est numerabilis, esse innumerabilis hominibus demonstretur ". Dici etiam milites Dei, quia (*g*) decertant contra aereas potestates: ordinari ad Regnorum, populorumque custodiam, & gubernationem (*h*). Quomodo vero, cum quammaxime sint inter se concordes, tamen inter se confligere dicantur, explicat dicens: „ Recte „ dici-

(a) *Ibid. c.* 1. *n.* 1. (b) *Isaj.* 53. 4.
(c) *Ibid. c.* 3. *n.* 4. (d) *Ibid. cap.* 6. *n.* 8.
(e) *Ibid. c.* 10. *n.* 13. (f) *Ibid. c.* 13. *n.* 18.
(g) *Ibib. n.* 19. (h) *Ibid. c.* 12. *n.* 17.

„ dicitur, quod contra se (a) Angeli veniunt; quia subjectarum „ sibi gentium vicissim merita contradicunt. Nam sublimes spiri- „ tus iisdem gentibus principantes nequaquam pro injuste agentibus „ decertant, sed eorum facta juste judicantes examinant. Cumque „ uniuscujusque gentis vel culpa vel justitia ad supernæ curiæ con- „ silium ducitur, ejusdem gentis præpositus vel obtinuisse in cer- „ tamine, vel non obtinuisse perhibetur. Quorum tamen omnium „ una victoria est sui super se opificis voluntas summa; quam „ dum semper aspiciunt, quod obtinere non valent, nunquam vo- „ lunt ". Angelis etiam adaptat verba Jobi, *Columnæ Cæli contremiscunt*. Columnas cæli sanctos Angelos appellat, „ quia ipsæ „ (b) quoque virtutes cælestium, quæ Deum sine cessatione respi- „ ciunt, in ipsa sua contemplatione contremiscunt. Sed isdem „ tremor ne eis pœnalis sit, non timoris est, sed admiratio- „ nis ".

S. GREG. M.

Librum denique claudit terribili Dei judicantis descriptione, cujus formidabilem Majestatem ex eo colligit, quod adhuc in carne positus (c) „ vocem solummodo mitissimæ responsionis proferens, „ armatos persecutores suos protinus in terram stravit ". Quamobrem subdit: „ Quid ergo facturus est cum judicaturus venerit, „ qui una voce hostes suos perculit, etiam cum judicandus venit? „ Quod est illud judicium quod immortalis exerit, qui in una vo- „ ce non potuit ferri moriturus? Quis ejus iram toleret, cujus & „ ipsa non potuit mansuetudo tolerari "?

Liber Decimus octavus.

In hoc decimo octavo libro totum caput 27. & partem 28. usque ad versiculum 21. dimidiatum multiplici sensu sumit explicandum. Et primo quidem ostendit, Sacræ Scripturæ obscuritatem ad altiorem ejus sensum investigandum provocare. Deinde observat (d), Jobi loquendi genus parabolicum esse ac mysticum.

Explicat vero quomodo diabolus justos obligandi habeat potestatem, scribens: „ Diabolus (e) licet afflictionem justorum sem- „ per appetat; tamen si ab auctore nostro potestatem non accipit, „ ad tentationis articulum nullatenus convalescit. Unde & omnis „ voluntas Diaboli injusta est, & tamen permittente Deo omnis „ potestas justa est. Ex se enim tentare quoslibet injuste appetit, „ sed eos qui tentandi sunt, prout tentandi sunt, non nisi tentari „ Deus juste permittit ".

Mendacium nunquam licitum, nec ad vitam hominis salvandam licere docet, scribens: „ Summopere (f) cavendum est omne men- „ dacium, quamvis nonnunquam sit aliquod mendacii genus culpæ „ levioris, si quisquam præstando mentitur ... Hoc quoque men- „ dacii genus perfecti viri summopere fugiunt, ut nec vita cujus- „ libet per eorum fallaciam defendatur, ne suæ animæ noceant, dum

(a) *Ibidem*. (b) *Ibid. c. 39. n. 44.*
(c) *Ibid. c. 33. n. 54.* (d) *Ibid. c. 1. n. 2.*
(e) *Ibid. c. 2. n. 4.* (f) *Ibid. c. 3. n. 5.*

S.GREG. M. „ dum præstare vitam carni nituntur alienæ . . . Et licet (a) in „ Testamento veteri nonnulla possint talia reperiri, pene nun„ quam tamen hoc, vel tale genus mendacii a perfectis admissum, „ studiosus ibi lector inveniet “.

Aliqua peccata nec a justis vitari posse ostendit scribens: „ Sciendum (b) est, quod sunt peccata quæ a justis vitari possunt, & „ sunt nonnulla quæ etiam a justis vitari non possunt. Cujus „ enim cor in hac corruptibili carne consistens, in sinistra cogita„ tione non labitur, vel si usque ad consensus foveam non merga„ tur? Et tamen hæc ipsa prava cogitare, peccare est. Sed dum „ cogitationi resistitur, a confusione sua animus liberatur. Mens „ ergo justorum etsi libera est a perverso opere, aliquando tamen „ corruit in perversa cogitatione. Et in peccatum ergo labitur, „ quia saltem in cogitatione declinatur: & tamen unde semeti„ psam postmodum flendo reprehendat, non habet, quia ante se re„ parat, antequam per consensum cadat “.

Amorem Dei & Mundi in uno corde conjungi non posse ostendit scribens: „ Joannes (c) Apostolus sciens inter spinas amorum sæ„ cularium, supernæ caritatis messem germinare non posse, prius„ quam æterni amoris semina proferat, de audientium cordibus „ sancta verbi manu, amorum sæcularium spinas eradicat, dicens: „ *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt* . . . Ac „ si aperte dicat: Utrique se amores in uno corde non capiunt; „ nec in eo seges supernæ caritatis pullulat, in quo illam spinæ „ infimæ delectationis necant “.

Venti urentis nomine Diabolus quomodo designetur, ostendit scribens: „ Quis hoc loco (d) ventus urens, nisi malignus spiritus „ vocatur, qui desideriorum flammas in corde excitat, ut ad æter„ nitatem suppliciorum trahat? Perversum ergo quemlibet ventus „ urens tollere dicitur, quia insidiator malignus spiritus, qui vi„ ventem quemque accendit ad vitia, morientem trahit ad tor„ menta “.

Quid in aliena pœna timendum sit, explicat, interpretans illa Jobi verba: *Stringet super eum manus suas*. Manus (e) „ strin„ gere, est vitæ suæ opera in rectitudine confirmare . . . . Dum „ itaque alienum interitum conspiciunt, revocantur ad cor, ut re„ cogitent suum: & unde alius ad tormenta ducitur, a tormento „ alius inde liberatur. Stringit ergo super eum manus suas, quia „ conspicit in aliena pœna quid timeat: & dum delinquentem sic „ percussum conspicit, dissoluta sua opera justitiæ vigore constrin„ git. Sicque fit, ut qui iniquus vivens multos ad culpam tra„ xerat delectatione peccati, quosdam moriens a culpa revocet „ terrore tormenti “.

Ele-

(a) *Ibid. n.* 7. (b) *Ibid. c.* 5. *n.* 11.
(c) *Ibid. c.* 9. *n.* 16. (d) *Ibid. c.* 20. *n.* 32.
(e) *Ibid. c.* 24. *n.* 37.

Electos omnes in hoc mundo peregrinari dicit, scribens: „ Quis „ autem (*a*) in hoc mundo peregrinatur populus, nisi qui ad „ sortem electorum currens, habere se patriam novit in cælestibus: „ & tanto magis se illic sperat invenire propria, quanto hic cun- „ cta quæ prætereunt, esse a se deputat aliena? Peregrinus ita- „ que est populus, omnium numerus electorum, qui hanc vitam „ quoddam sibi exilium deputantes, ad supernam patriam tota „ cordis intentione suspirant ". S.Greg. M.

Humilitatem commendat scribens: „ Sciendum (*b*) magnopere „ est, quia tanto unaquæque anima fit pretiosior ante oculos Dei, „ quanto præ amore veritatis despectior fuerit ante oculos suos.. „ Hinc ad Saul dicitur: *Nonne cum parvulus esses in oculis tuis*, „ *caput te constitui in tribubus Israel* (*c*)? Ac si aperte diceret: „ Magnus mihi fuisti, quia despectus tibi; sed nunc quia magnus „ tibi es, factus es despectus mihi .... Tanto ergo fit quisque „ vilior Deo, quanto pretiosior sibi: tanto pretiosior Deo, quan- „ to propter eum vilior sibi ".

Gratuitæ prædestinationis exemplum agnoscit in bono Latrone, scribens: „ Libet (*d*) ... mentis oculos ad illum Latronem re- „ ducere, qui de fauce diaboli ascendit crucem, de cruce Paradi- „ sum. Intueamur qualis ad patibulum venerit, & a patibulo „ qualis abscessit. Venit reus fraterno sanguine, venit cruentus, „ sed interna gratia est mutatus in cruce: & ille qui mortem fra- „ tri intulit, morientis Domini vitam prædicavit .... In cruce „ clavi manus ejus pedesque ligaverant, nihilque in eo a pœnis „ liberum, nisi cor & lingua remanserant. Inspirante Deo totum „ illi obtulit, quod in se liberum invenit, ... In corde autem „ fidelium tres summopere manere virtutes testatur Apostolus, di- „ cens: *Nunc autem manent fides*, *spes*, *caritas* (*e*). Quas „ cunctas subita repletus gratia & accepit latro, & servavit in „ cruce. Fidem namque habuit, qui regnaturum Dominum cre- „ didit, quem secum pariter morientem vidit; spem habuit qui „ regni ejus aditum postulavit ... Caritatem quoque in morte „ sua vivaciter tenuit, qui fratrem & collatronem pro simili scele- „ re morientem, & de iniquitate sua arguit, & ei vitam, quam „ cognoverat, prædicavit, ... Ille qui talis ad crucem venit ex „ culpa, ecce qualis a cruce recedit ex gratia. Confitebatur Do- „ minum, quem videbat secum humana infirmitate morientem, „ quando negabant Apostoli eum, quem miracula viderent divina „ virtute facientem ".

Quomodo beati Spiritus sibi invicem animi sensus pandant, exponit scribens: „ Beatorum claritas (*f*) vicissim sibi in alternis „ cordibus patet, & cum uniuscujusque vultus attenditur, simul &

(a) *Ibid. c.* 30. *n.* 48. (b) *Ibid. c.* 38. *n.* 59.
(c) 2. *Reg.* 15. 17. (d) *Ibid. c.* 40. *n.* 64.
(e) 1. *Corinth.* 13. 15. (f) *Ibid. c.* 48. *n.* 78.

[redacted] „ conſcientia penetratur; hoc ipſum aurum vitro mundo ſimile eſ-
S. GREG. M. „ ſe memoratur. Ibi quippe uniuſcujuſque mentem ab alterius „ oculis, membrorum corpulentia non abſcondet, ſed patebit ani- „ mus: patebit corporalibus oculis ipſa etiam corporis harmo- „ nia, ſicque unuſquiſque tunc erit conſpicabilis alteri, ſicut nunc „ eſſe non poteſt conſpicabilis ſibi “.

Neſtorianam hæreſim confutat ſcribens: „ Quamvis (*a*) Chri- „ ſtus aliud ex Patre, aliud ex Matre, non tamen alius ex Pa- „ tre, alius ex Virgine: ſed ipſe eſt æternus ex Patre, ipſe tem- „ poralis ex Matre; ipſe qui fecit, ipſe qui factus eſt; ipſe ſpe- „ cioſus forma præ filiis hominum per divinitatem, & ipſe de „ quo dictum eſt: *Vidimus eum, & non erat aſpectus, & non* „ *eſt ſpecies ei neque decor* (*b*), per humanitatem. Ipſe ante „ ſæcula de patre ſine matre, ipſe in fine ſæculorum de matre ſine „ patre. Ipſe templum, ipſe conditor templi; ipſe auctor operis, „ ipſe opus auctoris: manens unus ex utraque & in utraque na- „ tura, nec naturarum copulatione confuſus, nec naturarum diſtin- „ ctione geminatus “.

Duplicem alium refellit errorem: primum illorum, qui „ Deum „ (*c*) dicebant in illa regione beatitudinis, in claritate quidem „ ſua conſpici, ſed in natura minime videri . . . Neque enim illi „ ſimplici & incommutabili eſſentiæ aliud eſt claritas, & aliud „ natura: ſed ipſa ei natura ſua claritas, ipſa claritas natura „ eſt “. Alterum illorum, qui Angelos divina viſione expertes arbitrabantur, quia de illis ſcriptum eſt: *In quem deſiderant angeli proſpicere* (*d*), cum tamen dictum per veritatis ſententiam ſciamus: *Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Patris mei qui in cælis eſt* (*e*).

Denique librum claudit, oſtendens, & declarans, quomodo in beatitudine conſtituti Deum conſpiciamus, ſcribens: „ Non ita con- „ ſpiciemus Deum, ſicut ipſe conſpicit ſe: ſicut non ita requieſci- „ mus in Deo, quemadmodum ipſe requieſcit in ſe. Nam viſio no- „ ſtra, vel requies erit utcumque ſimilis viſioni, & requiei illius: „ ſed æqualis non erit.

Liber decimus nonus. Reliquos capitis 28. verſiculos exponit D. Gregorius, & ſequentis capitis verſiculos uſque ad 21. multa pulchre docens de Chriſto, & Eccleſia. Primo itaque animadvertit, mirum non eſſe (*f*), ſi æterna Dei ſapientia conſpici non valet, quando ipſa quoque inviſibilia, quæ per eam condita ſunt, humanis oculis comprehendi non poſſunt.

Quomodo Dei ſapientia & viam, & locum habeat, pulchre exponit ſcribens: „ Coæterna (*g*) Deo ſapientia aliter viam habet, „ atque

(a) *Ibid. c.* 52. *n.* 85. (b) *Iſaj.* 53. 2.
(c) *Ibid. c.* 54. *n.* 90. (d) 1. *Petr.* 1. 12.
(e) *Matth.* 18. 10. (f) *Ibid. n.* 1.
(g) *Ibid. c.* 3. *n.* 5.

„ atque aliter locum. Locum vero si quis intelligat, non loca- S.GREG. M.
„ lem. Nam teneri corporaliter non potest Deus . . . Locus sa-
„ pientiæ Pater est, locus Patris sapientia . . . Aliter ergo ipsa
„ sapientia habet viam, atque aliter locum. Viam per humanita-
„ tis transitum, locum vero per statum divinitatis. Inde enim non
„ transit, unde æterna est: sed inde transit, unde propter nos ap-
„ paruit temporalis ".

Quid aquæ nomine designetur in Scripturis, ostendit dicens: „ Aquæ in Scriptura Sacra (a) aliquando Spiritum Sanctum, ali- „ quando scientiam sacram, aliquando scientiam pravam, aliquando „ tribulationem, aliquando defluentes populos, aliquando mentes fi- „ dem sequentium designare solent ". Primum designatur in illis verbis: „ *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus* „ *fluent aquæ vivæ*. Ubi Evangelista secutus adjunxit: *Hoc autem* „ *dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum* (b) ". Secundum ostendunt verba illa: „ *Aqua sapientiæ salutaris potabit* „ *eos* (c) ". Tertium in illis verbis designatur: „ *Aquæ furti-* „ *væ dulciores sunt* (d) ". Quartum verba Psalmi ostendunt: „ *Intraverunt aquæ usque ad animam meam* (e) ". Quintum verba illa: „ *Aquæ vero sunt populi* (f) ". Postremum in illis verbis apparet: „ *Beati qui seminatis super omnes aquas* (g): & „ per Psalmistam: *Vox Domini super aquas* (h) ".

Ecclesiam persecutionem pati duobus modis declarat scribens: „ Ab adversariis namque suis duobus modis (i) Ecclesia perse- „ cutionem patitur, scilicet aut verbis, aut gladiis. Sed cum ver- „ bis persecutionem sustinet, exercetur ejus sapientia; cum vero „ gladiis, exercetur ejus patientia. Sed verborum persecutiones ab „ hæreticis nunc etiam quotidie toleramus, cum ipsi hæretici linguis „ nobis subdolis, & falsa humilitate blandiantur. Persecutiones vero „ gladiorum juxta finem mundi secuturæ sunt, ut grana cælestibus „ horreis recondenda, tanto verius a peccatorum paleis exuan- „ tur, quanto arctius affliguntur . . . . Tantis quippe (k) il- „ lam futurum est tribulationibus angustari, ut hæc tempora cum „ magno suspirio desideret, quæ nos cum magno dolore tole- „ ramus ".

In Ecclesiæ Rectoribus & rigorem postulat & mansuetudinem, sed illum sine rigore, hanc sine dissolutione: quamobrem scribit, „ Cunctis rectoribus (l) utraque summopere cuncta sunt te- „ nenda, ut nec in disciplinæ vigore benignitatem mansuetudi- „ nis, nec rursum in mansuetudine districtionem deserant disci- „ plinæ: quatenus nec a compassione pietatis obdurescant, cum

(a) *Ibid. cap. 6. n. 9.* (b) *Joan. 7. 38.*
(c) *Eccli. 15. 3.* (d) *Prov. 9. 17.*
(e) *Psalm...* (f) *Apocalyp. 17. 15.*
(g) *Isai. 32. 20.* (h) *Psal. 28. 3.*
(i) *Ibid. c. 8. n. 16.* (k) *Ibid. c. 10. n. 17.*
(l) *Ibid. c. 20. n. 30.*

S. GREG. M. „ contumaces corrigunt; nec disciplinæ vigorem molliant, cum „ infirmorum animos consolantur. Regat ergò disciplinæ vigor „ mansuetudinem, & mansuetudo ornet vigorem, & sic alterum „ commendetur ex altero, ut nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo „ dissoluta “.

Justitiæ opera misericordiæ operibus præmittenda docet, scribens: „ Intuendum nobis prius est (*a*)... ut ante justitiæ, & „ post misericordiæ opera describantur. Ille quippe bene agit quæ „ pia sunt, qui scit prius servare quæ justa: ut collatus in proximos rivus misericordiæ, de justitiæ fonte ducatur. Nam multi „ proximis quasi opera misericordiæ impendunt, sed injustitiæ facta non deserunt. Qui si veraciter proximis misericordiam facere student, sibi ipsis prius debuerant juste vivendo misereri “.

Justos merito palmæ comparari ostendit, dicens: „ Nec immerito (*b*) justorum vita palmæ comparatur: quia scilicet palma „ inferius tactu aspera est, & quasi aridis corticibus obvoluta; „ superius verò & visu fructibus pulcra: inferius corticum suorum „ involutionibus angustatur: sed superius amplitudine pulcræ viriditatis expanditur. Sic quippe est electorum vita, despecta inferius, superius pulcra: in imo ista quasi multis corticibus obvolvitur, dum innumeris tribulationibus angustatur: in summo „ vero illa quasi pulcræ viriditatis foliis amplitudine retributionis „ expanditur “.

Arcus nomine plura designari in Scripturis animadvertit, scilicet „ aliquando (*c*) malorum insidias: *Intenderunt arcum suum*, „ *rem amaram* (*d*): aliquando diem judicii: *Dedisti metuentibus te significationem*, *ut fugiant a facie arcus* (*e*): aliquando sacram Scripturam, & ipsa Dei eloquia: *Arcum suum tetendit & paravit illum* (*f*): & de sacris prædicatoribus dicitur: *Cum sagittis & arcu ingrediuntur illuc* (*g*)“. Hinc concludit: „ Arcus in manu, est Scriptura sacra in operatione. In „ manu etenim arcum tenet, qui divina eloquia, quæ intellectu „ cognoscit, operatione perficit “.

Liber vigesimus. Reliquos quinque capitis 29. versiculos exponit in hoc libro, & totum caput 30. Et primo quidem de sacra Scriptura sic dicit: „ Omnem scientiam (*h*) atque doctrinam Scriptura sacra sine „ aliqua comparatione transcendit... quod vera prædicat; quod „ ad cœlestem patriam vocat; quod a terrenis desideriis ad superna „ amplectenda cor legentis immutat: quod dictis obscurioribus exercet fortes, & parvulis humili sermone blanditur: quod nec „ sic clausa est, ut pavesci debeat, nec sic patet ut vilescat: quod „ usu fastidium tollit, & tanto amplius diligitur, quanto amplius „ me-

(a) *Ibid. c.* 23. *n.* 38. (b) *Ibid. c.* 25. *n.* 49.
(c) *Ibid. c.* 30. *n.* 54. (d) *Psal.* 63. 4.
(e) *Psal.* 59. 5. (f) *Psal.* 7. 13.
(g) *Isaj.* 7. 24. (h) *Ibid. c.* 1. *n.* 1.

„ meditatur: quod legentis animum humilibus verbis adjuvat, „ sublimibus sensibus levat: quod aliquo modo cum legentibus cre- „ scit: quod a rudibus lectoribus quasi recognoscitur, & tamen „ doctis semper nova reperitur ". S. Greg. M.

Verbi Dei præcones sic instruit: „ Debet (a) subtiliter is qui „ docet, perspicere, ne plus studeat, quam ab audiente capitur, „ prædicare. Debet enim ad infirmitatem audientium semetipsum „ contrahendo descendere, ne dum parvis sublimia, & idcirco non „ profutura loquitur, se magis curet ostendere, quam auditoribus „ prodesse ".

Prælatos vero & Superiores sic docet: „ Talis (b) debet esse „ dispensatio regiminis, ut is qui præest, ea se circa subditos men- „ sura moderetur, quatenus & arridens timeri debeat, & iratus „ amari: ut eum nec nimia lætitia vilem reddat, nec immoderata „ severitas odiosum . . . Sæpe a disciplinæ metu resolvimus sub- „ ditos, si nostro regimini hilaritatis frena laxamus: quia dum nos „ quasi licenter lætos aspiciunt, audacter ipsi ad illicita resolvun- „ tur ". Et iterum: „ In bonis (c) Rectoribus permixta sit & „ regendi auctoritas, & benignitas consolandi . . . Disciplina enim „ vel misericordia multum destituitur, si una sine altera teneatur. „ Sed circa subditos suos inesse Rectoribus debet & juste consolans „ misericordia, & pie sæviens disciplina ".

Quam dispari modo sacram Scripturam legant hæretici, & catholici ostendit, scribens: „ Hæretici (d) dum in sacro eloquio „ plus secreta Dei student perscrutari, quam capiunt, fame sua „ steriles fiunt. Neque enim ea quærunt, ex quibus semetipsos „ ad humilitatem erudiant, mores in tranquillitate disponant, pa- „ tientiam servent, longanimitatem exhibeant, sed ea solummo- „ do, quæ eos doctos atque loquaces demonstrent: illa scire ap- „ petunt, ex quibus singulariter eruditi videantur. Plerumque enim „ audacter de natura divinitatis tractant, cum semetipsos miseri „ nesciant . . . At contra hi (e), qui in sancta Ecclesia vera- „ citer sunt humiles, & veraciter docti, norunt de secretis cælesti- „ bus & quædam considerata intelligere, & quædam non intelle- „ cta venerari: ut quæ intelligunt, veneranter teneant: & quæ „ needum intelligunt, humiliter expectent ".

Peccatores excæcatione puniri docet scribens: „ Habet (f) hoc „ plerumque humanus animus proprium, quod mox ut in culpam „ labitur, a sui adhuc longius cognitione separetur. Hoc ipsum „ namque malum quod agit, menti se obicem ante oculum ratio- „ nis interserit. Unde fit, ut anima prius voluntariis tenebris „ obsessa, postmodum bonum jam nec quod quærat, agnoscat.... „ Hinc itaque est quod reprobi subjecti flendis sceleribus gau-

D 3 „ dent...

(a) *Ibid. n. 4.* (b) *Ibid. c. 3. n. 6.*
(c) *Ibid. c. 5. n. 14.* (d) *Ibid. c. 8. n. 18.*
(e) *Ibid. n. 19.* (f) *Ibid. c. 14. n. 37.*

S. GREG. M. „ dent . . . . Hinc est quod lacrymarum causas tripudiantes per„ agunt : hinc est quod mortis suæ negotium ridentes exsequun„ tur ".

Malos ostendit plus asperitate laboris, quam quietis dulcedine delectari, scribens: „ Cessationem (*a*) Dominus a mundi labori„ bus imperat, sanctæ quietis dulcedinem persuadet: & tamen „ vesana iniquorum mens plus se assequi aspera carnaliter, quam „ tenere blanda spiritualiter gaudet: plus acerbitate fatigationis, „ quam quietis dulcedine pascitur. Quod aperte in semetipso no„ bis Israeliticus populus ostendit: qui dum refectionem mannæ de„ super perciperet, ab Ægypto ollas carnium, pepones, porros, „ cepasque concupivit ".

Quomodo multi Deum premant quin tangant, declarat scribens: „ Turbæ (*b*) premebant Dominum, sed tamen sola tetigit, quæ „ ad illum humiliter venit : quia nimirum multi etiam in sancta „ Ecclesia reprobi veritatem cognoscendo premunt, quam bene vi„ vendo tangere negligunt . Premunt, & longe sunt : quia divi„ nam notitiam professionibus sequuntur, moribus fugiunt . Pre„ munt, inquam, sed longe sunt; quia eidem fidei, quam loquendo „ adstruunt, agendo contradicunt ".

Quomodo sit a prædicatione cessandum, docet scribens : „ Scien„ dum est (*c*), quod nonnunquam cum redarguuntur pravi, dete„ riores existunt. Ipsis ergo & non nobis parcimus, si ab eorum „ redargutione pro eorum amore cessamus . Unde necesse est, ut „ aliquando toleremus tacendo quod sunt, quatenus in nobis di„ scant bene vivendo quod non sunt. Quia igitur sancta Eccle„ sia, quæ verba sua semper per caritatem exerit, ea etiam non„ nunquam ex caritate restringit , dicat : *Frenum posuit in os* „ *meum*. Ac si aperte fateatur, dicens; Quia in quibusdam pro„ vectum non vidi prædicationis, ab eis impetum temperavi: ut „ vitam meam saltem per patientiam discerent, cum verba mea „ admittere per oblatam prædicationem nollent ".

Utilitati justorum, etiam pravorum potestatem militare docet, dum scribit: „ Nunquam (*d*) Dominus adversos bonis esse per„ mitteret, nisi etiam quantum prodessent videret. Nam dum in„ justi sæviunt, justi purgantur, & utilitati innocentium militat „ vita pravorum, dum hanc & premendo humiliat, & humilian„ do semper ad melius format ".

Præscientiam rerum causam esse docet: „ Quia ea (*e*) quæ no„ bis futura sunt, videt, quæ tamen ipsi semper præsto sunt, præ„ scius dicitur, quamvis nequaquam futurum prævideat, quod præ„ sens videt. Nam & quæque sunt, non in æternitate ejus ideo „ videntur quia sunt, sed ideo sunt, quia videntur ".

Ve-

(a) *Ibid. c.* 15. *n.* 40.
(b) *Ibid. c.* 17. *n.* 43. (c) *Ibid. c.* 21. *n.* 47.
(d) *Ibid. c.* 24. *n.* 52. (e) *Ibid. c.* 32. *n.* 63.

Veram pietatem per patientiam probari ostendit scribens: „ Nullus (*a*) perfectus est, qui inter proximorum mala patiens non „ est. Qui enim æquanimiter aliena mala non tolerat, ipse „ sibi per impatientiam testis est, quia a boni plenitudine longe distat. Abel quippe esse renuit, quem Cain malitia non „ exercet “. S. GREG. M.

Denique duplicem prædicationis modum declarat scribens: „ Sancti Prædicatores (*b*) in Ecclesia, seu quilibet simplices & abstinentes, prout vires accipiunt, in ea proximis suis canticum „ bonæ exhortationis reddunt. Nam & prudentes quique ad prædicationis fructum solerter invigilant, atque ut alios ad vitam „ pertrahant, sono magnæ persuasionis elaborant: & qui in ea „ tardioris ingenii videntur, ex ipso vitæ suæ merito in quantum se posse conspiciunt, exhortationis erga alios auctoritatem sumunt, atque ad cælestem patriam quos valent trahere non desistunt “.

Caput trigesimumprimum Job ad versiculum 24. explicandum sumit in hoc libro D. Gregorius, in quo multa præclare prædicat de castitate, humilitate, & misericordia, atque potissimas peccandi occasiones vitandas valde inculcat. Et primo quidem monet in sacris explicandis Scripturis nec solum historicum, nec semper allegoricum sensum esse amplectendum, sed opportune modo unum, modo alterum proponendum, „ quia nonnumquam „ (*c*) subtracto literæ cortice, acutius mens nostra interna considerat, & reservato nonnunquam historiæ tegmine, bene se in „ exterioribus format “. Liber vigesimus primus.

Ad vitanda peccata exteriores sensus custodiendos docet scribens: „ Visus (*d*), auditus, gustus, odoratus, & tactus, quasi quædam „ viæ mentis sunt, quibus foras veniat, & ea quæ extra ejus sunt „ substantiam, concupiscat. Per hos etenim corporis sensus quasi „ per fenestras quasdam exteriora quæque anima respicit, respiciens „ concupiscit. Hinc etenim Jeremias ait: *Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras* (*e*). Mors quippe per „ fenestras ascendit, cum per sensus corporis concupiscentia veniens, habitaculum intrat mentis . . . Quisquis vero per has „ corporis fenestras incaute exterius respicit, plerumque in delectationem peccati, etiam nolens cadit; atque obligatus desideriis „ incipit desiderare quod vidit . . . Ne ergo quædam lubrica in „ cogitatione versemus, providendum nobis est: quia intueri non „ decet, quod non licet concupisci “.

Ut Dei hæreditas simus, esse peccatum excludendum, ostendit, dum explicans Jobi verba: *Quam enim partem Deus haberet in me desuper, & hæreditatem Omnipotens de excelsis?* scribit: „ Si

 „ mentem

(a) *Ibid. c. 39. n. 75.*
(b) *Ibid. c. 41. n. 79.*
(c) *Ibid. c. 1. n. 2.*
(d) *Ibid. cap. 2. n. 4.*
(e) *Jer. 9. 21.*

S. GREG. M. „ mentem in cogitatione (a) polluero, ejus, qui munditiæ auctor „ est, esse hæreditas nequaquam possum. Nulla enim bona sunt „ cetera, si occulti judicis oculis castitatis testimonio non appro- „ bantur". Castitatem ab humilitate non esse sejungendam monet, subdens: „ Si enim vel castitatem humilitas deserat, vel hu- „ militatem castitas relinquat, apud auctorem humilitatis & mun- „ ditiæ prodesse quid prævalet vel superba castitas, vel humilitas „ inquinata"?

Nulla bona opera sine remuneratione, nec ulla mala sine pœna a Deo relinqui docet, scribens: „ Vias (b) Dominus subtili exa- „ minatione considerat, ut in unoquoque nostrum nec ea, quæ re- „ muneret, bona prætereat, nec mala, quæ videlicet displicent, „ sine increpatione derelinquat".

Discrimen assignat inter crimen & peccatum; luxuriam vero maximum crimen esse prædicat scribens: „ Hoc inter (c) peccatum „ distat & crimen, quod omne crimen peccatum est, non ta- „ men omne peccatum crimen est. Et in hac vita multi sine „ crimine, nullus vero esse sine peccatis valet . . . . . In qua „ videlicet peccatorum & criminum distinctione pensandum est, „ quia nonnulla peccata animam polluunt, quam crimina extin- „ guunt. Unde beatus Job crimen luxuriæ definiens, ait: *Ignis* „ *est usque ad perditionem devorans:* quia nimirum reatus hujus „ facinoris non solum usque ad inquinationem maculat, sed usque „ ad perditionem vorat. Et quia quamlibet alia fuerint bona o- „ pera, si luxuriæ scelus non abluitur, immensitate hujus crimi- „ nis obruuntur".

Præpositos monet, ne de sua prælatione superbiant, scribens: „ Homo (d) animalibus irrationabilibus, non autem cæteris ho- „ minibus natura prælatus est: & idcirco ei dicitur, ut ab ani- „ malibus, & non ab homine timeatur: quia contra naturam su- „ perbire est, ab æquali velle timeri, quamvis plerumque a sub- „ ditis etiam sancti viri timeri appetunt, sed quando ab eisdem „ subditis Deum minime timeri deprehendunt . . . . Nequaquam „ ergo præpositi ex hoc quæsito honore superbiant, in quo non „ suam gloriam, sed subditorum justitiam quærunt".

Eleemosynam hilariter & sine probris esse largiendam monet scribens: „ Sunt (e) nonnulli, qui mox ut ab egenis fratribus „ fuerint necessaria postulati, post dona largituri, in eos prius con- „ tumeliosa verba jaculantur. . . Non magni est operis quod po- „ stulata tribuunt, quia ipso dationis suæ munere vix eumdem ex- „ cessum sermonis tegunt".

Sancti libenter gravari se sinunt, & injuriam patiuntur, ut observat D. Gregorius scribens: „ Sancti viri (f) quan- „ do cum personis minoribus contentionum negotia subeunt, „ dum

(a) *Ibid. c.* 3. *n.* 6. (b) *Ibid. c.* 8. *n.* 10.
(c) *Ibid. c.* 12. *n.* 19. (d) *Ibid. c.* 15. *n.* 23.
(e) *Ibid. c.* 19. *n.* 29. (f) *Ibid. c.* 20. *n.* 32.

„ dum gravare vel in minimis timent, ipsi contra justitiam gravari nequaquam refugiunt. Sciunt quippe, quia omnis humana justitia injustitia esse reprehenditur, si divinitus stricte judicetur. Unde hoc quod sibi competit, cavent vehementer exigere, ne eorum actus supernam rectitudinem contingat subtiliter examinare. Sed ut inveniri justi in divino examine valeant, plerumque apud humana judicia gravari se & injuste patiuntur ". S. Greg. M.

Librum claudit extremi judicii formidinem incutiens, quare scribit: „ Qui (a) extremi judicii adventum intenta mente considerat, profecto videt, quia tantus pavor imminet, quantum non solum tunc videre, sed se etiam nunc prævidere pertimescat... Quomodo depressura sunt Dei judicia eos, qui se elevant, si & illos ad tempus deprimunt, qui hæc semper in humilitate formidant? Quomodo pondus Dei poterit ferre qui despicit, si hoc & ille (Job) in verbere pertulit, qui per timorem prævidit "?

Reliquos capitis 31. versiculos exponit S. Gregorius, & præsertim commendat humilitatem, moderationem, patientiam, caritatem, & erga subditos sollicitudinem. Et primo quidem ostendit, unam virtutem sine aliis vel consistere non posse, vel splendescere, scribens: „ Una virtus (b) sine aliis, aut omnino nulla est, aut imperfecta. Ut enim, sicut quibusdam visum est, de primis quatuor virtutibus loquar, prudentia, temperantia, fortitudine, atque justitia; tanto perfectæ sunt singulæ, quanto vicissim sibimet conjunctæ. Disjunctæ autem, perfectæ esse nequaquam possunt: quia nec prudentia vera est, quæ justa, temperans, & fortis non est: nec perfecta temperantia, quæ fortis, justa, & prudens non est: nec fortitudo integra, quæ prudens, temperans, & justa non est: nec vera justitia, quæ prudens, fortis, & temperans non est ". Liber vicesimus secundus.

Sanctorum mores describens observat, eos (c) bonorum temporalium onus vel largiendo partiri, aut omnino contemnendo deponere: Sensus (d) suos coercere, & intra mentem suam se colligere: Cavere (e) ne suæ innitatur prudentiæ: De sibi (f) concessis donis plus timere quam lætari: Ad suorum (g) bonorum operum splendorem minime exultare.

Virtutis ortum & progressum pulcra similitudine exponit, scribens: „ Sic profectus (h) est hominum, sicut incrementa esse conspicimus arbustorum. Vis quippe futuræ arboris prius in semine est, postmodum in ortu, atque ad extremum producitur in ramos. Sic nimirum sic uniuscujusque virtus succrescit operantis. Seminatur namque in intelligentia, oritur in operatione, „ atque

(a) *Ibid. c.* 22. *n.* 36. (b) *Ibid. c.* 1. *n.* 2.
(c) *Ibid. c.* 3. *n.* 5. (d) *Ibid. c.* 4. *n.* 6.
(e) *Ibid. n.* 7. (f) *Ibid. c.* 5. *n.* 9.
(g) *Ibid. c.* 6. *n.* 11. (h) *Ibid. c.* 7. *n.* 16.

S.GREG. M. „ atque ad ultimum convalescit usque ad profectus magni latitu-„ dinem . . . Si itaque adhuc arbor in semine est, metuendum „ est, ne ipsa scientiæ cognitione putrefiat. Si jam ad virgultum „ prodiit, curandum est, ne hanc manus elatioris tangat, atque a „ viriditate suæ actionis arefaciat. Si autem valenti robore jam ad „ alta se sublevat, valde formidandum est, ne hanc admotæ laudis „ ventus gravior radicitus evellat “.

Gratiæ prævenientis & subsequentis necessitatem prædicat, scribens: „ Sancti viri (*a*) sciunt post primi parentis lapsum, de „ corruptibili stirpe se editos, & non virtute propria, sed præve-„ niente superna gratia ad meliora se vota vel opera commutatos: „ & quidquid sibi mali inesse cognoscunt, de mortali propagine „ sentiunt meritum: quidquid vero in se boni inspiciunt, immor-„ talis gratiæ cognoscunt donum, eique de accepto munere debito-„ res fiunt, qui & præveniendo dedit eis bonum velle quod nolue-„ runt, & subsequendo concessit bonum posse quod volunt “.

Quid præstandum, ut eleemosyna meritoria sit, declarat, scribens: „ Mundari (*b*) etenim debet prius animus, qui eleemosynam præ-„ bet: quia omne quod datur Deo, ex dantis mente pensatur... „ Ex dantis quippe corde id quod datur, accipitur. Idcirco non „ Abel ex muneribus, sed ex Abel munera oblata placuerunt. „ Prius namque ad eum legitur Dominus respexisse qui dabat, „ quam ad illa quæ dabat “.

Falsam peccatorum humilitatem detegit scribens: „ Sed scien-„ dum est (*c*), quod plerumque homines & culpas confitentur, „ & humiles non sunt. Nam multos novimus, qui arguente nul-„ lo, peccatores se esse confitentur: cum vero de culpa sua fue-„ rint fortasse correpti, defensionis patrocinium quærunt, ne pecca-„ tores esse videantur. Qui si tunc cum id sponte dicunt pecca-„ tores se esse veraci humilitate cognoscerent, cum arguuntur ab „ aliis, esse se quod confessi fuerant, non negarent. Qua in re „ indicia veræ confessionis sunt, si cum quisque se peccatorem di-„ cit, id de se dicenti etiam alteri non contradicit “.

Ecclesiæ Pastores reprehendit munus suum non implentes: quare deflens scribit: „ Terræ (*d*) fructus absque pecunia comedit, qui „ ecclesiastica commoda ad usum corporis percipit, sed exhortatio-„ nis ministerium populo non impendit. Quid ad hæc nos pasto-„ res dicimus, qui adventum districti judicis præcurrentes, officium „ quidem præconis suscipimus, sed alimenta ecclesiastica muti man-„ ducamus? Exigimus quod nostro debetur corpori, sed non impen-„ dimus quod subjectorum debemus cordi “.

Librum denique claudit, Pastores & oves sic admonens: „ Sem-„ per

(a) *Ibid. c. 9. n. 20.*
(b) *Ibid. c. 14. n. 28.*
(c) *Ibid. c. 15. n. 33.*
(d) *Ibid. c. 22. n. 53.*

„ per (*a*) ſollicita conſideratione penſandum eſt, ne aut hi qui [redacted]
„ præſunt exempla mali operis ſubjectis præbeant, eorumque vi- S.Greg. M.
„ tam ſuæ gladio pravitatis extinguant: aut hi qui alieno regi-
„ mini ſubjacent, facile judicare audeant facta Rectorum, at-
„ que per hoc, quod de his qui ſibi prælati ſunt, murmurant,
„ non humano, ſed ei qui cuncta diſponit, divino ordini contra-
„ dicant ".

Sequitur pars quinta, quæ ſex complectitur libros, quorum in primo, qui in ordine eſt vigeſimus tertius, capita exponit 32. & 33. uſque ad verſiculum 22. ubi Eliu junior multa recta & ſana, ſed non recta & ſana intentione pronuntiat. Primo itaque exponit S. Gregorius, quo Dei conſilio, quibuſque modis S. Job a Deo fuerit probatus. Deinde per uxorem Job Eccleſiæ carnales amicos deſignari dicit, „ (*b*) qui intra ſanctam Eccleſiam poſiti, „ eo durius vitam fidelium, quo vicinius premunt: quia dum vi- „ tari a fidelibus quaſi fideles nequeunt, tanto gravius, quanto & „ interius tolerantur ". Per amicos vero hæreticos dicit denotari, „ qui quaſi dum conſulunt, invehuntur . . . & ſub ſpecie conſu- „ lendi, agunt negotium ſeducendi ".

Pars quinta Moralium Tom. 1.

In arrogantibus quatuor tumoris ſpecies diſtinguit, ſcribens: „ Quatuor (*c*) quippe ſunt ſpecies, quibus omnis tumor arrogan- „ tium demonſtratur: cum bonum aut a ſemetipſis habere ſe æſti- „ mant: aut ſi ſibi datum deſuper credunt, pro ſuis ſe hoc acce- „ piſſe meritis putant: aut certe cum jactant ſe habere quod non „ habent: aut deſpectis cæteris, ſingulariter videri appetunt habere „ quod habent ".

Superborum vitam detegens, oſtendit illos, 1. cum (*d*) corripiuntur non audire, aut diſſimulare. 2. Errantes (*e*) redarguendo, ſuæ ſapientiæ oſtentationem, non proximi utilitatem quærere. 3. Sanctorum (*f*) Patrum locutionis celſitudinem, non utilitatis intentionem comitari. 4. Nonnulla (*g*) vitia virtutes eſſe mentiri. 5. Sanam (*h*) doctrinam non ſane prædicare, quia inſoleſcunt. 6. Modeſtiam (*i*) ſolum ſimulare. 7. De ſimplicitate (*k*) falſo gloriari. 8. Studere (*l*) magis increpare, quam conſolari.

Quatuor modis juſtos in compunctione affici declarat ſcribens: „ Quatuor (*m*) ſunt qualitates, quibus juſti viri anima in com- „ punctione vehementer afficitur, cum aut malorum ſuorum remi- „ niſcitur, conſiderans ubi fuit, aut judiciorum Dei ſententiam „ metuens, & ſecum quærens, cogitat ubi erit: aut cum mala vi- „ tæ præſentis ſolerter attendens, mœrens conſiderat ubi eſt: aut „ cum

(a) *Ibid. c.* 24. *n.* 56. (b) *Ibid. c.* 1. *n.* 3.
(c) *Ibid. c.* 6. *n.* 13. (d) *Ibid. c.* 9. *n.* 16.
(e) *Ibid. c.* 10. *n.* 17. (f) *Ibid. c.* 11. *n.* 18.
(g) *Ibid. n.* 19. (h) *Ibid. c.* 13. *n.* 23.
(i) *Ibid. n.* 26. (k) *Ibid. c.* 14. *n.* 27.
(l) *Ibid. c.* 17. *n.* 30. (m) *Ibid. c.* 21. *n.* 41.

S. GREG. M. „ cum bona supernæ patriæ contemplatur, quæ quia necdum adipiscitur, lugens conspicit ubi non est “.

Tentationes ad humilitatem inducendam conducere ostendit scribens: „ Cum enim (*a*) sicut cupimus ad Deum proficimus: si „ profectum nostrum tentatio nulla pulsaret, alicujus nos fortitu„ dinis esse crederemus. Sed quia nobiscum superna dispensatione „ agitur, ut infirmitatis nostræ quia proficientes obliviscimur, „ tentati recolamus: & in profectu nostro quid de divino mu„ nere, & in tentatione cognoscimus quid de propriis viribus su„ mus “.

Panis nomine plura designari in Scripturis scribit: „ In Scriptu„ ra sacra (*b*) panis aliquando ipse Dominus, aliquando spiritua„ lis gratia, aliquando divinæ doctrinæ eruditio, aliquando hære„ ticorum prædicatio, aliquando subsidium vitæ præsentis, aliquan„ do jucunditas humanæ delectationis accipitur “.

Denique ad salutarem timorem adhortans librum claudit scribens: „ Nemo se (*c*) alicujus virtutis æstimet, etiam cum quid „ fortiter potest: quia si divina protectio deserat, ibi repente ener„ viter obruitur, ubi se valenter stare gloriabatur “.

Liber vigesimus quartus. In hoc libro exponuntur reliqui undecim versiculi capitis 33. & decem & octo priores capitis 34. & plura præclara tradit de Christo Mediatore, de contemplatione, de conversionis ordine, & de pastorali officio.

Ostendit itaque primo, Dominum in carne venientem nec culpam ex vitio, nec pœnam ex necessitate suscepisse, scribens: „ In car„ ne (*d*) veniens Dominus, non culpam nostram ex vitio, non „ pœnam ex necessitate suscepit (nulla enim labe peccati pollu„ tus, reatus nostri teneri conditione non potuit: atque mortem „ nostram omni necessitate calcata, cum voluit, sponte suscepit)... „ Nam nec ita natus est ut reliqui, nec ita mortuus, nec ita re„ suscitatus. Non enim cooperante coitu, sed Spiritu Sancto su„ perveniente conceptus est. Natus autem materna viscera & fœ„ cunda exhibuit, & incorrupta servavit. Rursum nos omnes cum „ nolumus, morimur; quia ad solvendæ pœnæ debitum culpæ no„ stræ conditione coarctamur: ille autem, quia nulli admixtus „ est culpæ, nulli ex necessitate succubuit pœnæ. Sed quia cul„ pam nostram dominando subdidit, pœnam nostram miserando „ suscepit “.

Duplicem compunctionem distinguit, alteram tristem, alteram lætam scribens: „ Aliter (*e*) quisque compungitur, cum interna „ intuens, malorum suorum pavore terretur: aliter vero compun„ gitur, cum gaudia superna conspiciens, spe quadam & securitate „ robo-

(a) *Ibid. c.* 24. *n.* 48.
(b) *Ibid. c.* 25. *n.* 49.
(c) *Ibid. c.* 28. *n.* 54.
(d) *Ibid. c.* 1. *n.* 3.
(e) *Ibid. c.* 6. *n.* 10.

„ roboratur. Illa compunctio afficientes & triſtes, hæc vero læ- „ tas lacrymas movet ". S.GREG. M.

Gratiæ cum libero arbitrio concordiam oſtendit ſcribens: „ Quia „ (*a*) præveniente divina gratia in operatione bona, noſtrum libe- „ rum arbitrium ſequitur, noſmetipſos liberare dicimur, quia li- „ beranti nos Deo conſentimus. Unde Paulus, cum diceret: *A-* „ *bundantius illis omnibus lavoravi* (*b*), ne labores ſuos ſibi „ tribuiſſe videretur, illico adjunxit: *Non autem ego, ſed gratia* „ *Dei mecum*. Quia enim prævenientem Dei gratiam in ſe per li- „ berum arbitrium fuerat ſubſecutus, apte ſubjungit, *Mecum*: ut „ & divino muneri non eſſet ingratus, & tamen merito liberi ar- „ bitrii non remaneret extraneus ".

Superborum doctorum vitia deſcribens oſtendit 1. illos (*c*) non quærere auditores ſuos ſapientes efficere, ſed ſuam ſapientiam oſtentare. 2. Humilitatem quandoque (*d*) præſeferre, ſed fictam. 3. Juſtos (*e*) falſorum criminum inſimulare. 4. Afflictos (*f*) auditores ſuos magis diſtricte corripere, quam blande refovere, appetere. 5. Plus videndo (*g*) caligant, & cæcutiunt.

Præſules monet, ne ſe nimium extollant, ſcribens: „ Sæpe novi- „ mus, quod plerique, qui præſunt (*h*), inordinatum ſibi metum „ a ſubditis exigunt, & non tam propter Dominum, quam pro „ Domino venerari volunt. Intus enim ſe tumore cordis extol- „ lunt, cunctoſque ſubditos in ſui comparatione deſpiciunt, nec „ condeſcendendo conſulunt, ſed dominando premunt: quia videli- „ cet alta cogitatione ſe erigunt, & æquales ſe illis, quibus eos „ præeſſe contingit, non agnoſcunt ".

E contra monet, ut ſubditi virtutum ſplendore præluceant, ſubdens: „ Neceſſe (*i*) eſt, ut is qui præeſt, quæ exempla ſubditis „ præbeat, ſolerter attendat, & ſe tantis ſciat vivere, quantis præ- „ eſſe . . . Hinc inde ergo ſe, qui præſunt, circumſpiciant, ut „ ſibi & ſubditis vivant: ut bonum quod faciunt, & intra ſinum „ mentis abſcondant, & tamen ex eo ad provectum ſequentium „ exempla rectæ operationis impartiant, nec tamen per vim ejuſ- „ dem animadverſionis intumeſcant: ut quædam leniter correpta „ tolerent, nec tamen diſciplinæ vincula eadem lenitate diſſolvant: „ ut quædam tolerando diſſimulent, nec tamen ea creſcere diſſimu- „ lando permittant ". Et ſic libro 24. finem imponit.

Reliquos exponit verſiculos cap. 34. a verſu 19. uſque ad 30. & multa de occultis Dei judiciis, reproborumque pœnis ſapienter depromit. Liber vigeſimus quintus.

Et primo quidem in Deo perſonarum acceptionem locum non habe-

(a) *Ibid. c.* 10. *n.* 24.
(b) 1. *Corinth.* 15. 10. (c) *Ibid. c.* 15. *n.* 30.
(d) *Ibid. c.* 16. *n.* 40. (e) *Ibidem.*
(f) *Ibidem.* (g) *Ibid. c.* 23. *n.* 50.
(h) *Ibid. c.* 24. *n.* 52. (i) *Ibid. n.* 54.

S.GREG. M. habere ostendit (*a*); sed aliquando iniquos ne prævisa quidem morte ad supplicium rapere, aliquando clementi patientia diutius ad pœnitentiam expectare (*b*); sed stulte, & impie peccatores ex Dei patientia cogitare, sua flagitia aut a Deo non videri, aut approbari, scribens: „ Æstimatur (ab impiis) Deus (*c*) injusti acta „ non cernere, quia differt juste damnare; & magna ejus patientia, „ quasi quædam negligentia putatur. Iniquus quoque ipse toties se „ in peccatis suis non videri a Deo credidit, quoties inulte pecca„ vit . . . Emendare non vult nequitiam, pro qua dignam non „ pertulit pœnam: & quo pie expectatus est, eo est ad peccan„ dum nequiter instigatus . . . Sæpe etiam, quia pœnam quam „ meretur, repente non suscipit, hoc ipsum Deo non æstimat dis„ plicere quod facit.

Hortatur ut Dei judicium præveniamus, nosmetipsos dijudicando (*d*): & hoc judicium malos declinare, & justos semper exercere dicit (*e*): quod confirmat exemplis, & præceptis Sanctorum Patrum (*f*).

Ecclesiæ doctrinam de prædestinatione & reprobatione, spem nutrire humilium, & elationem premere superborum declarat scribens: „ Notandum (*g*) est, quia dum aliis cadentibus, ad stan„ dum alii solidari perhibentur, electorum numerus certus & de„ finitus ostenditur . . . . . Hac ergo (*h*) sententia, qua narra„ tur aliorum erigi, aliorum autem vita confringi, & spes nu„ tritur humilium, & elatio premitur superborum, dum & illi „ bona possunt amittere, de quibus superbiunt, & isti ea per„ cipere, quæ quia non habebant, contemnuntur. Formidemus „ igitur in his quæ accepimus, nec eos qui illa necdum assecuti „ sunt, desperemus. Quid enim sumus hodie, novimus: quid au„ tem post paululum possimus esse, nescimus. Hi vero, quos for„ tasse despicimus, & tarde possunt incipere, & tamen vitam no„ stram ferventioribus studiis anteire “.

Culpas aliquando culpis puniri ostendit (*i*); & plerumque idem peccatum aliquando & pœnam esse, & causam peccati declarat scribens: „ Plerumque (*k*) unum atque idem peccatum, & peccatum „ est, ut & pœna, & causa peccati . . . Effrenata enim ventris „ ingluvies in fervorem luxuriæ plenitudinem carnis instigat. Per„ petrata autem luxuria sæpe aut perjurio, aut homicidio tegitur, „ ne humanarum legum ultione puniatur.

Peccatum vero & ipsam fidei amissionem inducere monet, scribens: „ Nonnulli (*l*) fidem medullitus tenent, sed vivere fideli„ liter

(a) *Ibid. c.* 1. *n.* 2. (b) *Ibid. c.* 4. *n.* 5.
(c) *Ibid. c.* 5. *n.* 6. (d) *Ibid. c.* 7. *n.* 12.
(e) *Ibid. n.* 14. (f) *Ibid. n.* 15.
(g) *Ibid. c.* 8. *n.* 20. (h) *Ibid. n.* 21.
(i) *Ibid. c.* 9. *n.* 23. (k) *Ibid. n.* 24.
(l) *Ibid. c.* 10. *n.* 27.

„ liter nullatenus curant. Insequuntur enim moribus quod creduli-
„ tate venerantur. Quibus divino judicio sæpe contingit, ut per S.GREG. M.
„ hoc quod nequiter vivunt, & illud perdant quod salubriter
„ credunt. Incessanter namque se pravis actionibus polluunt, &
„ super hoc vindictam justi judicii retribui posse diffidunt: & sæpe
„ cum bene vivere negligunt, etiam persequente nullo usque ad
„ perfidiam dilabuntur. Nam qui imminere districtum judicium
„ non credunt, qui inulte se peccare suspicantur, quo pacto vel
„ esse, vel dici fideles possunt "?

Triplici modo peccare hominem dicit: „ Peccatum (a) tribus „ modis committitur. Nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut „ studio perpetratur. Et gravius quidem infirmitate, quam igno- „ rantia: sed multo gravius studio, quam infirmitate peccatur ". Illos, subdit, graviter delinquere, qui sua ignorantia impunitatem peccandi quærunt (b).

Deum sua providentia æque maxima ac minima, & singulos ac omnes respicere docet scribens: „ Sic (c) intenduntur divina ju- „ dicia super unam animam, sicut super unam urbem: sic super „ unam urbem, sicut super unam gentem: sic super unam gen- „ tem, sicut super universam generis humani multitudinem: quia „ & sic intendit Dominus singulis, ac si vacet a cunctis; & sic si- „ mul intendit omnibus, ac si vacet a singulis. Qui enim omnia „ administrando implet, regit implendo: nec universis deest, cum „ disponit unum; nec uni deest, cum disponit universa: cuncta sci- „ licet naturæ suæ potentia quietus operatur ".

Plura de Pastoribus egregia promit. 1. Pastores (d) malos esse honorandos, sed non imitandos. 2. Illos temporalibus vacantes (e) contemnere, esse Deum accusare; „ nam potestas regiminis (scri- „ bit) ministrari non potest sine studio curæ temporalis ". 3. Multum (f) nos debere iis, qui a temporalium cura nos liberant. 4. Pravorum Prælatorum (g) exempla Deum ordinare in pœnam superborum subditorum. 5. Denique librum claudit explicando, quo pacto Deus faciat regnare hominem hypocritam, quem tamen se nescire & non cognoscere dicit; scribens: „ Miro modo (h) hy- „ pocritas Dominus & regnare facit, & nescit: facit sinendo, ne- „ scit reprobando ".

Septem postremos versiculos capitis 34. explicandos assumit, & Liber vigesimus sextus. deinde progreditur ad explicationem totius capitis 35. quibus & ad- jungit 21. priores versus cap. 26.

De humilitate primo disserit, & veræ ac fictæ humilitatis indicia exhi-

(a) *Ibid. c. 11. n. 28.*
(b) *Ibid. c. 12. n. 29.*
(c) *Ibid. c. 15. n. 33.*
(d) *Ibid. c. 16. n. 37.*
(e) *Ibid. n. 38.* (f) *Ibid. n. 39.*
(g) *Ibid. n. 40.* (h) *Ibid. n. 41.*

S. GREG. M. exhibet (*a*). Larvam humilitatis cito abjici dicit (*b*). Mentiri humilitatis gratia non licere docet (*c*).

E contra vero superbos dicit (*d*) nescire afflictis compati: Cum pro (*e*) veritate loqui videntur, a veritate esse alienos: Studere (*f*) non solum inepta dicere, sed & multa: proinde immensam esse eorum loquacitatem: Innocentes (*g*) solere injuste accusare: Falsa (*h*) sæpius dicere, vel si vera, minime tamen convenientia: Superbiam luxuriæ (*i*) seminarium dicit.

Malorum graviorem pœnam esse prosperitatem ostendit scribens: „ Quisquis (*k*) bonorum vitam persequitur, tunc pejore ultione „ damnatur, cum nulla ei adversitate resistitur: & tunc fortioris iræ „ periculis subjacet, cum prospere peragit, quod nequiter concu- „ piscit: quia videlicet vindicta superni judicis ad futura eum sup- „ plicia reservando deseruit, cui hic in malo obviare contem- „ psit . . . Diu quippe Deus (*l*) tolerat, quem in perpetuum „ damnat: & furorem nunc inferre dissimulat, quia essundendum „ sine fine in posterum servat. Electorum enim est hic con- „ teri, ut ad præmia debeant æternæ hæreditatis erudiri. No- „ strum est hic flagella percipere, quibus servatur de æternitate „ gaudere “.

Animadvertit, quædam esse in se noxia, quædam solum ex illis, quæ circa illa versantur, scribens: „ In usu (*m*) vitæ mortalis „ quædam ex semetipsis sunt noxia, quædam vero ex his quæ circa „ ipsa versantur. Ex semetipsis quædam sunt noxia, sicut pecca- „ ta atque flagitia. Quædam vero nonnunquam nobis ex his quæ „ circa ipsa sunt, nocent: sicut temporalis potentia, vel copula „ conjugalis. Bonum namque est conjugium, sed mala quæ circa „ illud ex hujus mundi cura succrescunt. Unde Paulus ait: *Qui* „ *autem cum uxore est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat* „ *uxori* (*n*) . . . . Magna est etiam potentia quæ habet apud „ Deum meritum suum de bona administratione regiminis: non- „ nunquam tamen eo ipso quo præeminet cæteris, elatione cogi- „ tationis intumescit “.

Ad justorum consolationem observat, eos tunc magis a Deo respici, cum injuste affliguntur, scribens: „ Abstulisse (*o*) a justis oculos „ suos fortasse Dominus creditur, quia injustorum crudelitatibus „ hic sine vindicta lacerantur; sed famulos suos tunc magis respi- „ cit, cum injuste eos nequitia persequentis affligit. Videns enim „ quid hic humiliter tolerent, nimirum jam prævidet quid illic

„ eis

(a) *Ibid. c. 1. n. 1.*
(b) *Ibid. c. 2. n. 2.*
(c) *Ibid. c. 5. n. 5.*
(d) *Ibid. c. 6. n. 6.*
(e) *Ibid. c. 7. n. 12.*
(f) *Ibid. c. 8. n. 13.*
(g) *Ibid. c. 10. n. 15.*
(h) *Ibid. c. 11. n. 16.*
(i) *Ibid. c. 17. n. 28.*
(k) *Ibid. c. 18. n. 33.*
(l) *Ibid. c. 21. n. 37.*
(m) *Ibid. c. 26. n. 44.*
(n) *1. Corinth. 7. 33.*
(o) *Ibid. c. 28. n. 52.*

„ eis misericorditer recompenset. Non ergo aufert a justo oculos „ suos“. S. GREG. M.

Simulatorum artem hic describit: „ Simulator (*a*) ad custodienda duo continua observatione dividitur; ut callide noverit & „ occultare quod est, & ostentare quod non est; & vera mala „ premere, & falsa bona monstrare; nec se aperte in hoc quod videtur extollere; atque ut majorem gloriam teneat, sæpe se simulare gloriam declinare. Quia enim ante oculos hominum sequendo eam apprehendere non potest, studet plerumque gloriam „ tenere fugiendo“.

Mala consuetudine irretiti, quanta premantur angustia, ostendit, scribens: „ Quædam (*b*) quasi conclusi oris angustia est, ab opprimente mala consuetudine exsurgere velle, nec posse: jam „ quidem desiderio ad superna tendere, sed adhuc actu in infimis „ remanere: præire corde, nec tamen sequi opere, atque in semetipso contradictionem perpeti semetipsum. Cum vero ita tendens anima manu gratiæ exaltantis adjuvatur, ab angusto ore „ ad latitudinem pervenit: quia victis difficultatibus opera bona „ perficit, quæ concupiscit“.

In Ecclesia iniquos majore numero esse quam justos, docet scribens: „ In (*c*) Ecclesia justiores paucos, iniquos autem numerosiores aspicimus, sicut & in tritura frugum major est multitudo „ palearum“.

Sanctos in curatione peccatorum imitari medicos, ostendit dicens: „ Sicut corporales (*d*) medici quasdam ægritudines jam venisse inveniunt, quasdam vero ne veniant medentur: ita Doctores sancti aliquando inventa vulnera saluti restituunt, aliquando vero „ agunt in mentibus, ne vulnerentur“.

Reliquos duodecim versus capitis 36. exponit, totiusque capitis 37. expositionem assumit in hoc libro S. Pontifex. Et primo quidem animadvertit, & malos aliquando gratuitis donis a Deo ornari, scribens: „ Nec mirandum (*e*), quod vir arrogans impleri prophetico spiritu potuit, cum Saul etiam in numero prophetarum „ fuit. Sed hoc de Saule cur dicimus, cum ex visione angeli accepisse verba rationabilia & asinam noverimus? Sed sicut irrationale animal rationis verba edidit, nec tamen ad permutationem naturæ rationalis accessit: ita sæpe quilibet indignus sancta „ verba per prophetiæ spiritum accipit, sed tamen ad promerendam sanctitatis gloriam non pertingit; ut & supra se loquendo „ emineat, & infra se vivendo torpescat“. Liber vigesimus septimus.

Deum tunc melius cognosci docet, quando illum non posse cognoscere sentimus, scribens: „ Quidquid (*f*) de claritate magnitudinis Dei scimus, infra ipsum est: & tanto ab ejus scientia

(a) *Ibid. c. 32. n. 58.* (b) *Ibid. c. 36. n. 66.*
(c) *Ibid. c. 41. n. 76.* (d) *Ibid. c. 45. n. 87.*
(e) *Cap. 1. n. 2.* (f) *Ibid. c. 6. n. 9.*

S.GREG. M. „ longe repellimur, quanto ejus potentiam nos comprehendisse suspicamur. Nam quamvis in altum mens nostra rapiatur, ejus „ tamen magnitudinis immensitate transcenditur. Cujus tunc aliquid quasi ex parte cognoscimus, quando eum nos digne cognoscere non posse sentimus ".

Veteris Testamenti SS. Patrum laudes celebrat. In Abrahamo obedientiam, in Isaac patientiam, in Jacob laboriosam vitam, in Joseph castitatem, in Moyse mansuetudinem, in Josue constantiam, in David pietatem & humilitatem extollit (*a*).

Inter homines & Angelos pacem inductam dicit per Christi incarnationem, scribens: „ Cælestium (*b*) Spirituum ad nos conditor venit, seque hominem etiam sub ipsis exhibuit . . . Et quia „ inter nos & eosdem Spiritus discordantis vitæ scandalum reperit, mira potentia, mirabiliori etiam pietate summa creans, „ ima suscipiens, ima cum summis junxit. Hinc est, quod eodem „ Rege nato, Angelorum chori in ejus annunciatione prodeunt, „ hymnum dicunt, & devicta pravæ vitæ discordia, hos quos dudum desperant, cives agnoscunt, consono ore prædicantes: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis* „ (*c*). Ac si aperte dicant: Quos a nobis malitia disjunxerat, „ jam nunc in terra nata bonitas jungat ".

Cur miracula in exordio Ecclesiæ fuerint concessa, exponit scribens: „ Tunc quippe (*d*) sancta Ecclesia miraculorum adjutoriis „ indiguit, cum eam tribulatio persecutionis pressit. Nam postquam superbiam infidelitatis edomuit, non jam virtutum signa, „ sed sola merita operum requirit, quamvis & illa per multos „ cum opportunitas exigit, ostendat ".

Veræ pœnitentiæ signa promit, scribens: „ Quem (*e*) enim „ Dominus illustrando repleverit, ejus vitam proculdubio in lamentum vertit; atque illuminatæ menti quo magis æterna supplicia „ insinuat, eo hanc durius de transacta nequitia gemitibus fatigat; „ & dolet homo quod fuit, quia bonum jam incipit videre, quod „ non fuit: odit qualem se fuisse meminit, amat qualem se esse „ debuisse cognoscit, & solum jam pœnitentiæ amaritudinem diligit; quia caute considerat in quantis voluptatibus sua delectatione peccavit ".

Peccatores suorum scelerum ultricem conscientiam sentire animadvertit scribens: „ Fugiant iniqui humanos oculos (*f*), semetipsos „ certe fugere non possunt. Quia enim malum quod faciunt, noverunt, habent testem conscientiam, habent judicem rationem „ suam. In peccato igitur quod committunt, prius contra se judicium suæ rationis inveniunt, & post ad districtionem æterni „ examinis perducuntur ".

Expli-

(a) *Ibid. c.* 10. *n.* 17. (b) *Ibid. c.* 15. *n.* 29.
(c) *Luc.* 2. 14. (d) *Ibid. cap.* 18. *n.* 36.
(e) *Ibid. c.* 19. *n.* 39. (f) *Ibid. c.* 25. *n.* 48.

Explicans verba Jobi: *Bestia in antro suo morabitur*, ostendit, Diabolum quidem justorum mentes aliquando ingredi, at in eis manere omnino non posse, scribens: „ Aliquando (*a*) namque bo- „ norum mentes ingreditur (diabolus), illicita suggerit, tentatio- „ nibus fatigat, rectitudinem spiritus ad delectationem carnis de- „ flectere conatur, delectationem quoque ad consensum perducere „ nititur. Sed tamen resistente superno adjutorio prævalere pro- „ hibetur. Intrare ergo in mentes bonorum potest, sed in eis „ morari non potest, quia cor justi hujus bestiæ antrum non „ est ". [redacted] S. Greg. M.

In cæli creatione Angelos designatos dicit, scribens: „ Bene (*b*) „ apud Moysem ipsa de mundi origine historiæ verba testantur, „ cum & prius factum cælum dicitur, & hoc idem postmodum „ firmamentum vocatur: quia videlicet natura angelica & prius „ subtilius est in superioribus condita, & post ne unquam posset „ cadere, mirabilius confirmata ".

Qui sibi sapientes videntur, divinam sapientiam contemplari nequaquam posse docet in calce libri scribens: „ Contemplari (*c*) „ Dei sapientiam non possunt, qui sibi sapientes videntur: quia „ tanto ab ejus luce longe sunt, quanto apud semetipsos humiles „ non sunt: quia in eorum mentibus dum tumor elationis crescit, „ aciem contemplationis claudit, & unde se lucere præ cæteris „ æstimant, inde se lumine veritatis privant. Si igitur veraciter „ sapientes esse, atque ipsam sapientiam contemplari appetimus, „ stultos nos humiliter cognoscamus ".

In hac postrema parte, reliqua libri Job capita exponit D. Gregorius, omnia octo libris complectens a vigesimo octavo videlicet capite usque ad quadragesimum secundum, quod postremum est. In hoc 28. libro undecim priores capitis 38. versiculos multiplici sensu exponit. Moralium Pars sexta & ultima. Liber vigesimus octavus.

Et primo quidem exemplo Jobi ostendit, nocere animæ suæ virtutis cognitionem, nisi tribulationibus exerceatur, scribens: „ Quid enim pejus (*d*) plerumque animam quam conscia virtus „ interficit? Quæ illam dum consideratione sua inflat, a plenitu- „ dine veritas evacuat: & dum se ad percipienda præmia sufficere „ suggerit, eam a meliorationis intentione distendit. Justus igitur „ Job ante flagella extitit, sed justior post flagella permansit; & „ laudatus antea Dei voce, postmodum crevit ex verbere ".

Deinde quot quibusque modis Deus homines alloquitur, declarat scribens: „ Notandum video (*e*), quia si sano atque inco- „ lumi locutio facta diceretur, nequaquam de turbine Dominus „ locutus fuisse scriberetur. Sed quia flagellato loquitur, de turbi- „ ne locutus fuisse describitur. Aliter enim Dominus servis suis „ loqui-

(a) *Ibid. c.26. n.50.* (b) *Ibid. c.34. n.65.*
(c) *Ibid. c.46. n.79.* (d) *In Præfat.*
(e) *Ibid. c. 1. n. 1.*

S. GREG. M. „ loquitur, cum eos intrinsecus per compunctionem provehit; aliter cum per districtionem, ne extollantur, premit. Per blandam enim locutionem Domini, amanda dulcedo ejus ostenditur; per terribilem vero, potestas ejus metuenda monstratur. In illa persuadetur animæ ut proficiat, in ista reprimitur quæ proficit. In illa discit quod appetat". Prosequitur ostendendo, Deum modo loqui per Angelos, modo per semetipsum (*a*): aliquando verbis utendo (*b*): aliquando rebus (*c*): aliquando simul verbis & rebus (*d*): aliquando imaginibus cordis, aut corporis oculis ostensis (*e*): denique variis aliis modis, quos explicat & recenset (*f*).

Pariter ostendit, tribus modis Deum interrogare homines, nimirum vel flagellando, vel dura præcipiendo, vel aliqua abscondendo. „ Flagello (scribit) interrogat (*g*), cum mentem bene sibi „ per tranquillitatem subditam, afflictionibus pulsat, sicut idem „ Job & laudatur attestatione judicis, & tamen ictibus conceditur „ percussoris . . . Præcipiendo autem dura nos interrogat: sicut „ Abraham terram suam jubetur egredi, & pergere quo nesciebat, „ & in monte unicum filium ducere... & immolare... Aperiendo „ vero nobis quædam, atque claudendo quædam nos interrogat „ Deus . . . Hac interrogatione Paulus interrogatus est, qui post „ perceptam internam sapientiam, post aperta claustra paradisi, „ post ascensum tertii cæli . . . adhuc dicit: *Ego me non arbitror* „ *comprehendisse* (*h*)".

Deum sapienter sua dona disponere animadvertit, & cur uni donum conferat quod alteri negat, scribens: „ Conditor (*i*) noster „ interni judicii secreto moderamine, alii sermonem sapientiæ, alii sermonem scientiæ, alii plenam fidem, alii gratiam sanitatum, alii operationem virtutum, alii prophetiam, alii discretionem spirituum, alii genera linguarum, alii interpretationem sermonum tribuit . . . Sic itaque (*k*) dispositor cuncta moderatur: ut qui extolli poterat ex dono quod habet, humilietur ex „ virtute quam non habet. Sic cuncta moderatur, ut cum per „ impensam gratiam unumquemque sublevat, etiam per disparem alteri alterum subdat, & meliorem quisque dono alio eum „ qui sibi subjicitur, attendat: ac licet se præire & aliis sentiat, „ eidem tamen quem superat, se in aliis postponat".

Quomodo discretio aliquando & bona opera exercere, & aliquando etiam omittere suggerat, ostendit scribens: „ In una (*l*) eademque „ virtute discretionis lineam deserimus, si hanc & aliquando agere, „ & aliquando postponere nesciamus. Non enim res eadem semper est „ vir-

(a) *Ibid. n.* 2. 3. (b) *Ibid. n.* 4.
(c) *Ibid. n.* 5. (d) *Ibid. n.* 6.
(e) *Ibid. n.* 7. (f) *Ibid. n.* 8.
(g) *Ibid. c.* 6. *n.* 13. (h) *Philip.* 3. 13.
(i) *Ibid. c.* 10. *n.* 21. (k) *Ibid. n.* 22.
(l) *Ibid. c.* 11. *n.* 28.

S.GREG. M.

„ virtus, quia per momenta temporum sæpe merita mutantur a-„ ctionum. Unde fit, ut cum quid bene agimus, plerumque me-„ lius ab ejus actione cessemus: & laudabilius ad tempus deserat, „ quod in suo tempore laudabiliter mens tenebat". Hanc veritatem confirmat exemplo D. Pauli, „ qui (scribit) & Gentiles „ (a) ad libertatem fidei venientes circumcidi prohibuit, & ta-„ men Lystris atque Iconium transiens, ipse Timotheum, qui „ Gentili patre editus fuerat, circumcidit".

Explicans Jobi verba: *Bases illius solidatæ sunt*, ostendit, spiritualis ædificii bases esse rectas intentiones, scribens: „ Bases u-„ niuscujusque (b) sunt animæ, intentiones suæ. Nam sicut fabrica „ columnis, columnæ autem basibus innituntur: ita vita nostra in „ virtutibus, virtutes vero in intima intentione subsistunt . . . & „ tunc bases in fundamento sunt, cum intentiones nostræ in Chri-„ sto roborantur".

Christum lapidem esse angularem ostendit, qui vitam activam & contemplativam in se junxit, unde scribit: „ Christus (c) la-„ pis angularis dicitur, quia duos in se populos junxit: atque ali-„ ter, quia conjunctæ utriusque vitæ, activæ videlicet & con-„ templativæ in se exempla monstravit. Ab activa enim vita „ longe contemplativa distat: sed incarnatus Redemptor noster ve-„ niens, dum utramque exhibuit in se, utramque sociavit".

Cor hominis instar maris fervens, solum Deum posse coercere animadvertit scribens: „ Quid (d) est mare, nisi cor nostrum fu-„ rore turbidum, elatione superbiæ tumidum, fraude malitiæ ob-„ scurum? Quod mare quantum sæviat, attendit quisquis in se „ occultas tentationum cogitationes intelligit. Ecce enim jam „ perversa relinquimus, jam desideriis rectis inhæremus, jam pra-„ va opera foris abscindimus: sed tamen latenter intus ea, cum „ qua huc venimus, vitæ veteris procella fatigamur, quam nisi „ respectu judicii, & æterni pavore tormenti, immensi timoris „ claustra constringerent, cuncta in nobis penitus superædificati o-„ peris fundamenta corruissent".

Librum denique claudit ostendens, hoc mare sæviens cordis nostri omnes dissipare virtutes, nisi caritate firmentur, unde scribit: „ Hæc itaque (e) ostia, scilicet operationum virtutes, mare sæ-„ viens dissipat, nisi eas ex occulto mentis opposita caritas adstrin-„ gat. Facile autem omne virtutum bonum tentatione cordis ir-„ ruente destruitur, nisi ab intimis fixa caritate solidetur".

Viginti alios versiculos capitis 38. explicandos aggreditur in hoc libro D. Gregorius, in quo multa egregie docet de Dæmonis artibus, de gratia, prædestinatione, reprobatione, occultisque Dei judiciis. Liber vigesimus nonus.

(a) *Ibid. n.* 29. (b) *Ibid. c.* 12. *n.* 31.
(c) *Ibid. c.* 13. *n.* 33. (d) *Ibid. c.* 19. *n.* 43.
(e) *Ibid. c.* 22. *n.* 46.

S. GREG. M. Et primo quidem ait, Dei filium in tempore nasci voluisse, ut se imitandum præberet, scribens: „ In nativitate (*a*) divina Filius „ ab humano genere cognosci non poterat, proinde in humanitate „ venit ut videretur, videri voluit, ut imitaretur. Quæ carnis „ nativitas despecta visa est sapientibus mundi: contempserunt „ namque infirma humanitatis ejus, Deo hæc indigna judicantes. „ Cui tanto magis homo debitor fuit, quanto pro illo Deus et- „ iam indigna suscepit “.

Quomodo Deus Ecclesiam suam & teneat aliquando, & aliquando concutiat, exponit scribens: „ Extrema (*b*) terræ Domi- „ nus tenet & concutit, quia Ecclesiæ suæ ultima per adventum „ Antichristi persecutione immanissima turbari permittit, nec ta- „ men permittendo deserit. Hanc terram aliquando Dominus te- „ net, & non concutit; aliquando tenet & concutit, quia modo „ eam tranquilla pace fidei possidet, modo commoveri impetu per- „ secutionis jubet “.

De Antichristo plura exponit. Et primo quidem ejus persecutionis tempore lumen fidei a multis auferendum (*c*); & modo in suis membris vivere & sævire (*d*). Ejus superbiam & casum describit (*e*).

De Christo vero dicit, ipsum pro nobis (*f*) non in mundum solum, sed & ad infernum descendisse. Portas mortis, idest adversas potestates superasse (*g*). Ejus morte Ecclesiam crevisse (*h*). Peccatorum mentes sua luce visitare (*i*).

Spem nostram debere potius timori quam securitati conjungi docet scribens: „ Væ miseris (*k*) nobis, qui de electione nostra nul- „ lam adhuc Dei vocem cognovimus, & jam in otio quasi de se- „ curitate torpemus. Debet profecto, debet in spe esse non solum „ securitas, sed etiam timor in conversatione; ut & illa certantes „ foveat, & iste torpentes pungat . . . De spe incassum præsumit, „ qui timere Deum in suis operibus renuit “.

Inscrutabilia docet esse Dei judicia, dum scribit: „ Superjecto „ (*l*) quodam ignorantiæ nostræ velamine, incomprehensibilitatem „ divini judicii humanæ mentis oculus nullatenus penetrat. Scri- „ ptum quippe est; *Judicia tua abyssus multa* (*m*). Nemo ergo „ perscrutari appetat, cur cum alius repellitur, alius eligatur; vel „ cur cum alius eligitur, alius repellatur: quia superficies abyssi „ constringitur, & attestante Paulo: Inscrutabilia sunt judicia e- „ jus, & investigabiles viæ ejus (*n*) “.

Quo-

(a) *Ibid. c.* 1. *n.* 1.
(b) *Ibid. c.* 9. *n.* 10. (c) *Ibid. c.* 7. *n.* 14.
(d) *Ibid. n.* 15. (e) *Ibid. c.* 8. *n.* 18.
(f) *Ibid. c.* 12. *n.* 23. (g) *Ibid. c.* 13. *n.* 25.
(h) *Ibid. n.* 26. (i) *Ibid. c.* 15. *n.* 27.
(k) *Ibid. c.* 18. *n.* 34. (l) *Ibid. c.* 30. *n.* 57.
(m) *Psalm.* 35. 7. (n) *Rom.* 11. 33.

Quomodo Deus corda obdurare dicatur, exponit dicens: „ Semet- S.GREG. M.
„ ipsum Dominus (*a*) gelu gignere perhibet, non quod pravorum
„ mentes ipse ad culpam formet, sed quod a culpa non liberat,
„ sicut scriptum est: *Ego obdurabo cor Pharaonis* (*b*). Quod
„ quia misericorditer emollire noluit, profecto districte se obduras-
„ se nuntiavit".

Librum claudit ostendens, judiciorum & prædestinationis Dei causas non esse a nobis perscrutandas, scribens: „ Supernorum (*c*)
„ judiciorum mysteria vel considerando discutere, vel loquendo
„ manifestare . . . in hac vita positus nullus facere potest . . . .
„ Quis enim judiciorum cælestium secreta discutiat? Quis intelli-
„ gat secretam lancem æquitatis occultæ? Ad cognoscendos quippe
„ istos judiciorum secretorum sinus nullus ascendit. Dicatur ergo
„ homini, ut se nescire cognoscat: nescientem vero se cognoscat, ut
„ timeat: timeat ut humilietur, humilietur ne præsumat in se:
„ non præsumat in se, ut conditoris sui auxilium requirat: & qui
„ in se fidens mortuus est, auctoris sui adjutorium appetens
„ vivat".

Reliquos octo versiculos capitis 38. & totidem sequentis capitis 39. explicandos aggreditur in hoc libro, in quo præsertim de Evangelii prædicatione multa pie & docte promit. Liber trigesimus.

Et primo quidem verba illa: *Numquid elevabis in nebula vocem tuam?* de Evangelii doctrina infidelibus annuntiata interpretatur scribens: „ Vocem (*d*) suam in nebula Dominus elevat,
„ quando per prædicatorum suorum linguas ad caliginosa corda
„ infidelium exhortationem format: cumque aquarum impetus ope-
„ rit, dum bene agentia membra ejus, turba resistentium populo-
„ rum premit".

De verbi Dei prædicatoribus plura exponit, & quidem 1. illos aquarum impetu operiri dicit, quando in eos infideles sæviunt (*e*). A Deo exire & ad ipsum reverti, quando miracula, quibus coruscant, illi soli tribuunt (*f*). Ad publicum operationis missos debere identidem ad contemplationis secretum redire (*g*). Ipsis dari a Deo intelligentiam (*h*). Dum alios ex officio adhortantur, prius se in bonis operibus exerceant oportere (*i*). A Deo obtinere, ut suo muneri recte fungantur (*k*). Eorum prædicationem cessaturam, Deo in sua majestate revelato (*l*). Nihil sua virtute se posse agnoscunt (*m*).

Diversos in Ecclesia ordines a Deo constitutos, ostendit ex verbis Jobi: *Glebæ compingebantur*, scribens: „ Quas (*n*) glebas si in Ec-

 „ clesia

(a) *Ibid. c.* 30. *n.* 60.
(b) Exod. 10. 27. (c) *Ibid. c.* 33. *n.* 77.
(d) *Ibid. c.* 1. *n.* 2. (e) *Ibid. n.* 3.
(f) *Ibid. c.* 2. *n.* 6. (g) *Ibid. n.* 8.
(h) *Ibid. c.* 3. *n.* 9. (i) *Ibid. n.* 15.
(k) *Ibid. n.* 16. (l) *Ibid. c.* 4. *n.* 17.
(m) *Ibid. c.* 9. *n.* 29. (n) *Ibid. c.* 6. *n.* 23.

S. GREG. M. „ cleſia ex diverſitate meritorum attendimus, fortaſſe adhuc diſtin„ guere ſubtilius valemus. Nam dum alius eſt ordo prædican„ tium, alius audientium: alius regentium, atque alius ſubdito„ rum: alius conjugum, alius continentium: alius pœnitentium, „ alius virginum: quaſi ex una terra eſt diverſa glebarum forma „ diſtincta, dum in una fide, in una caritate diſparia demonſtran„ tur bene operantium merita “.

In ibicibus & cervis ſpirituales magiſtros deſignari docet, ſcribens: „ In cervis (*a*) vel ibicibus magiſtrorum ſpiritualium per„ ſona ſignatur. Ipſi quippe velut ibices in petris pariunt: quia „ in doctrina patrum, qui petræ pro ſoliditate vocati ſunt, ad „ converſionem animas gignunt . . . Ipſi etiam cervæ vocati ſunt, „ nam more cervarum interemptis vitiis, quaſi extinctis ſerpen„ tibus vivunt; & de ipſa extinctione vitiorum, ad fontem vitæ „ acrius inardeſcunt “.

Exempla Sanctorum aſpicienda docet, in Davide humilitatem & patientiam (*b*): Quomodo Joſeph luxuriam vicerit (*c*): Danielem ad contemplationem anhelantem imitandum (*d*).

Prædicatores vero dicit, nonniſi flendo ſpiritualiter filios gignere poſſe (*e*); & niſi ad infirmitatem noſtram deſcendant, & incurventur (*f*); ſolum ſapere ad ſobrietatem (*g*), & filios genitos ad Scripturæ paſtum ducere (*h*); a Verbo Dei illuſtrari (*i*).

Gulam refrenandam inculcat ſcribens: „ Nonnulli (*k*) ordi„ nem certaminis ignorantes, edomare gulam negligunt, & jam „ ad ſpiritalia bella conſurgunt. Qui aliquando multa etiam, „ quæ magnæ ſunt fortitudinis, faciunt: ſed dominante gulæ vitio, „ per carnis illecebram omne quod fortiter egerint, perdunt: & „ dum venter non reſtringitur, per carnis concupiſcentiam ſimul „ cunctæ virtutes obruuntur “. Quomodo vera gula tentat, explicat ſubdens: „ Quinque (*l*) nos modis gulæ vitium tentat. „ Aliquando namque indigentiæ tempora prævenit, ſed cibos lau„ tiores quærit: aliquando quælibet, quæ ſumenda ſint, præparari „ accuratius expetit, aliquando autem & qualitati ciborum & „ tempori congruit, ſed in ipſa quantitate ſumendi menſuram mo„ deratæ refectionis excedit. Nonnunquam vero & abjectius eſt „ quod deſiderat: & tamen ipſo æſtu immenſi deſiderii deterius „ peccat “.

Allegorico ſenſu Chriſtum onagro comparat, „ qui agreſte (ſcri„ bit) eſt animal (*m*). Et quia incarnatus Dominus Gentilitati „ magis, quam Judææ profuit, animale corpus aſſumens, quaſi non „ in do-

(a) *Ibid. c.* 10. *n.* 36. (b) *Ibid. c.* 10. *n.* 37.
(c) *Ibid. n.* 38. (d) *Ibid. n.* 39.
(e) *Ibid. c.* 13. *n.* 47. (f) *Ibid. n.* 48.
(g) *Ibidem.* (h) *Ibid. c.* 14. *n.* 49.
(i) *Ibidem.* (k) *Ibid. c.* 18. *n.* 59.
(l) *Ibid. n.* 6. (m) *Ibid. c.* 21. *n.* 66.

„ in domum, sed potius in agrum venit . . . Dicatur ergo a Pa- S.GREG. M.
„ tre de Filio secundum formam servi : *Quis dimisit onagrum li-*
„ *berum, & vincula ejus quis solvit?* . . . Quia incarnatus Do-
„ minus particeps nostræ factus est naturæ, non culpæ, liber dimis-
„ sus dicitur, quia sub peccati dominio non tenetur . . . Vincula
„ (*a*) quoque ejus tunc soluta sunt, cum infirmitates passionis il-
„ lius in resurrectionis sunt gloriam commutatæ ". Datum esse illi solitudinis locum dicit, cum Gentilitas eum recepit (*b*). Contempsit multitudinem civitatis, quia multitudinis non est secutus exempla, sed sua imitanda proposuit (*c*). Exactoris scilicet Diaboli clamorem non audivit (*d*). Circumspexit montes pascuæ suæ, quia etiam superbos in sua membra transformavit (*e*). Virentia perquisivit, dum arentia corda deserit, & fide ac spe virentia requirit (*f*).

Postquam omnia de onagro prædicta de Christo allegorice est interpretatus, de se humiliter sentiens, sic subdit: „ Hæc de (*g*)
„ onagro exposita . . . sufficiant. Lectoris vero judicio relinquen-
„ dum est, quid magis duxerit eligendum. Et si expositionis in-
„ telligentiam fortasse despexerit, libenter ipse lectorem meum sub-
„ tilius veriusque sentientem, velut magistrum discipulus, sequar :
„ quia mihi proprie donatum credo, quidquid illum me melius
„ sentire cognosco ".

Denique librum claudit ostendens, sæpe doctoribus verbum propter auditoris meritum tribui, vel ejus culpa subtrahi (*h*): aliquando vero pro doctoris & auditoris merito, vel culpa, vel dari, vel denegari (*i*). Quamobrem subdit: „ Igitur (*k*) cum vel
„ pro quo sermo datur, vel propter quem subtrahatur, ignoramus;
„ unum est salubre remedium, nec de his quæ aliis magis accepi-
„ mus, nosmetipsos extollere, nec de eo alterum quod minus ac-
„ ceperit, irridere; sed fixo humilitatis pede graviter & constan-
„ ter incedere: quia in hac vita tanto veracius docti sumus,
„ quanto doctrinam nobis a nobismetipsis suppetere non posse co-
„ gnoscimus ".

Versiculum nonum cum reliquis capitis 39. exceptis tamen postremis tribus explicat in hoc libro D. Gregorius, & multa de divina gratia, de Evangelii prædicatione, & de peccatorum conversione præclara diffundit. Liber trigesimus primus.

In primo itaque capite ostendit, superbiæ vulnus a Diabolo primo homini inflictum, Christi fuisse humilitate sanatum, scribens :
„ In paradiso (*l*) sano homini diabolus invidens superbiæ vulnus
„ infli-

(a) *Ibid. c. 22. n. 67.*
(b) *Ibid. c. 23. n. 68.* (c) *Ibid. c. 24. n. 60.*
(d) *Ibid. c. 25. n. 71.* (e) *Ibid. c. 26. n. 78.*
(f) *Ibid. c. 27. n. 80.* (g) *Ibid. n. 81.*
(h) *Ibid. n. 82.* (i) *Ibid. n. 83.*
(k) *Ibidem.* (l) *Ibid. c. 1. n. 1.*

S.GREG. M.

„ inflixit; ut qui mortem non acceperat conditus, mereretur elatus . . . Contra hoc inflictum vulnus superbientis diaboli, medicina apparuit inter homines humilitas Dei, ut auctoris exemplo humiliati surgerent, qui imitatione hostis elati ceciderant".

Temporalium Principum potestatem sibi servire Christum coegisse ostendit, illisque Ecclesiæ suæ defensionem commendasse scribit, dicens: „ In (a) rhinocerotis fortitudine fiduciam Dominus habere se asserit; quia vires, quas temporaliter terreno principi contulit, ad cultum suæ venerationis inclinavit: ut ex accepta potestate, per quam dudum contra Deum tumuerat, religiosum nunc Deo obsequium impendat. Quo enim in mundum plus potest, eo pro mundi auctore plus prævalet . . . Labores enim suos huic rhinoceroti Dominus reliquit, quia converso terreno principi, eam quam sua morte mercatus est, Ecclesiam credidit: quia videlicet in ejus manu quanta sollicitudine pax fidei sit tuenda commisit.

Hypocritas struthioni pennas habenti, sed non volanti assimilat: Quia (scribit) „dum bonorum (b) vitam simulant, imitationem sanctæ visionis habent, sed veritatem sanctæ actionis non habent". Et quia sicut ille ova sua in terra derelinquit, ita hypocritæ quos gignunt, bonis exemplis fovere, & nutrire negligunt (c).

Egregie docet, quo animo cum necessitas & caritas cogunt, sit etiam litigandum, scribens: „ Cum (d) curam rerum temporalium nobis itineris necessitas imponit, quidam dum eas rapiunt, solummodo tolerandi sunt: quidam vero conservata caritate prohibendi, non tamen sola cura ne nostra subtrahant, sed ne rapientes non sua, semetipsos perdant. Plus quippe ipsis raptoribus debemus metuere, quam rebus irrationalibus defendendis inhiare . . . Si ergo & pro sua utilitate raptoribus loquimur, non jam solum nobis quæ temporalia, sed ipsis etiam quæ sunt æterna, vindicamus".

Cur boni & mali sint in Ecclesia immixti, rationem reddit scribens: „ Quia a (e) bonis malisque hæc vita communiter ducitur, nunc Ecclesia ex utrorumque numero visibiliter congregatur; sed Deo invisibiliter judicante discernitur, atque in exitu suo a reproborum societate separatur. Modo vero esse in ea nec boni sine malis, nec mali sine bonis possunt. Hoc enim tempore conjuncta utraque pars sibi necessario congruit, ut & mali mutentur per exempla bonorum, & boni purgentur per tentamenta malorum".

In rhinocerote, sive unicornio allegorice D. Paulum designatum arbitratur, qui ferox a Christo domitus fuit (f), qui ad agrum „ do-

(a) *Ibid. c. 6. n. 8.* (b) *Ibid. c. 8. n. 11.*
(c) *Ibid. c. 9. n. 14.* (d) *Ibid. c. 13. n. 22.*
(e) *Ibid. c. 15. n. 28.* (f) *Ibid. c. 16. n. 30.*

dominicum arandum ligatus fuit (a): qui mentium Judaicarum duritiam fregit (b): quia in ejus fortitudine Dominus fiduciam habuit (c): quia aream Christi prius ventilavit, postea congregavit (d): quia abstinentia corpus castigans ventri deditos ferit (e). S. GREG. M.

Equi nomine plura allegorice in Scripturis significare ostendit scribens: „ In Scriptura (f) sacra equi nomine aliquando lubrica „ vita pravorum signatur: *Nolite fieri sicut equus, & mulus (g)*: „ aliquando dignitas temporalis: *Vidi servos in equis, & princi-* „ *pes ambulantes quasi servos super terram (h)*: aliquando præ- „ sens sæculum: *A Dan est auditus fremitus equorum (i)*: ali- „ quando præparatio rectæ intentionis: *Equus paratur in diem* „ *belli, sed Dominus salutem tribuit (k)*: aliquando sanctus „ prædicator: *Misisti in mare equos tuos, turbantes aquas mul-* „ *tas (l)*".

Locustæ quoque nomine docet designari Judaicum populum, qui habebat saltum per vocem, & casum per actionem (m): aliquando Gentilitatem ad fidem conversam: „ *Regem locusta non ha-* „ *bet, & egreditur universa per turmas suas (n)*: quia videlicet „ derelicta (o) Gentilitas, aliena dum a divino regimine extitit; „ sed tamen ordinata postmodum contra adversantes spiritus ad fi- „ dei bellum processit". Aliquando vero resurrectio Dominica: „ Unde & voce ejus (p) per prophetam dicitur: *Excussus sum* „ *sicut locusta (q)*. Teneri enim se a persecutoribus usque ad „ mortem pertulit; sed sicut locusta excussus est; quia ab eorum „ manibus saltu subitæ resurrectionis evolavit".

Proximum & imminens Dei judicium arbitrabatur S. Gregorius scribens: „ Ecce enim (r) quia divini judicii dies imminet, quasi „ ipsa jam timoris ejus facies apparet: tantoque magis necesse est, „ ut unusquisque illum terribilius timeat, quanto jam gloria ma- „ jestatis ejus appropinquat".

In equo audiente buccinæ sonitum, & dicente Vah, designatum dicit „ fortem prædicatorem (s), qui cum certamen passionis sibi „ appropinquare considerat, de exercitio virtutis exultat: nec ter- „ retur pugnæ periculo, quia victoriæ lætatur triumpho. Equo „ itaque est *vah* dicere, prædicatorem sanctum de ventura passione „ gaudere".

Cavendum monet, ne ex bonis mala nascantur, scribens: „ Quia „ (a) ple-

(a) *Ibid. n.* 31. (b) *Ibid. c.* 17. *n.* 32.
(c) *Ibid. c.* 18. *n.* 33. (d) *Ibid. n.* 34.
(e) *Ibid. n.* 35. (f) *Ibid. c.* 24. *n.* 43.
(g) *Psal.* 31. 9. (h) *Eccl.* 10. 7.
(i) *Jer.* 8. 16. (k) *Prov.* 21. 31.
(l) *Habac.* 3. 15. (m) *Ibid. c.* 25. *n.* 45.
(n) *Prov.* 30. 27. (o) *Ibid. n.* 46.
(p) *Ibid. n.* 48. (q) *Psal.* 108. 23.
(r) *Ibid. c.* 27. *n.* 54. (s) *Ibid. c.* 33. *n.* 69.

S.Greg. M. „ (*a*) plerumque ex bonis per incuriæ vitium mala nascuntur : „ vigilanti studio contemplatur, quomodo ex doctrina, arrogantia; „ ex justitia, crudelitas; ex pietate, remissio; ex zelo, ira; ex „ mansuetudine, torpor oriatur. Cumque bona hæc agit, quod „ hi contra se hostes exurgere valeant, conspicit ".

Exercitus diaboli superbiam ducem esse ostendit, quam sequuntur septem principalia vitia tamquam cohortes, scribens: „ Radix (*b*) „ cuncti mali superbia est, de qua dicitur: *Initium omnis peccati* „ *est superbia* (*c*). Primæ autem ejus soboles, septem nimirum „ principalia vitia, de hac virulenta radice proferuntur: scilicet „ inanis gloria, invidia, ira, tristitia, avaritia, ventris ingluvies, „ luxuria. Nam quia his septem superbiæ vitiis nos captos do- „ luit, idcirco Redemptor noster ad spiritale liberationis prælium „ spiritu septiformis gratiæ plenus venit ".

Aquilæ nomine plura designari in Scripturis animadvertit, scilicet aliquando (*d*) malignos spiritus, raptores animarum; *Velociores sunt persecutores nostri aquilis cæli* (*e*): aliquando præsentis sæculi potestates: *Aquila grandis . . . venit ad Libanum, tulit medullam cedri, & summitatem frondium ejus evulsit*: aliquando subtilissimas sanctorum intelligentias: unde ex Evangelistis unus aquilæ similis dicitur: aliquando incarnatus Dominus celeriter transvolans, & mox summa repetens, designatur.

Liber trigesimus secundus. Explicantur duo postremi versiculi capitis 39. quibus additur explicatio 14. priorum capitis 40., & multa de infinita Dei potentia, & de Satanæ noxiis consiliis depromuntur.

Incipit itaque ostendendo, quod „ sancti (*f*) viri quo apud Deum „ altius virtutum dignitate proficiunt, eo subtilius indignos se esse „ deprehendunt: quia dum proximi luci fiunt, quidquid eos in seipsis latebat inveniunt; & tanto magis foris sibi deformes appa- „ rent, quanto nimis pulchrum est, quod intus vident.

De otiosis verbis nec Sanctos excusari posse, ostendit, quos tamen linguæ culpas vitæ meritis tegere dicit; quare scribit: " Quis „ inveniri (*g*) potest, qui quamlibet perfectus sit, de otioso ta- „ men sermone non peccet? Jacobo attestante: *Linguam nullus* „ *hominum domare potest* (*h*) . . . Sed sancti viri ante Dei oculos „ student culpas linguæ tegere meritis vitæ, student bonorum ope- „ rum pondere premere immoderata verborum ".

Quomodo Deus licet corporis expers, rebus tamen corporeis comparatur, exponit scribens. „ Cum in Deo (*i*) vox & brachium „ dicitur, cavendum summopere est, ne quid in eo mens corpo- „ reum suspicetur . . . Sed Omnipotens ad sua nos trahens, usque „ ad

(a) *Ibid. c.* 44. *n.* 86. (b) *Ibid. c.* 45. *n.* 87.
(c) *Eccli.* 10. 15. (d) *Ibid. c.* 47. *n.* 91.
(e) *Thren.* 4. 10. (f) *Ibid. c.* 1. *n.* 1.
(g) *Ibid. c.* 2. *n.* 2. (h) *Jacob.* 3. 8.
(i) *Ibid. c.* 5. *n.* 7.

„ ad nostra se humiliat, atque ut alta insinuet, humilibus conde- S.Greg. M.
„ scendit . . . Constat nimirum, quod in natura sua nec oculum
„ Deus, nec scapulas habeat: sed quia nos per oculum cernimus,
„ in scapulis vero onera sustinemus. Deus quod omnia videt, o-
„ culum habere perhibetur; quod vero nos tolerat, atque eo ipso
„ quo tolerat, servat, obumbrare nobis in scapulis dicitur". Quo sensu vero recordari & oblivisci dicatur, exponit subdens: „ Quis
„ nescit, quia Dei memoria nec oblivione rumpitur, nec recorda-
„ tione sarcitur? Sed dum aliqua deserens prætermittit, more
„ mentium oblivisci dicitur; & cum post longum tempus quæ vo-
„ luerit visitat, nostræ mutabilitatis consuetudine recordatus voca-
„ tur". Quomodo autem alas habere dicatur, exponit subdens: „ Quia nos parvulos dum protegit, nutrit, & non gravi atque o-
„ nerosa, sed levi & blanda protectione nos refovet, quasi more
„ avium super nos alas tendit".

De superbis plura exponit, & 1. dicit, superbos dum (*a*) elevantur, dejici: 2. permittere eos terrenis negotiis, & desideriis opprimi (*b*): & dum superbiendo altiora petunt, ad inferiora retrudi (*c*): 3. Superbiam sequi solere carnis corruptionem (*d*).

Quomodo in Scripturis dicatur Deus & omnia simul condidisse, & tamen Moyses sex dierum mutatione variata, distincte creata describat, exponit dicens: „ Rerum (*e*) substantia simul creata
„ est; sed simul species formata non est: & quod simul extitit
„ per substantiam materiæ, non simul apparuit per speciem for-
„ mæ". Pari pacto explicat, quomodo Angelum simul cum homine factum dicatur, subdens: „ Si rerum (*f*) causas subtili dis-
„ cussione pensamus, simul Angelum factum hominemque cogno-
„ scimus: simul videlicet non unitate temporis, sed cognitione ra-
„ tionis: simul per acceptam imaginem sapientiæ, & non simul
„ per conjunctam substantiam formæ".

De Antichristo plura promit: & 1. quidem dicit, quod (*g*)
„ sicut cedrus arbusta cætera in altum crescendo deserit; ita tunc
„ Antichristus mundi gloriam temporaliter obtinens, mensuras ho-
„ minum & honoris culmine, & signorum potestate transcendet". Sæviet, sed ad breve tempus (*h*). Plus metuendus ex signis quæ faciet, quam ex pœnis quas martyribus inferet (*i*). Alios vi superabit (*k*). Per Antiochum fuit præsignatus (*l*). Quid de ipso doceant Daniel, & D. Paulus exponit (*m*). Multos jam adesse Antichristi testes (*n*). Quinam dicantur ossa Antichristi, exponit dicens: „ Hi Antichristi (*o*) ossa sunt, qui dum malos continendo
„ mul-

(a) *Ibid. c. 9. n. 11.* (b) *Ibid. c. 10. n. 12.*
(c) *Ibid. n. 13.* (d) *Ibid. c. 14. n. 21.*
(e) *Ibid. c. 12. n. 16.* (f) *Ibid. n. 17.*
(g) *Ibid. c. 15. n. 22.* (h) *Ibid. n. 23.*
(i) *Ibid. n. 24.* (k) *Ibid. n. 25.*
(l) *Ibid. n. 26.* (m) *Ibid. n. 27.*
(n) *Ibid. c. 16. n. 28.* (o) *Ibid. c. 17. n. 29.*

S.GREG. M. „ multiplicant, in ejus corpore carnes portant". Denique dicit, qui in Antichristi corpore debiliores sunt, ad perpetranda mala nequiores existere (*a*).

Quid agendum sit, quando nullus evadendi peccatum aditus patet, docet scribens: „ Dum mens (*b*) inter minora & maxima peccata „ constringitur, si omnino nullus sine peccato evadendi aditus pa- „ tet, minora semper eligantur; quia & qui murorum undique „ ambitu ne fugiat clauditur, ibi se in fugam præcipitat, ubi bre- „ vior murus invenitur".

Ostendit deinde, quantum ex astutis diaboli consiliis periculum nobis immineat (*c*): quod pluribus exemplis etiam illustrat, dum alios divitiis acquirendis studere suadet (*d*): alios mundo abrenuntiare meditantes, a sancto proposito avertit (*e*): alios ne ad monasticæ perfectionis culmen attendant, persequitur (*f*): alios ab officiis caritatis, studet avocare (*g*): deteriores excitat tentationes, cum laqueos specie virtutis occultat (*h*).

De Angelo autem apostata, sub nomine Behemoth designato, dicit ipsum fuisse primam & nobiliorem creaturam (*i*): primatum habuisse in novem angelorum ordines (*k*): ex ejus casu homines discere debere non superbire (*l*): Angeli apostatæ Deum potentiam coercere (*m*). Denique librum claudit Arii hæresim confutando (*n*).

Liber trigesimus tertius. A decimo quinto versiculo capitis 40. exorditur, & reliquos exponit: deinde ad duodecim priorum versuum sequentis capitis 41. explicationem progreditur. Varias detegit Dæmonis artes, & gratuitam docet prædestinationem, quam cum libero arbitrio conciliat.

Exorditur autem ostendendo, nomine montis in singulari plura designari in Scripturis, videlicet aliquando incarnatum Dominum (*o*): *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium* (*p*): aliquando Sanctam Ecclesiam: *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion* (*q*): aliquando testamentum Dei: *Deus a Libano veniet, & Sanctus de monte umbroso & condenso* (*r*): aliquando Angelum apostatam: *Super montem caliginosum levate signum* (*s*): aliquando quemlibet hæreticum: *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer* (*t*)? In plurali vero montes, vel Apostolorum, vel Prophetarum celsitudinem designare dicit: *Justitia tua, sicut* „ *mon-*

(a) *Ibid. c.* 18. *n.* 31. (b) *Ibid. c.* 20. *n.* 39.
(c) *Ibid. c.* 21. *n.* 40. (d) *Ibid. n.* 41.
(e) *Ibid. n.* 42. (f) *Ibid. n.* 43.
(g) *Ibid. n.* 44. (h) *Ibid. n.* 45.
(i) *Ibid. c.* 23. *n.* 47. (k) *Ibid. n.* 48.
(l) *Ibid. n.* 49. (m) *Ibid. c.* 24. *n.* 50.
(n) *Ibid. n.* 51. (o) *Ibid. c.* 1. *n.* 2.
(p) *Isaj.* 2. 2. (q) *Psal.* 124. 1.
(r) *Hab.* 3. 3. (s) *Isaj.* 3. 2.
(t) *Psal.* 10. 1.

montes Dei (*a*): aliquando sæcularium potestatum tumorem: *Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini* (*b*). S.GREG. M.

Obumbrationis nomine plura in sacro eloquio denotari animadvertit (*c*). Et primo quidem ad Dominicam Incarnationem significandam usurpatur: *Virtus altissimi obumbrabit tibi* (*d*): aliquando ad refrigerium mentis denotandum: *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi* (*e*): aliquando torporem frigidæ mentis caritatis recessu indicat: *Abundabit iniquitas, & refrigescet caritas multorum* (*f*): aliquando per umbram, si tamen cum adjectione mortis ponatur, mors carnis (*g*) exprimitur: *Cooperuit nos umbra mortis* (*h*): aliquando reprobi, qui antiqui hostis tenebras studio pravæ operationis imitantur, quia de antiquo hoste scriptum est: *Nomen illi mors* (*i*).

Calami quoque, & arundinis varias esse in Sacra Scriptura significationes observat (*k*). Et primo quidem aliquando verbum manens: unde per calamum Verbi æternitas designatur: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis* (*l*): aliquando scriptorum doctrina exprimitur: *Orietur viror calami & junci* (*m*): aliquando mentis mobilitas: *Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam* (*n*)? aliquando nitor gloriæ temporalis: *Fulgebunt justi, & tamquam scintillæ in arundineto discurrent* (*o*).

Umbræ diaboli nomine (dicit) designantur omnes (*p*) iniqui, „ qui dum imitationi iniquitatis ejus deserviunt, quasi ab ejus „ corpore imaginis speciem trahunt. Sicut autem umbræ ejus „ sunt pluraliter reprobi, ita singulariter umbra ejus est unusquis- „ que peccator ".

De salicibus vero scribit: „ Infructuosæ (*q*) quidem arbores „ sunt salices: sed tamen tantæ viriditatis sunt, ut arescere vel „ abscissæ radicitus & projectæ, vix possint. Unde in sacro elo- „ quio salicum nomine, aliquando pro viriditate boni, aliquando „ pro sterilitate reprobi designantur ". De prioribus siquidem scriptum est: *Germinabunt inter herbas, sicut salices juxta præterfluentes aquas* (*r*). Et de posterioribus dicitur: *In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra* (*s*). Et in hoc sensu accipi dicit in illis Jobi verbis: *Circumdabunt eum salices torrentis*: „ quia amatores vitæ mortalis, a bonis actibus quasi a fructibus „ alieni, tanto illi arctius inhærent, quanto eos largius delectatio „ transitoriæ voluptatis infundit ".

Ex-

(a) *Psal.* 35. 7. (b) *Psal.* 96. 5.
(c) *Ibid. c.* 3. *n.* 5. (d) *Luc.* 1. 35.
(e) *Cant.* 2. 3. (f) *Matth.* 24. 12.
(g) *Ibid. n.* 6. (h) *Psal.* 43. 20.
(i) *Apocal.* 6. 8. (k) *Ibid. c.* 3. *n.* 7.
(l) *Psal.* 44. 2. (m) *Isaj.* 35. 7.
(n) *Matth.* 11. 7. (o) *Sap.* 3. 7.
(p) *Ibid. c.* 4. *n.* 10. (q) *Ibid. c.* 5. *n.* 11.
(r) *Isaj.* 44. 4. (s) *Psal.* 136. 2.

S. GREG. M. Explicans verba illa Jobi: *Et in sudibus perforabit nares ejus*, scribit: „ Quid aliud (*a*) sudes, idest palos accipimus, qui videlicet exacuuntur, ut figantur, nisi acuta sanctorum consilia? „ Quæ hujus Behemoth nares perforant, dum sagacissimas ejus insidias & vigilando circumspiciunt, & superando transfigunt ".

In Leviathan vero captura per hamum, Redemptorem nostrum agnoscit, „ quia (*b*) dum per satellites suos escam corporis momordit, divinitatis illum aculeus perforavit. Quasi hamus quippe fauces glutientis tenuit, dum in illo & esca carnis patuit, quam devorator appeteret, & divinitas passionis tempore latuit, quæ necaret ".

Circulo in naribus Leviathan posito designari dicit divinæ virtutis omnipotentiam, scribens: Sicut (*c*) per nares insidiæ, ita per „ circulum divinæ virtutis omnipotentia designatur. Quæ cum apprehendi nos tentationibus prohibet, miris ordinibus antiqui hostis insidias circumplectens tenet. Circulus ergo ei in naribus ponitur, dum circumducta protectionis supernæ fortitudine, ejus sagacitas retinetur, ne contra infirmitatem humanam tantum prævaleat, quantum perditionis argumenta latenter explorat ".

Quomodo sit & in divina misericordia sperandum, & de ejus justitia timendum, docet scribens: „ Nemo (*d*) dicat: quia pius est, venialiter pecco. Et nemo qui peccaverit, dicat: quia justus est, de peccati remissione despero. Relaxat enim Deus facinus quod defletur; sed perpetrare quisque timeat, quod si digne deflere possit, ignorat. Ante culpam ergo justitiam metuat, post culpam tamen de pietate præsumat: neque ita justitiam timeat, ut nulla spei consolatione convalescat: neque ita confidat de misericordia, ut adhibere vulneribus suis dignæ pœnitentiæ negligat medicinam ".

Explicans illa verba Jobi: *Ligabis eum ancillis tuis*, sic scribit: „ Bene Dominus Leviathan (*e*) illum non servis, sed ancillis suis ligare se asserit; quia ad nostram redemptionem veniens, & suos contra mundi superbiam prædicatores mittens, relictis sapientibus insipientes, relictis fortibus debiles, relictis divitibus pauperes elegit. Ancillis ergo suis Leviathan hujus fortitudinem Dominus ligavit, quia attestante Paulo: Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia (*f*) ".

Gratiam omnino gratuitam esse docet scribens (*g*): „ Nemo ut divina illum gratia subsequatur, prius aliquid contulit Deo. Nam si nos Deum bene operando prævenimus, ubi est quod propheta ait: *Misericordia ejus præveniet me* (*h*)? Si quid nos bonæ operationis dedimus, ut ejus gratiam mereremur, ubi est quod Apostolus dicit: *Gratia salvati estis per fidem; & hoc*

„ non

(a) *Ibid. c.* 8. *n.* 15. (b) *Ibid. c.* 9. *n.* 17.
(c) *Ibid. c.* 11. *n.* 21. (d) *Ibid. c.* 12. *n.* 23.
(e) *Ibid. c.* 16. *n.* 32. (f) 1. *Cor.* 1. 27.
(g) *Ibid. c.* 21. *n.* 38. (h) *Psal.* 58. 11.

„ *non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus* (*a*)? . . . .
„ Nemo ergo Deum meritis prævenit, ut tenere eum quasi debi- S.GREG. M.
„ torem possit: sed miro modo æquus omnibus conditor &
„ quosdam prælegit, & quosdam in suis pravis moribus juste de-
„ relinquit ".

Malitiosas hominum mentes pulcre hericiis assimilat scribens:
„ Hericii (*b*) autem nomine, malitiosarum mentium defensio de-
„ signatur; quia videlicet hericius cum apprehenditur, ejus & ca-
„ put cernitur, & pedes videntur, & corpus omne conspicitur;
„ sed mox ut apprehensus fuerit, semetipsum in sphæram colligit,
„ pedes introrsus subtrahit, caput abscondit: & intra tenentis ma-
„ num totum simul amittitur, quod totum simul ante videbatur.
„ Sic nimirum sic malitiosæ mentes sunt, cum in suis excessibus
„ comprehenduntur ".

Hypocritas dicit ardere per malitiam, lucere per simulationem, scribens: „ Hypocrisis (*c*) eorum aperte describitur, quorum prædicatio
„ tædarum lampadibus comparatur. Tæda enim cum accenditur,
„ odorem quidem suavem habet, sed lumen obscurum. Ita isti
„ prædicatores Antichristi, quia sanctitatis sibi speciem arrogant,
„ sed tamen opera iniquitatis exercent, quasi blandum quidem est
„ quod redolent, sed nigrum quod lucent. Olent enim per simu-
„ lationem justitiæ, sed obscurum ardent per nequitiæ perpetra-
„ tionem ".

Denique librum claudit, sævitiam diaboli cum Antichristo describens in hæc verba: „ Tunc se (*d*) nequius diabolus dilatabit,
„ cum per illum damnatum hominem (Antichristum) veniens,
„ in hujus mundi se gloria apertius ostentat. Tunc ab ejus nari-
„ bus vastior fumus procedit; quia humana corda signorum ejus
„ admirationibus territa amplior instigatio percutit. Tunc ejus
„ halitus vehementius prunas ardere faciat; quia reproborum men-
„ tes, quas jam calentes amore gloriæ temporalis invenerit, sug-
„ gestionis suæ flatibus usque ad nequitiam exercendæ crudelitatis
„ incendit. Tunc de ore ejus flamma egreditur; quia quidquid per
„ se, quidquid per prædicatores suos loquitur, ignis est, quo in-
„ fructuosa ligna concremantur ".

Versiculum tertium decimum cum reliquis capitis 41. exponendos assumit in hoc libro S. Pontifex, in quo multa differit de Diaboli superbia, & sævissimis Antichristi adversus Sanctos persecutionibus. Liber trigesimus quartus.

Primo itaque capite scribit, senescente mundo (*e*) tribulationes crescere, & Diabolum tanto acrius sævire, quanto se viciniorem sentit ad pœnam. „ Considerat quippe quod juxta sit,
„ ut licentiam nequissimæ libertatis amittat: & quantum brevi-

(a) *Ephes.* 2. 8. (b) *Ibid. c.* 20. *n.* 53.
(c) *Ibid. c.* 35. *n.* 59. (d) *Ibid. c.* 39. *n.* 68.
(e) *Ibid. c.* 1. *n.* 1.

S.GREG. M. „ tate temporis angustatur, tantum multiplicitate crudelitatis expanditur ".

Ostendit deinde, divinæ esse munus gratiæ, quod electi cogitatum malum nequeant explere, scribens: „ Cum (*a*) fortasse infirmantur electi, atque in desideriis illicitis ruunt, in hoc plerumque divini muneris manu retinentur, quod voluntatis miseræ nullos effectus inveniunt. Cumque eorum votis valida contrarietas nascitur, plerumque ex ipsa impossibilitate corriguntur, & miro internæ dispositionis ordine, per conversionem mutatio malæ voluntatis sequitur, dum per infirmitatem perfectio denegatur ".

Dicit, ante Antichristi adventum signa Ecclesiæ esse subtrahenda, scribens: „ Terribilis (*b*) dispositionis occultæ ordine, priusquam Leviathan iste in illo damnato homine quem assumit, appareat, a sancta Ecclesia virtutum signa subtrahuntur. Nam prophetia absconditur, curationum gratia aufertur, prolixioris abstinentiæ virtus imminuitur, doctrinæ verba conticescunt, miraculorum prodigia tolluntur. Quæ quidem nequaquam superna dispensatio funditus subtrahit, sed non hæc sicut prioribus temporibus aperte ac multipliciter ostendit ".

Gladii nomine plura in Scripturis designari ostendit, nimirum aliquando denotatur sancta prædicatio (*c*): *Gladium spiritus quod est verbum Dei* (*d*): aliquando tribulatio temporalis: *Si multiplicati fuerint filii ejus, in gladio erunt* (*e*): aliquando antiqui hostis ira, vel persuasio: *Qui liberasti David servum tuum de gladio maligno* (*f*). Antichristum etiam dicendum gladium diaboli dicit, quo male quisque percutietur, ut in culpa moriatur.

Plura alia subdit de Antichristo, nimirum 1. quod (*g*) eo sæviente prædicatorum virtus & fortiorum constantia periclitabuntur; & nisi Deus opem ferat, deficient (*h*): contra ipsum sanctorum robur videbitur quasi stipula (*i*): futuri judicii comminationem irridebit, unde factus crudelior (*k*): Illi subdentur nonnulli, qui doctrina, & sanctitate in Ecclesia lucere videbantur (*l*): In ejus ultima persecutione ira reproborum ebulliet in Sanctos (*m*): Et qui Antichristo contra Sanctos militabunt, arbitrabuntur se obsequium præstare Deo (*n*): Antichristi semita miraculis lucebit (*o*).

Appellatione auri plura docet in Scripturis designari (*p*). Et primo:

(a) *Ibid. c.* 2. *n.* 3. (b) *Ibid. c.* 3. *n.* 7.
(c) *Ibid. c.* 8. *n.* 17. (d) *Ephes.* 6. 17.
(e) *Job* 27. 14. (f) *Psal.* 143. 10.
(g) *Ibid. c.* 9. *n.* 19. (h) *Ibid. n.* 20.
(i) *Ibid. c.* 11. *n.* 22. (k) *Ibid. c.* 13. *n.* 24.
(l) *Ibid. c.* 14. *n.* 25. (m) *Ibid. c.* 16. *n.* 31.
(n) *Ibid. c.* 17. *n.* 32. (o) *Ibid. c.* 18. *n.* 33.
(p) *Ibid. c.* 15. *n.* 26.

mo: quandoque divinitatis claritas: *Caput ejus aurum optimum* (*a*): aliquando splendor supernæ civitatis: *Ipsa civitas aurum mundum simile vitro mundo* (*b*): aliquando caritas, unde angelum, quem sibi loquentem Joannes aspexit, ad mamillas zona aurea cinctum vidit: aliquando nitor gloriæ temporalis: *Calix aureus Babylon* (*c*). S.GREG. M.

Luti quoque nomine plura denotari observat, scilicet (*d*) aliquando terrenarum rerum multiplicitas: *Væ ei, qui multiplicat non sua: usquequo aggravat contra se densum lutum* (*e*)? Aliquando doctrina sordidum sapiens: *Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum* (*f*): aliquando desiderium sordidæ voluptatis: *Eripe me de luto, ut non infigar* (*g*).

Origenis errorem refellit putantis dæmonum, & damnatorum pœnas minime futuras æternas, scribens (*h*): „ Sunt . . . . qui „ idcirco peccatis suis ponere finem negligunt, quia habere quan„ doque finem futura super se judicia suspicantur. Quibus brevi„ ter respondemus: Si quandoque finienda sunt supplicia reprobo„ rum, quandoque finienda sunt ergo & gaudia beatorum. Per „ semetipsam namque veritas dicit: *Ibunt hi in supplicium æter*„ *num, justi autem in vitam æternam* (*i*). Si igitur hoc verum non „ est quod minatus est, neque illud verum est quod promisit. At „ inquiunt: Ideo æternam pœnam peccantibus minatus est, ut „ eos a peccatorum perpetratione compesceret: quia creaturæ suæ „ æterna supplicia minari debuit, non inferre. Quibus citius re„ spondemus: Si falsa minatus est, ut ab injustitia corrigeret, et„ iam falsa pollicitus est, ut ad justitiam provocaret . . . . Quis „ hanc eorum vesaniam toleret, qui conantur adstruere verum non „ esse, quod veritas de æterno igne minata est, & dum satagunt „ Deum perhibere misericordem, non verentur prædicare fallacem "?

Electorum propriam esse humilitatem docet, scribens: „ Hoc au„ tem (*k*) proprium esse specimen electorum solet, quod de se „ sentiunt semper infra quam sunt ". E contra de reprobis dicit (*l*): „ Sed hanc humilitatis formam reprobi . . . vel cogno„ scere, vel tenere contemnunt, quia etsi quando se humiles spe„ cie tenus ostendunt, humilitatis vim servare intrinsecus negli„ gunt ".

Hinc plura subdit de vitio superbiæ, quam 1. radicem dicit omnium malorum (*m*); oppugnantem non unam virtutem, ut cætera vitia, sed omnes pessundantem (*n*): oriri tum ex bonis sæ-

(a) *Cant.* 5. 11. (b) *Apoc.* 21. 18.
(c) *Jerem.* 51. 7. (d) *Ibid. c.* 15. *n.* 27.
(e) *Habac.* 2. 6. (f) *Habac.* 3. 15.
(g) *Psal.* 68. 15. (h) *Ibid. c.* 18. *n.* 35.
(i) *Matth.* 25. 46. (k) *Ibid. c.* 22. *n.* 43.
(l) *Ibid. n.* 44. (m) *Ibid. c.* 23. *n.* 47.
(n) *Ibid. n.* 48.

S.GREG. M. cularibus & ex spiritualibus (*a*): omnibus dominari; alia est enim superbia Prælatorum (*b*): alia subjectorum (*c*). Denique librum claudit diserta exhortatione ad humilitatem (*d*).

Liber trigesimus quintus. In hoc postremo libro plura jam in præcedentibus exposita compendiose colliguntur, & opus totum absolvit de se demississime sentiens.

Sic itaque librum exorditur: „ Quia (*e*) iste ultimus hujus o„ peris liber est, & locis difficilioribus pertractatis, minus obscura „ sunt quæ supersunt: libet hunc indulgentius remissiusque trans„ currere ". Deinde ostendit, res creatas, si Deo comparentur, inane esse & nihil, scribens: „ Omnis (*f*) humana sapientia quan„ tolibet acumine polleat, divinæ sapientiæ comparata, insipientia „ est. Omnia enim humana, quæ justa, quæ pulcra sunt, Dei „ justitiæ & pulchritudini comparata, nec justa, nec pulcra sunt, „ nec omnino sunt ".

Explicat quid sit Deum hominem interrogare, & quid Deum homini respondere, dicens: „ Audire (*g*) nostrum est sono aliunde „ venienti aurem alio positam accommodare. At contra Deo, cui „ nihil extra est, audire proprie est, sub semetipso surgentia desi„ deria nostra percipere . . . . Respondere autem Dei, est eum, „ qui se humiliter nescientem cognoverit, occultis inspirationibus „ erudire ".

Dei Judicium de Job & amicis ejus exponit, & ostendit juste illum absolutum, istos vero damnatos (*h*); unde infert, alia esse hominum judicia, alia Dei (*i*), qui tamen dum amicos Job per justitiam redarguit, per misericordiam tamen convertit (*k*).

Ecclesiæ Christi prærogativas exponit, „ per quam (*l*) sacrifi„ cium Dominus libenter accipiat, sola quæ pro errantibus fidu„ cialiter intercedat . . . Sola est in qua opus bonum fructuose „ peragitur . . . Sola est quæ intra se positos valida caritatis com„ page custodit . . . Sola est in qua superna mysteria veraciter con„ templemur . . . In qua sola veritas conspicitur ".

Septenarii numeri perfectiones exponit (*m*); & plura per eum significari, *perfectionem æternitatis* (*n*): *universitatem temporalitatis* (*o*): *Ecclesiæ universitatem* (*p*).

Ex eo quod Job omnia Deus duplicia reddiderit, optime observat, quod „ per pietatem (*q*) benigni judicis tentationis nostræ „ dispendium vincunt suffragia consolationum: Minus enim tentat „ pro-

(a) *Ibid. n.* 49. (b) *Ibid. n.* 50.
(c) *Ibid. n.* 51. (d) *Ibid. n.* 53.
(e) *Ibid. in Proœm.* (f) *Ibid. c.* 2. *n.* 3.
(g) *Ibid. c.* 3. *n.* 4. (h) *Ibid. c.* 4. *n.* 8. & 9.
(i) *Ibid. n.* 10. (k) *Ibid. c.* 8. *n.* 11.
(l) *Ibid. n.* 13. (m) *Ibid. n.* 15.
(n) *Ibid. n.* 16. (o) *Ibid. n.* 17.
(p) *Ibid. n.* 18. (q) *Ibid. c.* 12. *n.* 23.

„ probatio, quam remuneratio consolatur: ut ex retributionis me- S.GREG. M.
„ rito leve fuisse quod toleravit, agnoscat, qui ex percussionis pon-
„ dere grave se aliquid tolerare judicabat".

Quomodo Sancti sint post resurrectionem duas subituri stolas, exponit scribens: „ Ante (*a*) resurrectionem Sancti singulas stolas „ accipiunt, quia sola animarum beatitudine perfruuntur: in fine „ autem mundi binas habituri sunt, quia cum mentis beatitudine „ etiam carnis gloriam possidebunt".

Judæorum conversionem ante mundi finem prænuntiatam dicit in verbis Jobi: *Venerunt ad eum omnes fratres sui, & universæ sorores suæ*, scribens: „ Hæc subnexa (*b*) verba in fine magis hu- „ jus sæculi conversionem se Judaici populi nuntiare testantur . . . „ Tunc quippe fratres sui ac sorores ad Christum veniunt, quando „ ex plebe Judaica quotquot inventi fuerint convertuntur". Ex qua conversione, subdit, Ecclesiam magnam habituram consolationem & gaudium (*c*).

Obedientiæ laudes celebrat (*d*), quam usque ad mortem servandam docet (*e*): malum tamen monet nunquam per obedientiam faciendum, sed bonum aliquando intermitti posse (*f*): sicut & docet, aliquando obedientiam sine ullo merito esse, aliquando solum minimo (*g*): esse innocentiæ ornamentum (*h*).

Plura mysteria in numeris in libro Job designatis (*i*), sicut & in nominibus trium filiarum Job latentia exponit (*k*): & in earum pulcritudine designatam dicit pulcritudinem electorum (*l*). Denique Job pristino restitutum statui, & auctis etiam bonis, typum esse Ecclesiæ ostendit (*m*).

Librum denique claudit per hæc eximiæ humilitatis verba: „ Quæso (*n*) ut quisquis hæc legerit, apud districtum judicem „ solatium mihi suæ orationis impendat; & omne quod in me „ sordidum deprehendit, fletibus diluat. Orationis autem atque „ expositionis virtute collata, lector meus in recompensatione „ me superat, si cum per me verba accipit, pro me lacrymas „ reddat".

Ex hac qualicumque hujusce Commentarii analysi Lector quilibet facile poterit deprehendere, quantum utilitatis afferre poterit hoc sanctissimi Pontificis Opus fidelibus tum doctis, tum rudioribus, qui in scientia Sanctorum instrui cupiunt & edoceri. In hunc enim scopum illud exaravit; & ideo, ut ipse protestatus est in epistola ad S. Leandrum, non tam litteralem, quam allegoricum sensum scrutatus

F 3 est:

(a) *Ibid. c.* 14. *n.* 25. (b) *Ibid. n.* 26.
(c) *Ibid. n.* 27. *&* 31. (d) *Ibid. n.* 28.
(e) *Ibidem.* (f) *Ibid. n.* 29.
(g) *Ibid. n.* 30. (h) *Ibid. n.* 32.
(i) *Ibid. c.* 16. *n.* 42. (k) *Ibid. c.* 17. *n.* 43.
(l) *Ibid. c.* 18. *n.* 45. (m) *Ibid. c.* 20. *n.* 48.
(n) *Ibid. n.* 49.

S.GREG. M. est: scribit enim: „ Aliquando exponere aperta historiæ verba negligimus, ne tardius ad obscura veniamus: aliquando intelligi juxta literam nequeunt, quia superficie tenus accepta, nequaquam instructionem legentibus, sed errorem gignunt (a) "; & artem loquendi neglexisse ut pluribus posset prodesse.

In Editione Parisiensi Maurina, & in iterata Venetiis impressione, Moralium libris succedunt in Ezechielem, & in Evangelia homiliæ: & recto quidem ordine, ut omnia in sacra Scriptura exegetica opera jungerentur. Verum in postrema, qua utor, Editione Clarissimus Editor Galliciollius Typographo in Voluminum divisione servire coactus Moralibus in Job ordine inverso Pastoralem Regulam adnexuit: & quidem, ut ipse inquit, non abs re factum, cum a Moralibus statim eam sanctus Doctor elucubraverit. Ipse, qui hac, ut prædixi, utor Editione, eumdem ordinem sequi cogor, nullo tamen Lectorum detrimento, qui de hoc moniti, in aliis Editionibus, quod hic positum est, suo loco possunt requirere.

Regulæ Pastoralis Opus exaratum an. 591. quanto in pretio habitum. Assumpto ad Summi Pontificatus apicem S. Gregorio, plures gratulatorias epistolas dedere. Inter hos fuit Joannes Ravennas, qui gratulatoriis verbis querelas admiscuit illi amice exprobrans, quod *Pastoralis curæ pondera fugere delitescendo voluisset*. Ut igitur conquerenti satisfaceret D. Gregorius, hoc Opus elucubravit, quod *Pastorale* dicitur, in quo Pastoribus regulam vivendi describit, & quam arduum sit illorum munus ostendens evincit, se merito tantum onus detrectasse. Summo plausu exceptum tam saluberrimum Opus fuit non solum in Occidente, sed & in Oriente. S. Leander Hispalensis Episcopus ab amico Gregorio sibi directum exosculatus est, ac in omnibus Hispaniarum Ecclesiis evulgavit. Mauritius Augustus ab Anatolio Diacono impetratum, cum illud ei maxime placuisset, Anastasio Antiocheno Episcopo in linguam Græcam transferendum tradidit, & publicavit. Immo Alfredus Occidentalium Saxonum Rex Oxoniensis Academiæ fundator, ipsum Saxonice vertit, & suis popularibus, præmissa præfatione, gratissimum munus obtulit; cujus versionis extant exemplaria in Bibliotheca SS. Trinitatis Cantabrigensis, & in Cottoniana. Versio græca omnino periit, nec ulla illius superest memoria, & quidem a pluribus sæculis; quandoquidem Photius, qui in sua Bibliotheca Dialogos a Zacharia Papa græce editos plurimum commendat Cod. 252. de Græca tamen translatione Regulæ Pastoralis alte silet. In Gallia multum commendatum fuit hoc Opus. Nam in Concilio Moguntino anni 813. post S. Evangelium, Epistolas, Actusque Apostolorum ac Canones, propositus est hic Liber Episcopis, ut in eo illi cernerent, quibus modis statum Ecclesiæ Dei, & Christianæ plebis profectum perficere, & conservare possent.

(a) *Epist. ep.* 3.

sent. Et in Remensi Concilio II. *lectæ sunt sententiæ Libri Pastoralis Beati Gregorii, ut Pastores Ecclesiæ intelligerent, quomodo ipsi vivere, & qualiter sibi subjectos deberent admonere*. Et in Concilio Turonensi III. statutum legitur: *Nullo Episcopo liceat Canones, aut Librum Pastoralem a Beato Gregorio Papa si fieri potest ignorare, in quibus se debet unusquisque quasi in speculo assidue considerare*. Quin imo ex Hincmaro Remensi Archiepiscopo intelligimus, in more positum fuisse, ut ordinandus & consecrandus Episcopus coram Altari, una cum libro sacrorum Canonum Regulam Pastoralem B. Gregorii in manu acciperet. Intra annum 592. Pastorali Regulæ manum admovit D. Gregorius.

S. GREG. M.

Quatuor in partes totum Opus partitus est Sanctissimus Pontifex. Et primo quidem in epistola ad Joannem Ravennatem Episcopum scribendi libri occasionem, quam superius enunciavimus, exponit; deinde ejus subjicit divisionem, quæ in quatuor partes facta est. In priori quidem de vocatione ad Episcopatum, & regimen animarum differit, & quas animi præparationes habere debeat, qui hoc onus sibi assumit. In altera qualem vocatus ad pastorale munus sese debeat exhibere. In tertia qualiter Præsul debeat edocere, & admonere subditos. In quarta denique & ultima qualiter Præsul omnibus rite peractis ad se redire debeat, ne superbia abripiatur.

Primæ partis analysis, Edit. Ven. Tom. 4.

In hac prima parte præmittit capite 1. salutare monitum, ne videlicet imperiti ad præsulatum audeant ascendere. Nam „ ab „ imperitis (scribit) pastorale (*a*) ministerium qua temeritate „ suscipitur, quando ars est artium regimen animarum? . . . Ex „ se namque, & non ex arbitrio summi Rectoris regnant, qui „ nullis fulti virtutibus, nequaquam divinitus vocati, sed sua cu„ pidine accensi, culmen regiminis rapiunt potius quam assequun„ tur ". Præsules oculis assimilat, quibus qui caret, ad alterius ducatum non solum idoneus non est, sed ruinæ alterius in causa est. Scribit itaque: „ Oculi quippe sunt, qui in ipsa honoris sum„ mi facie positi providendi itineris officium susceperunt: quibus „ hi nimirum qui subsequenter inhærent, dorsa nominantur. Ob„ scuratis ergo oculis dorsum flectitur; quia cum lumen scientiæ „ perdunt qui præeunt, profecto ad portanda peccatorum curvan„ tur onera qui sequuntur ".

Scientiæ jungendum exemplum bonorum operum a Pastoribus ostendit subdens: „ Sunt (*b*) nonnulli, qui solerti cura spiritalia „ præcepta perscrutantur: sed quæ intelligendo penetrant, vivendo „ conculcant, . . . & quod verbis prædicant, moribus impugnant. „ Unde fit, ut cum Pastor per abrupta graditur, ad præcipitium „ grex ducatur . . . Hinc de sacerdotibus Dominus per Prophe„ tam dicit: *Laqueus ruinæ populi mei, sacerdotes mali* (*c*). Et „ per alium Prophetam: *Facti sunt domui Israel in offendicu-*

 „ *lum*

(a) *Ibid. c. 1.* (b) *Ibid. c. 2.*
(c) *Oseæ 5. 1.*

S.Greg. M.

„ *lum iniquitatis* (*a*). Nemo quippe amplius in Eccleſia no-
„ cet, quam qui perverſe agens nomen vel ordinem ſanctitatis
„ habet ".

Fugiendum proinde docet pondus regiminis exemplo Chriſti, ſcribens: „ Quis (*b*) principari hominibus tam ſine culpa potuiſſet, „ quam is qui hos nimirum regeret, quos creaverat? Sed quia id- „ circo in carne venerat, ut non ſolum nos per paſſionem redimeret, „ verum etiam per converſationem doceret, exemplum ſe ſequenti- „ bus præbens, rex fieri noluit, ad crucis vero patibulum ſponte „ convenit; oblatam gloriam culminis fugit, pœnam probroſæ „ mortis appetiit: ut membra ejus videlicet diſcerent favores mun- „ di fugere, terrores minime timere, pro veritate adverſa diligere, „ proſpera formidando declinare: quia & iſta ſæpe per tumorem „ cor inquinant, & illa per dolorem purgant . . . Sic Saul, qui „ indignum ſe prius conſiderans fugerat, mox ut regni gubernacu- „ la ſuſcepit, intumuit . . . . Sic David auctoris judicio pene in „ cunctis actibus placens, mox ut preſſuræ pondere caruit, in tu- „ morem vulneris erupit, factuſque eſt in morte viri crudeliter ri- „ gidus, qui in appetitu fœminæ fuit enerviter fluxus ".

Præterea obſervat, regiminis ſollicitudines mentem diſſipare, ſcribens: „ Sæpe (*c*) ſuſcepta cura regiminis, cor per diverſa diver- „ berat, & impar quiſque invenitur ad ſingula, dum confuſa men- „ te dividitur ad multa . . . Cumque foras per inſolentem curam „ trahitur, a timoris intimi ſoliditate vacuatur: fit in exteriorum „ diſpoſitione ſollicita, & ſui ſolummodo ignara, ſcit multa cogi- „ tare, ſe neſciens . Nam cum plus quam neceſſe eſt ſe exterio- „ ribus implicat, quaſi occupata in itinere obliviſcitur quo tende- „ bat: ita ut ab ſtudio ſuæ inquiſitionis aliena, ne ipſa quidem „ quæ patitur damna conſideret, & per quanta delinquat igno- „ ret ". Utinam hæc D. Gregorii monita attenderent, qui minus perfecti, minuſque virtutibus præditi, tamen inhiare audent ſummis dignitatibus, & qui vix certo tutoque greſſu in viis planis incedere valerent, ſalebroſas, difficiles, & præcipitiis vicinas ingredi non pertimeſcunt.

Dum tamen hos terret, alios vero ex oppoſito monet, & reprehendit, qui cum in regimine virtutum exemplo poſſint plurimis prodeſſe, onus tamen nimium propriæ quietis amantes detrectant, & fugiunt, ſcribens: „ Sunt (*d*) nonnulli, qui eximia virtutum „ dona percipiunt, & pro exercitatione ceterorum magnis muneri- „ bus exaltantur, . . . qui nimirum culmen regiminum ſi vocati „ ſuſcipere renuunt, ipſa ſibi plerumque dona adimunt, quæ „ non pro ſe tantummodo, ſed etiam pro aliis acceperunt. Cum- „ que ſua & non aliorum lucra cogitant, ipſis ſe, quæ privata „ habere appetunt, bonis privant . . . . Hinc Petro ait: *Simon* „ *Joan-*

(a) *Ezech.* 44. 12. (b) *Ibid. c.* 3.
(c) *Ibid. c.* 4. (d) *Ibid. c.* 5.

„ *Joannis amas me* (*a*)? Qui cum se amare protinus respondis- S.GREG. M.
„ set, audivit: *Si diligis me*, *pasce oves meas*. Si ergo dile-
„ ctionis est testimonium cura pastionis, quisquis virtutibus pol-
„ lens gregem Dei renuit pascere, pastorem summum convincitur
„ non amare ".

Hinc infert, eos qui pondus regiminis per humilitatem fugiunt, tunc vere se humiles ostendere, quando divinis non obsistunt judiciis, scribens: „ Sunt (*b*) nonnulli qui ex sola humilitate refu-
„ giunt, ne eis quibus se impares æstimant præferantur. Quorum
„ profecto humilitas, si cæteris quoque virtutibus cingitur, tunc
„ ante Dei oculos vera est, cum ad respuendum hoc quod utiliter
„ subire præcipitur, pertinax non est. Neque enim vere humilis
„ est, qui superni nutus arbitrium ut debeat præesse intelligit, &
„ tamen præesse contemnit ".

Ostendit deinde, munus prædicationis ab aliquibus laudabiliter appeti, & a nonnullis nonnisi coactis laudabiliter exerceri, scribens: „ Prædicationis (*c*) officium & nonnulli laudabiliter appe-
„ tunt, & ad hoc nonnulli laudabiliter coacti pertrahuntur ". Quod ostendit exemplo duorum Prophetarum scribens: „ Isajas
„ quippe Domino quærenti quem mitteret, ultro se obtulit di-
„ cens: *Ecce ego*, *mitte me* (*d*). Jeremias autem mittitur, &
„ tamen ne mitti debeat humiliter reluctatur dicens: *A*, *a*, *a*,
„ *Domine*, *nescio loqui*, *quia puer ego sum* (*e*). En ab utrisque
„ exterius diversa vox prodiit, sed non a diverso fonte dilectio-
„ nis emanavit . . . Moyses utrumque miro opere explevit, qui
„ præesse tantæ multitudini & noluit, & obedivit. Superbus enim
„ fortasse esset, si ducatum plebis innumeræ sine trepidatio-
„ ne susciperet: & rursum superbus existeret, si auctoris impe-
„ rio obedire recusaret. Utrobique ergo humilis, utrobique sub-
„ jectus ".

Ut illorum, qui Episcopatum ambiunt abutentes verbis Apostoli: *Si quis Episcopatum desiderat*, *bonum opus desiderat* (*f*), superbiam comprimat, verba illa sic interpretatur, scribens: „ Lau-
„ dans desiderium (*g*), in pavorem vertit protinus quod lauda-
„ vit, cum repente subjungit: *Oportet autem Episcopum irre-*
„ *prehensibilem esse* (*h*). Cumque virtutum necessaria subse-
„ quenter enumerat, quæ sit irreprehensibilitas ipsa manifestat. Et
„ favet ergo ex desiderio, & terret ex præcepto ". Præterea subdit: „ Notandum quod illo in tempore hoc dicitur, quo quisquis
„ plebibus præerat, primus ad martyrii tormenta ducebatur.
„ Tunc ergo laudabile fuit Episcopatum quærere, quando per hunc
„ quemque dubium non erat ad supplicia graviora pervenire...
„ Ipse

(a) *Joan.* 15. 16. 17. (b) *Ibid. c.* 6.
(c) *Ibid. c.* 7. (d) *Isaj.* 6. 8.
(e) *Jer.* 1. 6. (f) 1. *Tim.* 3. 1.
(g) *Ibid. c.* 8. (h) *Ibid. ad Tim. v.* 2.

S. GREG. M.

„ Ipse ergo sibi testis est, quia episcopatum non appetit, qui non
„ per hunc boni operis ministerium, sed honoris gloriam quærit.
„ Sacrum quippe officium non solum non diligit omnino, sed ne-
„ scit, qui ad culmen regiminis anhelans, in occulta meditatione
„ cogitationis cæterorum subjectione pascitur, laude propria læta-
„ tur, ad honorem cor elevat, rerum affluentium abundantia
„ exultat ".

Prosequitur præfatum errorem detegere ostendens, volentes præesse sibi falso blandiri ficta bonorum operum promissione, scribens:
„ Hi qui (a) subire magisterium pastorale cupiunt, nonnulla quo-
„ que bona opera animo proponunt . . . . Nam sæpe sibi de se
„ mens ipsa mentitur, & fingit se de bono opere amare quod non
„ amat, de mundi autem gloria non amare quod amat: quæ prin-
„ cipari appetens, fit ad hoc pavida cum quærit, audax cum per-
„ venerit ". Ad hanc autem illusionem vitandam monet, „ ut cum
„ cogitatio extra usum ducitur, protinus mentis oculus ad opera
„ transacta revocetur: ac penset quisque quid subjectus egerit,
„ & repente cognoscit, si prælatus bona agere quæ proposuerit,
„ possit: quia nequaquam valet in culmine humilitatem discere,
„ qui in imis positus non desiit superbire . . . Nequaquam vincere
„ avaritiam potest, quando ad multorum sustentationem tenditur is,
„ cui sufficere propria nec soli potuerunt ".

Qualis igitur esse debeat qui regimen assumere velit, ostendit scribens: „ Ille modis (b) omnibus debet ad exemplum vivendi
„ pertrahi, qui cunctis carnis passionibus moriens jam spiritaliter
„ vivit, qui prospera mundi postposuit, qui nulla adversa perti-
„ mescit, qui sola interna desiderat ". Quod late prosequitur toto capite enumerans virtutes, dotes & ornamenta, queis pollere debent qui regendarum animarum curam suscipiant, sermonem claudens hac terribili comminatione: „ Qui adhuc deside-
„ riis terrenis adstringitur, caveat ne districti iram judicis gra-
„ vius accendens, dum loco delectatur gloriæ, fiat subditis auctor
„ ruinæ ".

Denique librum primum claudit ostendendo, illum principatum & regimen teneri vitare & fugere, qui vitium (c) adhuc damnabiliter in se regnare sentit; qui in anima ea sentit vitia, quæ in carne dominantes antiquæ legis homines a ministerio tabernaculi arcebant: nimirum 1. qui „ cæcus supernæ contemplationis
„ lumen ignorat: Qui claudus quo quidem pergere debeat aspi-
„ cit, sed per infirmitatem mentis, vitæ viam perfecte non valet
„ tenere quam videt: Qui gibbus terrenæ solicitudinis pondere ita
„ deprimitur, ne nunquam ad superna respiciat: Qui lippus inge-
„ nium habet ad cognitionem veritatis emicans, sed tamen hoc
„ carnalia opera obscurant: Qui scabie infectus in se carnis petu-

„ lantiam

(a) *Ibid. c. 9.* (b) *Ibid. c. 10.*
(c) *Ibid. c. 11.*

„ lantiam fine ceffatione dominari fentit . . . Quifquis ergo quo- „ libet horum vitio fubigitur, panes Domino offerre prohibetur : „ ne profecto diluere aliena delicta non valeat is, quem adhuc „ propria devaftant ". S. GREG. M.

Poftquam in primo libro oftendit D. Gregorius, quam pauci fint, qui ad paftorale magifterium digne venire poffint, profequitur inftruere, quomodo illi qui digne pervenere, in fufcepto minifterio vivere debeant. Et primo quidem aperte monet, ut fint cogitatione puri, fcribens: „ Rector (a) femper cogitatione fit mun- „ dus, quatenus nulla hunc immunditia polluat, qui hoc fufcepit „ officii, ut in alienis quoque cordibus pollutionis maculas ter- „ gat . . . . Hinc namque per Prophetam dicitur: *Mundamini* „ *qui fertis vafa Domini* (b). Domini etenim vafa ferunt, qui „ proximorum animas ad æterna facraria perducendas in fuæ con- „ verfationis fide fufcipiunt . Propterea gravitatem præferat. In „ fanctorum Patrum veftigiis oculos figat. Aliorum commodis, non „ fuis ftudeat, & nihil humanæ infirmitatis patiatur ". Analyfis fecundæ partis.

Oportet præterea, ut Paftor fit in operatione præcipuus, ideft „ vitæ viam (c) fubditis vivendo denuntiet, & grex qui Paftoris „ vocem morefque fequitur, per exempla melius quam per verba „ gradiatur ": Hinc cæteros morum gravitate fuperet.

Sit etiam, fubdit „ difcretus (d) in filentio, utilis in verbo: ne „ aut tacenda proferat, aut proferenda reticefcat ". Hinc Paftores mutos ac timidos corripit, qui proinde tacendo iram contra fe occulti judicis excitant. Proinde doceant verbo & exemplo, eorumque fermones fale difcretionis & fapientiæ condiant, proinde loquacitatem caveant.

Tertio loco poftulat, ut Rector „ fit fingulis (e) compaffione „ proximus, præ cunctis contemplatione fufpenfus: ut & per pie- „ tatis vifcera in fe infirmitatem ceterorum transferat, & per fpe- „ culationis altitudinem femetipfum quoque invifibilia appetendo „ tranfcendat: ne aut alta petens, proximorum infirma defpiciat, „ aut infirmis proximorum congruens, appetere alta derelinquat ". Hinc ad Deum afcendat per contemplationem, & ad infirmos defcendat per compaffionem; „ & talem qui præeft fefe exhibeat, „ cui fubjecti occulta quoque fua prodere non erubefcant; & fit „ plerumque, ut dum Rectoris animus aliena tentamenta conde- „ fcendendo cognofcit; auditis tentationibus etiam ipfe pulfetur. „ Nam dum fordes diluentium fufcipit, quafi fuæ munditiæ fereni- „ tatem perdit. Sed hæc nequaquam Paftori timenda funt, quia „ Deo fubtiliter cuncta penfante, tanto facilius a fua eripitur, quan- „ to mifericordius ex aliena tentatione fatigatur.

„ Sit

(a) *Ibid. c.* 2. (b) *Ifaj.* 52. 11.
(c) *Ibid. c.* 3. (d) *Ibid. c.* 4.
(e) *Ibid. c.* 5.

S. GREG. M.

„ Sit (addit) bene agentibus (*a*) per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus; ut & bonis „ in nullo se præferat, & cum pravorum culpa exigit, potestatem „ protinus sui prioratus agnoscat: quatenus & honore suppresso „ æqualem se subditis bene viventibus deputet, & erga perversos „ jura rectitudinis exercere non formidet. Hinc (subdit) cuncti „ qui præsunt, non in se potestatem debent ordinis, sed qualitatem „ pensare conditionis: nec præesse se hominibus gaudeant, sed „ prodesse . . . Tamen necesse est, ut Rectores a subditis timeantur, quando ab eis Deum minime timeri deprehendunt: ut humana saltem formidine peccare metuant, qui divina judicia non „ formidant ". Moniti exemplum præbet ex D. Petro, qui (scribit) „ auctore Deo sanctæ Ecclesiæ principatum tenens, a „ bene agente Cornelio & se ei humiliter prosternente, immoderatius venerari recusavit, seque illi similem recognovit, dicens: „ *Surge, ne feceris, & ego ipse homo sum* (*b*). Sed cum Ananiæ & Saphiræ culpam reperit, mox quanta potentia super cæteros excrevisset, ostendit. Verbo namque eorum vitam percussit ". Sit itaque (concludit) in Præsule „ amor, sed non „ emolliens: sit vigor, sed non exasperans: sit zelus, sed non immoderate sæviens: sit pietas, sed non plus quam expediat, parcens: ut dum se in arce regiminis justitia clementiaque permiscet, is qui præest, corda subditorum & terrendo demulceat, „ & tamen ad terroris reverentiam demulcendo constringat ".

Monet deinde Ecclesiæ Pastores, ut a sæcularibus curis & negotiis abstineant juxta monitum Apostoli Pauli: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit* (*c*). „ Hinc Moyses (scribit) qui cum Deo (*d*) loquitur, „ Jethro alienigenæ reprehensione judicatur, quod terrenis populorum negotiis stulto labore deserviat... A subditis ergo inferiora gerenda sunt, a Rectoribus summa cogitanda: ut scilicet oculum, qui prævidendis gressibus præeminet, cura pulveris non „ obscuret ". Addit tamen: „ Sæcularia negotia aliquando ex „ compassione toleranda sunt, nunquam vero ex amore requirenda: ne cum mentem diligentis aggravant, hanc suo victam pondere ad ima de cælestibus mergant ". Immo & aliquando temporalem curam esse a Pastore necessario suscipiendam docet, subdens: „ Rectorem necesse est, ut interiora possit infundere, cogitatione innoxia etiam exteriora providere. Sic itaque Pastores erga interiora studia subditorum suorum ferveant, quatenus „ in eis exterioris quoque vitæ providentiam non relinquant. Nam „ quasi jure a percipienda prædicatione gregis animus frangitur, si „ cura exterioris subsidii a Pastore negligatur ".

Quomodo vero ita nec placere hominibus appetere debeat Rector,

(a) *Ibid. c. 6.* (b) *Act. 10. 26.*
(c) *2. Tim. 2. 4.* (d) *Ibid. c. 7.*

ctor, ut tamen in quo placere debeat, attendat, ostendit S. Pontifex scribens: „ Rector (*a*) solerter invigilet, ne illum cupido „ placendi hominibus pulset: ne cum studiose interiora penetrat, „ cum provide exteriora subministrat, se magis a subditis diligi „ quam veritatem quærat . . . Nam amor proprius cum Rectoris mentem ceperit, aliquando hanc inordinate ad mollitiem, „ aliquando vero ad asperitatem rapit. Ex amore etenim suo mens „ Rectoris in mollitiem vertitur; quia cum peccantes subditos respicit, ne erga hunc eorum dilectio torpeat, corripere non præsumit: nonnumquam vero errata subditorum quæ increpare debuerat, adulationibus demulcet ": dum e contra „ quos nihil „ contra se valere conspiciunt, hos nimirum asperitate rigidæ semper invectionis premunt, numquam clementer admonent, sed pastoralis mansuetudinis obliti jure dominationis terrent ". Quomodo vero placere appetere possint, docet subdens: „ Oportet ut „ Rectores boni placere hominibus appetant, ut suæ æstimationis „ dulcedine proximos in affectum veritatis trahant, non ut se amari desiderent, sed ut dilectionem suam quasi quamdam viam „ faciant, per quam corda audientium ad amorem Conditoris introducant. Difficile quippe est, ut quamlibet recta denuntians „ prædicator qui non diligitur, libenter audiatur ". Denique sic concludit: „ Debet ergo qui præest, & studere se diligi, quatenus „ possit audiri, & tamen amorem suum pro semetipso non quærere, ne inveniatur ei, cui servire per officium cernitur, occulta „ cogitationis tyrannide resultare. Quod bene Paulus insinuat, „ cum sui nobis studii occulta manifestat, dicens: *Sicut & ego per* „ *omnia omnibus placeo* (*b*). Qui tamen rursus dicit: *Si hominibus* „ *placerem, Christi servus non essem* (*c*). Placet ergo Paulus, & „ non placet: quia in eo quod placere appetit, non se, sed per „ se hominibus placere veritatem quærit.

S. GREG. M.

Caveat, Rectorem monet, „ quod plerumque vitia virtutes (*d*) „ se esse mentiuntur. Unde necesse est, ut virtutes ac vitia vigilanti cura discernat, ne aut cor tenacia occupet, & parcum se „ videri in dispensationibus exultet: aut cum effuse quid perditur, „ largum se quasi miserando glorietur: aut remittendo quod ferire „ debuit, ad æterna supplicia subditos pertrahat: aut immaniter „ feriendo quod delinquitur, ipse gravius delinquat ".

Cum necessariæ sint Rectori & correptiones & dissimulationes, & mansuetudo & rigor, qua discretione eas adhibere debeat, docet S. Pontifex scribens: „ Aliquando (*e*) subjectorum vitia prudenter dissimulanda sunt, sed quia dissimulantur, indicanda: aliquando & aperte cognita, mature toleranda, aliquando vero „ subtiliter & occulta perscrutanda: aliquando leniter arguenda,

„ ali-

(a) *Ibid. c.* 8. (b) 1. *Cor.* 10. 33.
(c) *Gal.* 1. 10. (d) *Ibid. c.* 9.
(e) *Ibid. c.* 10.

„ aliquando autem vehementer increpanda . . . Dissimulanda . . .
S. GREG. M. „ ut cum delinquens, & deprehendi se cognoscit & perpeti, has „ quas in se tacite tolerari considerat, augere culpas erubescat ... „ Qua scilicet dissimulatione bene Judæam Dominus corripit, cum „ per Prophetam dicit: *Mentita es, & mei non es recordata, neque cogitasti in corde tuo, quia ego tacens & quasi non videns* (a) . . . Nonnulla toleranda, cum videlicet rerum minime „ opportunitas congruit, ut aperte corrigantur. Nam secta immature vulnera deterius infervescunt, & nisi cum tempore medicamenta conveniant, constat proculdubio quod medendi officium „ amittant . . . Nonnulla subtiliter perscrutanda, ut quibusdam „ signis erumpentibus, rector in subditorum mente omne quod clausum latet, inveniat, & interveniente correptionis articulo, ex „ minimis majora cognoscat: unde recte ad Ezechielem dicitur: „ *Fili hominis, fode parietem: ingredere & vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hic* (b) . . . Nunnulla sunt leniter arguenda, cum non malitia, sed sola ignorantia vel infirmitate delinquitur. . . ut magno moderamine ipsa delicti correptio temperetur . . . . Nonnulla sunt vehementius increpanda, „ ut cum culpa ab auctore non cognoscitur, quanti sit ponderis, „ ab increpantis ore sentiatur. Et cum sibi quis malum quod perpetravit levigat, hoc contra se graviter ex corripientis asperitate „ pertimescat ". Denique sapienter animadvertit „ quia dum ad „ increpationem se mens doctoris exasperat, difficile valde est, ut „ non aliquando & ad aliquid quod dicere non debet, erumpat . . . Unde necesse est, ut exasperatus Rector, cum subditorum mentem plus se quam debuit percussisse considerat, apud „ se semper ad pœnitentiam recurrat: ut per lamenta veniam in „ conspectu veritatis obtineat, ex eo etiam quod per zeli ejus studium peccat ".

Hæc omnia rite & recte præstabunt Pastores, si sacris Legis meditationibus sint intenti, „ ut in eis (c) vim solicitudinis, & „ erga cælestem vitam providæ circumspectionis, quam humanæ „ conversationis usus indesinenter destruit, divinæ admonitionis verba restaurent: & qui ad vetustatem vitæ per societatem secularium ducitur, ad amorem semper spiritalis patriæ compunctionis adspiratione renovetur ".

Tertiæ partis Analysis. In tertio libro ostendit D. Gregorius, qualiter Rector animarum bene vivens, debeat docere, & admonere sibi subditos. Et 1. quidem observat, in admonendo & docendo diversitatem esse servandam, nam „ pro qualitate (d) audientium formari debet sermo doctorum, ut & ad sua singulis congruat, & tamen a communis „ ædificationis arte nunquam recedat ". Varias itaque personarum species enumerat, quibus suas aptare debet Rector sive doctrinas, sive

(a) *Isaj.* 57. 11. (b) *Ezech.* 8. 8.
(c) *Ibid. c.* 11. (d) *In prol.*

sive prædicationes, & pro singulis modum peculiare instructionis & doctrinæ proponit.

S. GREG. M.

Quomodo admonendi viri & fœminæ, juvenes & senes.

Prima itaque admonitione docet, quomodo sint admonendi viri & fœminæ. „ Illis (scribit) graviora, istis (*a*) vero injungenda sunt leviora ". Juvenes & senes sunt dispari modo instruendi: „ quia illos plerumque severitas admonitionis ad profectum di„ rigit; istos vero ad meliora opera deprecatio blanda compo„ nit ".

Quomodo inopes, & divites.

Inopi in admonitionibus offerre solatium contra tribulationem debemus. . . „ Inopi quippe (*b*) a Domino per Prophetam dicitur: „ *Noli timere, quia non confunderis* (*c*) . . . At e contra divi„ tibus inferre metum contra elationem debemus . . . Unde Pau„ lus discipulo de divitibus ait: *Divitibus hujus sæculi præcipe* „ *non superbe sapere, neque sperare in incerto divitiarum sua*„ *rum* (*d*). Ubi notandum valde est, quod humilitatis doctor me„ moriam divitum faciens non ait, *Roga*, sed *Præcipe:* quia etsi im„ pendenda est pietas infirmitati, honor tamen non debetur elationi ". Verum animadvertit: „ Nonnunquam etiam superbus dives exhor„ tationis blandimento placandus est: quia & plerumque dura vul„ nera per lenia fomenta mollescunt, & furor insanorum sæpe ad „ salutem medico blandiente reducitur: cumque eis in dulcedine „ condescenditur, languor insaniæ mitigatur ". Præterea observat, quod „ aliquando cum hujus sæculi potentes arguuntur, prius per „ quasdam similitudines velut de alieno negotio requirendi sunt: „ & cum rectam sententiam quasi in alterum protulerint, tunc „ modis congruentibus de proprio reatu feriendi sunt ". Quod monitum confirmat exemplo Nathan, Davidem de adulterio & homicidio redarguentis.

Læti & tristes.

Læti quoque commonefaciendi sunt „ inferendo tristia quæ (*e*) se„ quuntur ex supplicio; dum e contra tristibus inferenda sunt læ„ ta quæ promittuntur ex regno. Discant læti ex minarum aspe„ ritate quod timeant: audiant tristes præmiorum gaudia de qui„ bus præsumant ".

Subditi & Præsules.

Aliter quoque (*f*) admonendi sunt subditi, aliter Prælati. „ Il„ los ne subjectio conterat, istos ne locus superior extollat . . . . „ Illi ut humiliter subjaceant, isti ut temperanter præsint . . . . „ Rursum isti ut per circumspectionis studium oculos intus & in „ circuitu habeant, & cæli animalia fieri contendant. Ostensa „ quippe cæli animalia in circuitu, & intus oculis plena describun„ tur . . . Admonendi sunt subditi, ne præpositorum suorum vi„ tam temere judicent, si quid eos fortasse agere reprehensibiliter „ vident: ne unde mala recte redarguunt, inde per elationis im„ pul-

(a) *Cap.* 1. (b) *Cap.* 2.
(c) *Isaj.* 54. 4. (d) 1. *Tim.* 6. 17.
(e) *Cap.* 3. (f) *Cap.* 4.

S.GREG. M. „ pulsum in profundiora mergantur . . . Et ne cum culpas præpositorum considerant, contra eos audaciores fiant “.

Servi & Domini. „ Servi admonendi (*a*), ut in se semper humilitatem conditionis „ aspiciant . . . . ne dominos despiciant, ne Deum offendant, si „ ordinationi illius superbiendo contradicunt . . . . Domini vero, „ ut naturæ suæ qua æqualiter sunt cum servis conditi, memoriam non amittant . . . . quia contra Dominum superbiunt, si „ eos, quos per conditionem tenent subditos, æquales sibi per naturæ consortium non agnoscunt. Isti admonendi sunt, ut sciant „ se esse servos dominorum: illi admonendi sunt, ut cognoscant se „ conservos esse servorum “.

Sapientes & hebetes. Sapientes (*b*) hujus sæculi „ admonendi sunt . . . ut amittant „ scire quæ sciunt... in illis hoc primum destruendum est, quod se „ sapientes arbitrantur... & cum illis laborandum, ut sapientius „ stulti fiant, stultam sapientiam deserant, & sapientem Dei stultitiam discant... Hebetes admonendi sunt, ut appetant scire quæ „ nesciunt... in illis ædificandum quidquid de superna sapientia cognoscitur . . . ut ab ea quæ putatur stultitia ad veram sapientiam vicinius transeant “.

Impudentes & verecundi. „ Impudentes vero (*c*) non nisi increpatio dura compescit: se „ delinquere nesciunt, nisi etiam a pluribus increpentur: tunc illos „ melius corrigit qui invehendo reprehendit. At e contra verecundos plerumque ad melius exhortatio modesta componit . . . & „ ad illorum conversionem sufficit, quod eis doctor mala sua saltem leniter ad memoriam reducit . . . & major profectus adducitur, si hoc quod in eis reprehenditur, quasi ex latere tangatur “. Quod confirmat exemplo Christi & Pauli Apostoli.

Protervi & pusillanimes. „ Protervi (*d*) melius corriguntur, cum ea quæ bene egisse se „ credunt, male acta monstramus: ut unde adepta gloria creditur, inde utilis subsequatur confusio. E contra pusillanimes „ aptius ad iter bene agendi reducimus, si quædam illorum bona „ ex latere requiramus, ut dum in eis alia reprehendendo corripimus, alia amplectendo laudemus: quatenus eorum teneritudinem laus audita nutriat, quam culpa increpata castigat “.

Impatientes & patientes. Impatientibus ad correctionem dicendum est, „ quia (*e*) dum „ refrenare spiritum negligunt, per multa etiam quæ non appetunt, iniquitatum abrupta rapiuntur; quia mentem videlicet impellit furor, quo non trahit desiderium; & agit commota velut „ nesciens, unde post doleat sciens “. Ostendendum etiam, impatientiæ affinem esse arrogantiam: „ quia dum despici in mundo hoc „ quisque non patitur, bona si qua sibi occulta sunt, ostentare conatur, atque sic per impatientiam ad arrogantiam ducitur . . . „ Hinc

(a) *Cap.* 5. (b) *Cap.* 6.
(c) *Cap.* 7. (d) *Cap.* 8.
(e) *Cap.* 9.

„ Hinc veritas dicit: *In patientia vestra possidebitis animas ve-* S.GREG. M.
„ *stras* (*a*). Patientes contra sunt admonendi, ne in eo quod exterius portant, interius doleant: ne tantæ virtutis sacrificium
„ quod integrum foras immolant, intus malitiæ peste corrum-
„ pant . . . . Dicendum etiam patientibus, ut studeant diligere
„ quos sibi necesse est tolerare: ne si patientiam dilectio non se-
„ quatur, in deteriorem culpam odii virtus ostensa vertatur. Unde
„ Paulus cum diceret: *Caritas patiens est*, illico adjunxit, *benigna*
„ *est* (*b*): videlicet ostendens, quia quos ex patientia tolerat,
„ amare etiam ex benignitate non cessat ".

Benevoli admonendi sunt (*c*), „ ut sic alienis bonis congau- Benevoli & invidi.
„ deant, quatenus habere & propria concupiscant. Sic proximo-
„ rum facta diligendo laudent, ut etiam imitando multiplicent,
„ quia si imitari bona minime festinant, quæ laudantes approbant,
„ sic eis virtutum sanctitas, sicut stultis spectatoribus ludicrarum ar-
„ tium vanitas placet ". Invidi vero ex opposito admonendi, „ ut
„ perpendant quantæ cæcitatis sunt, qui alieno profectu deficiunt,
„ aliena exultatione contabescunt . . . Quid istis infelicius, quos
„ dum conspecta felicitas afficit, pœna nequiores reddat? . . . Qui
„ dum se in livore minime custodiunt, in antiquam versuti homi-
„ nis nequitiam demerguntur. De illo namque scriptum est: *In-*
„ *vidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum* (*d*) . . .
„ Qui dum se ista intrinsecus peste consumunt, etiam quidquid in
„ se aliud boni habere videntur, interimunt. Unde scriptum est:
„ *Vita carnium*, *sanitas cordis*, *putredo ossium*, *invidia* (*e*)... quia
„ per livoris vitium ante Dei oculos pereunt etiam quæ humanis
„ oculis fortia videntur ".

„ Laudandi simplices (*f*) quod studeant nunquam falsa dicere, Simplices & versipelles.
„ sed admonendi sunt ut noverint nonnunquam vera reticere. Sicut
„ enim semper dicentem falsitas læsit, ita nonnunquam quibusdam
„ audita vera nocuerunt ". Versipelles vero, seu impuri admonendi sunt, „ ut quam gravis sit, quem cum culpa sustinent, duplicita-
„ tis labor agnoscant. Dum enim deprehendi metuunt, semper
„ improbas defensiones quærunt, semper pavidis suspicionibus agi-
„ tantur. Nihil autem est ad defendendum puritate tutius, nil
„ ad dicendum veritate facilius . . . . Audiant impuri quod scri-
„ ptum est: *Qui ambulat simpliciter*, *ambulat confidenter* (*g*).
„ Fiducia quippe magnæ securitatis est simplicitas actionis ".

Sani & incolumes admonendi (*h*) sunt „ ut salutem corporis Incolumes & ægri.
„ exerceant ad salutem mentis, ne si acceptæ incolumitatis gra-
„ tiam ad usum nequitiæ inclinent, dono deteriores fiant . . . ne
„ opportunitatem salutis in perpetuum promerendæ despiciant, &

(a) *Luc.* 21. 19. (b) 1. *Cor.* 13. 4.
(c) *Cap.* 10. (d) *Sap.* 2. 24.
(e) *Prov.* 14. 30. (f) *Cap.* 11.
(g) *Prov.* 10. 9. (h) *Cap.* 12.

S.GREG. M.

„ salus corporis quando ad bene operandum accepta despicitur, „ quanti sit muneris amissa sentitur. Ægri e contra admonendi, „ ut eo se filios Dei sentiant, quo illos disciplinæ flagella casti- „ gant. Nisi enim correctis hæreditatem dare disponeret, erudire „ eos per molestias non curaret . . . ut considerent pro percipien- „ dis terrenis hæreditatibus quam dura carnales filios disciplinæ „ flagella castigent . . . ut considerent, quanta salus cordis sit mo- „ lestia corporalis, quæ ad cognitionem sui mentem revocat, & „ quam plerumque salus abjicit, infirmitatis memoriam refor- „ mat . . . ut considerent, quantum sit muneris molestia corpora- „ lis, quæ & admissa peccata diluit, & ea quæ admitti poterant, „ compescit . . . Ut incessanter quanta Redemptor noster ab his „ quos creaverat, pertulit mala, considerent: quod tot abjecta „ conviciorum probra sustinuit . . . . insultantium alapas acce- „ pit . . . tacitus flagella toleravit . . . colaphos pertulit . . . „ spinis caput supponere non recusavit . . . . in siti sua fellis „ amaritudinem accepit . . . & usque ad mortem ipse vita per- „ venit “.

Flagella metuentes, & contemnentes.

Qui flagella metuunt (*a*), & ideo innocenter vivunt, admonendi sunt, „ ut & bona temporalia nequaquam pro magno desiderent, „ quæ adesse etiam pravis vident: & mala præsentia nequaquam „ velut intolerabilia fugiant, quibus hic plerumque etiam bonos „ affici non ignorant . . . ut si malis veraciter carere desiderant, „ æterna supplicia perhorrescant. At contra, quos ab iniquitate „ nec flagella compescunt, tanto acriori invectione feriendi sunt, „ quanto majori insensibilitate duruerunt . . . Districte itaque con- „ tra illos divinæ sententiæ proferendæ sunt, ut ad cognitionem sui „ considerata æterna animadversione revocentur. Audiant Domi- „ num conquerentem: *Attrivisti eos, & renuerunt accipere disci-* „ *plinam* (*b*): Et rursum: *Populus non est reversus ad percu-* „ *tientem se* (*c*): Et denique: *Curavimus Babylonem, & non est* „ *sanata, derelinquamus eam* (*d*) “.

Taciturni & verbosi.

„ Insinuari nimis tacitis debet, quia dum quædam vitia (*e*) in- „ caute fugiunt, occulte deterioribus implicantur. Nam sæpe lin- „ guam quia immoderatius frenant, in corde gravius multiloquium „ tolerant: ut eo plus cogitationes in mente ferveant, quo illas „ violenta custodia indiscreti silentii angustat . . . Lingua discrete „ frenanda est, non insolubiliter obliganda. Scriptum namque est: „ *Sapiens tacebit usque ad tempus* (*f*): & rursum scriptum est: „ *Tempus tacendi, & tempus loquendi* (*g*) . . . Nimis taciti cum „ nonnulla injusta patiuntur, eo in acriorem dolorem prodeunt, „ quo ea quæ sustinent, non loquuntur . . . Scire igitur debent, „ qui

(a) *Cap.* 13. (b) *Jerem.* 5. 3.
(c) *Ibid.* 15. 6. (d) *Ibid.* 51. 9.
(e) *Ibid. c.* 14. (f) *Eccli.* 20. 7.
(g) *Eccl.* 3. 7.

„ qui plus quam expedit tacent, ne inter molesta quæ tolerant, [redacted]
„ dum linguam tenent, vim doloris exaggerent . . . Admonendi S. Greg. M.
„ sunt etiam, ut si proximos sicut se diligunt, minime illis ta-
„ ceant unde eos juste reprehendunt. Vocis enim medicamine utro-
„ rumque saluti concurritur, dum & ab illo qui infert, actio pra-
„ va compescitur; & ab hoc qui sustinet, doloris fervor vulnere
„ aperto temperatur... Multiloquio vero vacantes admonendi sunt,
„ ut vigilanter inspiciant, a quanto rectitudinis statu depereunt,
„ dum per multiplicia verba dilabuntur . . . Quæ enim superva-
„ cuis verbis a silentii sui censura dissipatur, quasi tot rivis extra
„ se ducitur . . . Unde scriptum est: *Sicut urbs patens & absque*
„ *murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spi-*
„ *ritum suum* (*a*). Quia enim murum silentii non habet, patet
„ inimici jaculis civitas mentis . . . & dum otiosa verba cavere
„ negligunt, ad noxa perveniunt . . . Hinc seminantur stimuli,
„ oriuntur rixæ, accenduntur faces odiorum, pax extinguitur cor-
„ dium. Hinc propheta dicit: *Vir linguosus non dirigetur super*
„ *terram* (*b*): Et rursum Salomon: *In multiloquio non deerit*
„ *peccatum* (*c*) . . . Et veritas admonet, de otioso verbo redden-
„ dam esse rationem. Otiosum quippe verbum est, quod aut ra-
„ tione justæ necessitatis, aut intentione piæ utilitatis caret. Si er-
„ go de otioso sermone ratio exigitur, pensemus quæ pœna multi-
„ loquium maneat, in quo etiam per noxia verba peccatur ".

Admonendi sunt pigri (*d*), „ ne agenda bona, dum differunt, Pigri & præcipites.
„ amittant: & sæpe dum opportune agere quod possunt nolunt,
„ paulo post cum volunt, non possint. Ipsa quippe mentis desi-
„ dia dum congruo fervore non accenditur, a bonorum desiderio
„ funditus, convalescente furtim torpore mactatur . . . Hinc recte
„ per Salomonem dicitur: *Pigredo immittit soporem, & anima*
„ *dissoluta esuriet* (*e*). At contra, præcipites, dum bonorum
„ actuum præveniunt tempus, meritum pervertunt, & sæpe in
„ malis corruunt, dum bona minime discernunt. Qui nequaquam
„ quæ quando agant inspiciunt, sed plerumque acta quia ita non
„ debuerunt agere cognoscunt . . . Unde recte per Salomonem di-
„ citur: *Fili, sine consilio nihil facias, & post factum non pœni-*
„ *tebis* (*f*). Et rursum: *Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos*
„ (*g*). Palpebræ quippe gressus præcedunt, cum operationem no-
„ stram consilia recta præveniunt. Qui enim negligit considerán-
„ do prævidere quod facit, gressus tendit, oculos claudit, sed præ-
„ videndo sibimetipsi non antecedit, atque idcirco citius corruit,
„ quia quo pedem operis ponere debeat, per palpebram consilii
„ non attendit ".

G 2 „ Non-

(a) *Prov.* 25. 28. (b) *Psalm.* 139. 12.
(c) *Prov.* 10. 19. (d) *Cap.* 15.
(e) *Prov.* 19. 14. (f) *Eccli.* 32. 24.
(g) *Prov.* 4. 25.

S. GREG. M.

Mansueti & iracundi.

„ Nonnunquam mansueti (*a*) cum præsunt, vicinum & quasi „ juxta se positum torporem desidiæ patiuntur . . . Sæpe ergo „ mansueti dissolutionis torpescunt tædio. Admonendi itaque ut am„ plectantur sollicitudinem, & habere etiam æmulationem justitiæ „ studeant . . . Nequaquam Spiritu Sancto plenus est, qui aut in „ tranquillitate mansuetudinis fervorem æmulationis deserit, aut „ rursum in æmulationis ardore virtutem mansuetudinis amittit. „ At contra iracundi, cum regiminum loca percipiunt, quo im„ pellente ira in mentis vesaniam devolvuntur, eo etiam subdito„ rum vitam dissipata quietis tranquillitate confundunt. Quos cum „ furor agit in præceps, ignorant quidquid irati faciunt, ignorant „ quidquid a semetipsis patiuntur irati. Admonendi itaque, ut æ„ mulationi quam se habere existimant, mansuetudinem subjun„ gant... Sed longe alia est ira, quæ sub æmulationis specie sub„ ripit, alia quæ turbatum cor, & sine justitiæ prætextu confun„ dit. Illa enim in hoc quod debet, inordinate extenditur; hæc „ autem semper in his quæ non debet, inflammatur . . . Et in „ hoc ab impatientibus iracundi differunt, quod illi ab aliis illata „ non tolerant, isti autem etiam quæ tolerentur important . . . . „ Iracundi sæpe etiam se declinantes insequuntur, rixæ occasionem „ commovent, labore contentionis gaudent; quos tamen melius „ corrigimus, si in ipsa iræ suæ commotione declinamus . . . . . „ Cum vero declinari omnino non possunt, non aperta exprobra„ tione, sed sub quadam sunt cautela reverentiæ parcendo ferien„ di ".

Humiles & elati.

„ Humilibus (*b*) insinuandum est, quam sit vera excellentia „ quam sperando tenent . . . . quam sint æterna quæ appetunt, „ quam transitoria quæ contemnunt. Audiant humiles ex magistra „ voce Veritatis: *Omnis qui se humiliat, exaltabitur* (*c*). Et „ rursum: *Gloriam præcedit humilitas* (*d*) . . . Humiles dum se „ dejiciunt, ad Dei similitudinem ascendunt . . . Quid humilitate „ sublimius, quæ dum se in ima deprimit, auctori suo manenti „ super summa conjungit? . . . E contra vero intimandum est, „ quam nulla temporis gloria, quam & amplectentes non tenent. „ Audiant: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur* (*e*). Et: *Ante* „ *ruinam exaltatur Spiritus* (*f*). Elati dum se erigunt, in apostatæ „ Angeli imitationem cadunt. Quid itaque elatione dejectius, quæ „ dum supra se tenditur, ab altitudine veræ celsitudinis elonga„ tur? . . . Plerumque elatos utilius corripimus, si eorum corre„ ptionibus quædam laudum fomenta misceamus. Inferenda nam„ que illis sunt aut alia bona quæ in ipsis sunt, aut dicendum „ certe quæ poterant esse, si non sunt: & tunc demum resecanda „ sunt mala quæ nobis displicent, cum prius ad audiendum eo-

„ rum

(a) *Cap.* 16. (b) *Cap.* 17.
(c) *Luc.* 18. 14. (d) *Prov.* 15. 33.
(e) *Luc.* 18. 14. (f) *Prov.* 16. 18.

„ rum placabilem mentem fecerint præmissa bona quæ pla-
„ cent “.

S. GREG. M.

Pertinaces & inconstantes.

„ Dicendum est pertinacibus (a), quod plus de se, quam sunt, „ sentiunt, & idcirco alienis consiliis non acquiescunt... quod nisi „ meliores cæteris se æstimarent, nequaquam cunctorum consilia suæ „ deliberationi postponerent. Illis suggerendum quod dicit Aposto- „ lus: *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos* (b) . . . Admonen- „ di igitur, ut elationem suæ cogitationis agnoscant, & semetipsos „ vincere studeant; ne dum rectis aliorum suasionibus foris supera- „ ri despiciunt, intus a superbia captivi teneantur. Inconstantibus „ vero intimandum, quod valde se despicientes negligunt, & ideo „ levitate cogitationum a suo judicio per temporum momenta fle- „ ctuntur. Illis suggerendum: *Cor stultorum dissimile est* (c). Cor „ quippe sapientum sibimetipsi semper est simile: quia dum rectis „ persuasionibus acquiescit, constanter se in bono opere dirigit. . . „ Admonendi propterea, ut mentem gravitate roborent “.

Intemperantes & abstinentes.

Gulæ dediti admonendi sunt (d), quod illos „ superfluitas lo- „ cutionis, levitas operis, atque luxuria comitantur . . . . quia „ dum satietate venter extenditur, aculei libidinis excitantur. Abs- „ tinentes vero monendi; nam illos sæpe impatientiæ & superbiæ „ culpa comitatur . . . ut sollicite semper aspiciant, ne cum gulæ „ vitium fugiunt, acriora ex his vitia quasi ex virtute generentur; „ ne dum carnem macerant, ad impatientiam spiritus erumpant: „ & nulla jam virtus sit, quod caro vincitur, si spiritus ab ira „ superatur “.

Liberales & avari.

„ Qui sua (e) misericorditer tribuunt, ne cogitatione tumida „ super eos se quibus terrena largiuntur, extollant; ne idcirco se „ meliores æstiment, quia contineri per se cæteros vident “. Et hic opportune plura exhibet elargiendæ eleemosynæ documenta, videlicet perpendendum „ ne commissa indigne distribuant; ne quæ- „ dam quibus nulla, ne nulla quibus quædam, ne multa quibus „ pauca, ne pauca præbeant quibus impendere multa debuerunt; „ ne præcipitatione hoc quod tribuunt inutiliter spargant; ne tar- „ ditate petentes noxie crucient; ne recipiendæ hic gratiæ intentio „ subrepat, ne dationis lumen laudis transitoriæ appetitio extin- „ guat . . . ne sibi quidquam cum totum recte impleverint, tri- „ buant . . . . Illos reprehendit “ divites, qui, cum fame cru- cientur Christi pauperes, effusis largitionibus nutriunt histriones. Avari autem & qui aliena rapiunt „ audiant quod scriptum est: „ *Væ ei qui multiplicat non sua: usquequo aggravat contra se den-* „ *sum lutum* (f)? Avaro quippe contra se densum lutum aggra- „ vare, est terrena lucra cum pondere peccati cumulare . . . Cum „ quælibet præsentis mundi lucra desiderant, & ea quæ de futuro

 „ damna

(a) *Cap.* 18. (b) *Rom.* 12. 16.
(c) *Prov.* 15. 7. (d) *Cap.* 19.
(e) *Cap.* 20. (f) *Habac.* 2. 6.

S. GREG. M. ,, damna patientur, ignorant, audiant quod scriptum est: *Quid*
,, *prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ vero suæ de-*
,, *trimentum faciat* (*a*) "?

Tenaces & fures. Sunt plures qui aliena (*b*) quidem non appetunt, sed nec sua largiuntur. Hi admonendi, ,, ut sciant sollicite quod ea de qua
,, sumpti sunt, cunctis hominibus terra communis est, & idcirco
,, alimenta quoque omnibus communiter proferant. Incassum ergo
,, se innocentes putant, qui commune Dei munus sibi privatum
,, vindicant . . . & ideo cum quælibet necessaria indigentibus mi-
,, nistramus, sua illis reddimus, non nostra largimur; justitiæ de-
,, bitum potius solvimus, quam misericordiæ opera implemus . . .
,, Noverint quod hanc primam injuriam faciunt Deo, quia danti
,, sibi omnia, nullam misericordiæ hostiam reddunt . . . . & qui
,, innoxios se, quia aliena non rapiunt, existimant, ictum securis
,, vicinæ prævideant, & torporem improvidæ securitatis amit-
,, tant ". Illi vero qui ea quidem quæ habent tribuunt, sed aliena rapere non desistunt, admonendi sunt, ,, ut tenere sua rationa-
,, biliter sciant, & tunc demum ut aliena non ambiant . . . Occa-
,, sio enim rapiendi subtrahitur, si bene prius jus possidendi dispo-
,, natur . . . & audiant, quomodo quæ habent misericorditer tri-
,, buant, quando nimirum didicerunt, ut bona misericordiæ per in-
,, terjectam rapinæ nequitiam non confundant. Violenter enim ex-
,, quirunt quæ misericorditer largiuntur ".

Discordes & pacati. Discordes admonendi (*c*), ,, ut certissime sciant quia quantisli-
,, bet virtutibus polleant, spiritales fieri nullatenus possunt, si uni-
,, ri per concordiam proximis negligunt. Scriptum quippe est:
,, *Fructus autem spiritus est caritas, gaudium, pax* (*d*). Qui
,, ergo servare pacem non curant, ferre fructum spiritus recusant.
,, Pacati e contra admonendi, ne dum plus quam necesse est, pa-
,, cem quam possident, amant, ad perpetuam pervenire non appe-
,, tant. Plerumque enim gravius intentionem mentium rerum
,, tranquillitas tentat: ut quo non sunt molesta quæ tenent, eo
,, minus amabilia fiant quæ vocant: & quo delectant præsentia,
,, eo non inquirantur æterna . . . Pax igitur præsens ita tenenda
,, est, & ut diligi debeat & contemni, ne si immoderate diligi-
,, tur, diligentis animus in culpa capiatur. Hinc salubriter con-
,, temnitur pax, quando pravi hominum mores redarguuntur, nec
,, consentiendo perversis, ab illorum consortio se disjungunt ".

Jurgantes & pacifici. Admonendi qui jurgia seminant (*e*), ut cujus sint sequaces agno-
,, scant. De apostata quippe Angelo scriptum est, cum bonæ messi
,, inserta fuisset zizania: *Inimicus homo hoc fecit* (*f*). De cujus
,, membro per Salomonem dicitur: *Homo apostata vir inutilis* . . .
,, *omni tempore jurgia seminat* (*g*). Ecce, quem seminantem jur-
,, gia

(a) *Matth.* 16. 26. (b) *Cap.* 21. (c) *Cap.* 22.
(d) *Gal.* 5. 22. (e) *Cap.* 23.
(f) *Matth.* 13. 28. (g) *Prov.* 6. 12.

„ gia dicere voluit, prius apoſtatam nominavit... & merito quia „ ſeminantes jurgia, in uno malo innumera peragunt: quia ſemi- „ nando diſcordiam, caritatem quæ nimirum virtutum omnium „ mater eſt, extinguunt. Pacifici vero admonendi, ne tantæ actio- „ nis pondus levigent, ſi inter quos ſundare pacem debeant, igno- „ rent. Nam ſicut multum nocet ſi unitas deſit bonis: ita valde „ eſt noxium ſi non deſit malis. Si ergo perverſorum nequitia in „ pace jungitur, profecto eorum malis actibus robur augetur: „ quia quo ſibi in malitia congruunt, eo ſe robuſtius bonorum af- „ flictionibus illidunt ". S. GREG. M.

Rudes illi (*a*) hic deſignantur, qui ſacræ Legis doctrinam non recte intelligunt. Hi itaque admonendi ſunt, „ ut perpendant, „ quia ſaluberrimum vini potum in veneni ſibi poculum vertunt, „ ac per medicinale ferrum vulnere mortali ſe feriunt, dum per „ hoc in ſe ſana perimunt, per quod ſalubriter abſcindere ſaucia- „ ta debuerunt . . . & perpendant quod ſacra Scriptura in nocte „ vitæ præſentis quaſi quædam nobis lucerna ſit poſita, cujus ni- „ mirum verba dum non recte intelligunt, de lumine tenebreſcunt. „ Qui vero docti in ſacris litteris non humiliter loquuntur, ad- „ monendi, ut in divinis ſermonibus, priuſquam aliis eos profe- „ rant, ſemetipſos requirant, ne inſequentes aliorum facta, ſe de- „ ſerant; & cum recte cuncta de Scriptura ſentiunt, hoc ſolum „ quod per illam contra elatos dicitur, non attendant. Improbus „ quippe & imperitus eſt medicus, qui alienum mederi appetit, „ & ipſe vulnus quod patitur, neſcit ". Rudes & docti.

Sunt qui (*b*) cum prædicare digne valeant, præ nimia humilitate formidant. Hi monendi, „ ut ex minori conſideratione colligant, quantum in majoribus rebus delinquant . . . Si enim populos fames attereret, & occulta frumenta ipſi ſervarent, auctores proculdubio mortis exiſterent. Qua itaque plectendi ſunt „ pœna conſiderent, qui cum fame verbi animæ pereant, ipſi pa- „ nem perceptæ gratiæ non miniſtrent. Unde bene per Salomo- „ nem dicitur: *Qui abſcondit frumenta, maledicetur in populis* „ (*c*) ". Quam doctrinam late confirmat pluribus adductis ſacræ Scripturæ teſtimoniis. E contra vero ſunt qui licet a prædicationis officio vel imperfectione, vel ætate, vel ingenii hebetudine repellantur, tamen illud ſibi uſurpare contendunt, & hos dicit admonendos, „ ne dum tanti ſibi onus officii præcipitatione arrogant, „ viam ſibi ſubſequentis meliorationis abſcindant, & cum arripiunt „ intempeſtive quod non valent, perdant etiam quod implere „ quandoque tempeſtive potuiſſent: atque ſcientiam, quia incon- „ grue conantur oſtendere, juſte oſtendantur amiſiſſe. Qui officium prædicationis detrectant & qui occupant.

„ Sunt qui in hoc (*d*) quod temporaliter appetunt, proſperan- „ tur, & hi admonendi, ne cum cuncta ad votum ſuppetunt, „ dan- Proſperati & infelices.

(a) *Cap.* 24. (b) *Cap.* 25.
(c) *Prov.* 11. 26. (d) *Cap.* 26.

S. Greg. M. „ dantem quærere negligant, sed in his quæ dantur, animum fi-
„ gant: ne peregrinationem pro patria diligant, ne subsidia itine-
„ ris in obstacula perventionis vertant, ne nocturno lunæ lumine
„ delectati, claritatem solis videre refugiant. Hinc eos Paulus
„ monet: *Qui emunt, tamquam non possidentes; & qui utuntur
„ hoc mundo, tamquam non utantur* (*a*): Ut videlicet sic nobis
„ quæ suppetunt, exterius serviant, quatenus a supernæ delectatio-
„ nis studio animum non inflectant . . . . Considerent etiam quia
„ præsentis vitæ prosperitas aliquando idcirco datur, ut ad melio-
„ rem vitam provocet, aliquando vero ut in æternum plenius da-
„ mnet". Sunt vero ex opposito qui quæ mundi sunt concupiscunt, sed tamen adversitatis labore fatigantur, & hi admonendi, „ ut
„ solicita consideratione perpendant, Creator, dispositorque cuncto-
„ rum quanta super eos gratia vigilat, quos in sua desideria non
„ relaxat. Ægro quippe quem medicus desperat, concedit ut
„ cuncta quæ concupiscit accipiat. Nam qui sanari posse credi-
„ tur, a multis quæ appetit, prohibetur . . . . De spe ergo æter-
„ næ hæreditatis gaudium sumant, quos adversitas vitæ temporalis
„ humiliat".

Conjugati & cælibes. Mutua (*b*) conjugum officia late & sapienter prosequitur in hoc capite D. Gregorius; & 1. quidem admonendos conjuges, „ ut cum
„ vicissim quæ sunt alterius cogitant, sic eorum quisque placere
„ studeat conjugi, ut non displiceat Conditori . . . Uxorem quasi
„ non habendo habet, qui transitoria esse cuncta conspiciens, cu-
„ ram carnis ex necessitate tolerat, sed æterna gaudia spiritus ex
„ desiderio expectat . . . ut ea in quibus sibi aliquando displicent,
„ & patientes invicem tolerent, & exhortantes invicem salvent . . .
„ ut suscipiendæ prolis se meminerint causa conjunctos, & cum
„ immoderatæ admixtioni servientes, propagationis articulum in
„ usum transferunt voluptatis, perpendant quod licet extra non
„ exeant, in ipso tamen conjugio conjugii jura transcendunt. Un-
„ de necesse est ut crebris exhortationibus deleant quod pulchram
„ copulæ speciem admixtis voluptatibus fœdant. Hinc est quod
„ peritus medicinæ cælestis Apostolus non tam sanos instituit,
„ quam infirmis medicamenta monstravit dicens: *Propter fornica-
„ tionem unusquisque suam habeat uxorem, & unaquæque suum
„ virum habeat* (*c*). Qui enim fornicationis metum præmisit,
„ profecto non stantibus præceptum contulit; sed ne fortasse in
„ terram ruerent, lectum cadentibus ostendit . . . . unde subdit:
„ *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum impe-
„ rium* (*d*). Culpa quippe esse innuitur, quod indulgeri perhi-
„ betur; sed quæ tanto citius relaxetur, quanto non per hanc illi-
„ citum quid agitur, sed hoc quod est licitum, sub moderamine
„ non tenetur". Cælibes vero admonendi sunt, „ ut præcep:is
„ cæ-

(a) 1. *Cor.* 7. 30. (b) *Cap.* 27.
(c) 1. *Cor.* 7. 1. (d) *Ibidem.*

„ cælestibus eo rectius serviant, quo eos ad curas mundi nequa- S.GREG. M.
„ quam jugum copulæ carnalis inclinat: ut quos onus licitum
„ conjugii non gravat, nequaquam pondus illicitum terrenæ soli-
„ citudinis premat, sed tanto eos paratiores dies ultimus, quanto
„ & expeditiores inveniat: ne quo meliora agere vacantes possunt,
„ sed tamen negligunt, eo supplicia deteriora mereantur . . . Ad-
„ monendi, ne sine damnationis judicio misceri se fœminis vacanti-
„ bus putent . . . Nam Paulus fornicationis vitium criminibus exe-
„ crandis inseruit . . . quod si tentationum procellas cum difficul-
„ tate salutis tolerant, conjugii portum petant. Scriptum namque
„ est: *Melius est nubere, quam uri* (*a*). Sine culpa scilicet ad
„ conjugium veniunt, si tamen necdum meliora voverunt ".

Carnis conscii, & ignari.

Qui peccata (*b*) carnis experti sunt, admoneri debent, „ ut ma-
„ re saltem post naufragium metuant, & perditionis suæ discrimi-
„ na vel cognita perhorrescant: ne qui pie post perpetrata mala
„ servati sunt, hæc improbe repetendo moriantur . . . ut studeant,
„ quatenus si accepta naturæ bona integra servare noluerunt, sal-
„ tem scissa resarciant . . . præterita commissa considerent, &
„ imminentia devitent ". Ignorantes vero peccata carnis admo-
nendi, „ ut tanto solicitius præcipitem ruinam metuant, quanto al-
„ tius stant . . . ut noverint, quia quo magis loco prominenti
„ consistunt, eo crebrioribus sagittis insidiatoris impetuntur . . . .
„ ut incessanter præmia suspiciant, & libenter proculdubio tenta-
„ tionum quas tolerant labores calcabunt ": & denique ut humi-
litatem in virginitate servent.

Qui opere peccarunt & qui sola cogitatione.

Qui peccata (*c*) deplorant operum, admonendi, „ ut consum-
„ mata mala perfecta diluant lamenta, ne plus astrigantur in debito
„ perpetrati operis, & minus solvant fletibus satisfactionis ... ut
„ incessanter admissa ante oculos reducant, atque vivendo agant, ut
„ a districto judice videri non debeant . . . ut singula quæque ad-
„ missa considerent, & dum per unumquodque erroris sui inquina-
„ tionem deflent, simul se ac totos lacrymis mundent . . . ut de
„ misericordia quam postulant, præsumant: ne vi immoderatæ af-
„ flictionis intereant . . . ut tamen sic de spe fiduciam habeant,
„ ne tamen incauta securitate torpescant. Qui vero peccata cogi-
„ tationum deflent, solicite considerent intra mentis arcana, utrum
„ delectatione tantummodo, an etiam consensu deliquerint . . . . .
„ tribus quippe modis omnis culpæ nequitiam perpetramus, sug-
„ gestione scilicet, delectatione, & consensu. Primum itaque per
„ hostem, secundum vero per carnem, tertium per spiritum per-
„ petratur . . . Suggestione peccatum agnoscimus, delectatione vin-
„ cimur, consensu etiam ligamur. Admonendi sunt igitur qui ne-
„ quitias cogitationis deflent, ut sollicite considerent, in qua pecca-
„ ti mensura ceciderunt, quatenus juxta ruinæ modum quam in
„ semet-

(a) 1. *Cor.* 7. 9. (b) *Cap.* 28.
(c) *Cap.* 29.

S. GREG. M.

„ semetipsis introrsus sentiunt, etiam mensura lamentationis erigantur: ne si cogitata mala minus cruciant, usque ad perpetranda „ opera perducant. Sed inter hæc ita terrendi sunt, ut tamen minime „ frangantur. Sæpe enim misericors Deus eo citius peccata cordis „ abluit, quo hæc exire ad opera non permittit: & cogitata ne„ quitia quanto citius solvitur, quia effectu operis districtius „ non ligatur “.

Qui a peccatis quæ deflent, non abstinent, & qui abstinent, sed non deflent.

Qui admissa peccata (*a*) plangunt quidem, sed minime deserunt, admonendi sunt, „ ut considerare solicite sciant, quia flendo „ inaniter se mundant, qui vivendo se nequiter inquinant, cum „ idcirco se lacrymis lavant, ut mundi ad sordes redeant . . . & „ qui admissa plangit, nec tamen deserit, pœnæ gravioris culpæ „ se subjicit, quia & ipsam quam flendo potuit impetrare veniam „ contemnit . . . solicite etiam considerent, quia ita plerumque „ mali inutiliter compunguntur ad justitiam, sicut plerumque boni „ innoxie tentantur ad culpam . . . At contra qui admissa deserunt, nec tamen plangunt, admonendi sunt, ne jam relaxatas „ æstiment culpas, quas etsi agendo non multiplicant, nullis ta„ men fletibus mundant . . . nam cum Deo delinquimus, ne„ quaquam satisfacimus, si ab iniquitate cessamus, nisi voluptates „ quoque quas dileximus, e contrario appositis lamentis insequa„ mur . . . Deus enim delictorum morbos medicamentis contrariis „ medetur, ut qui voluptatibus delectari discessimus, fletibus ama„ ricati redeamus; & qui per illicita defluendo cecidimus, etiam „ a licitis nosmetipsos restringendo surgamus, & cor quod insana „ lætitia infuderat, salubris tristitia exurat, & quod vulneraverat „ elatio superbiæ, curet abjectio humilis vitæ “.

Qui illicita quæ faciunt, laudant.

„ Admonendi sunt (*b*) qui illicita quæ faciunt etiam laudant, „ ut considerent quod plerumque ore plusquam opere delinquant. „ Opere namque per semetipsos solos prava perpetrant: ore autem „ per tot personas iniquitatem exhibent, quot audientium mentes „ iniqua laudantes docent, admonendi, ut eis perditio privata suf„ ficiat “.

Qui peccata fatentur, nec tamen cavent.

Qui vero accusant prava, nec tamen devitant, admonendi, „ ut proinde perpendant quid in districto Dei judicio pro „ sua excusatione dicturi sunt, qui de reatu suorum criminum et„ iam semetipsis judicibus non excusantur . . . . ut videant quia „ jam de occulta retributione judicii est, quod eorum mens malum „ quod perpetrat illuminatur ut videat, sed non conatur ut vincat: „ ut quo melius videt, eo deterius pereat: quia & intelligentiæ „ lumen percipit, & actionis pravæ tenebras non relinquit “.

Qui subito motu & qui consulto peccant.

Admonendi sunt quos repentina (*c*) concupiscentia superat, „ ut „ in bello præsentis vitæ se quotidie positos attendant, & cor quod „ prævidere vulnera non potest, scuto soliciti timoris tegant: ut „ occulta insidiantis hostis jacula perhorrescant, & in tam caligi„ noso

(a) *Cap.* 39. (b) *Cap.* 31.
(c) *Cap.* 32.

„ noso certamine intentione continua intra mentis castra se mu- „ niant . . . ut curare nimis terrena desuescant: quia intentionem „ suam dum de rebus transitoriis immoderatius implicant, quibus „ culparum jaculis transfigantur ignorant. Qui vero culpa ex con- „ silio ligantur, provida consideratione perpendant, quia dum ma- „ la ex judicio faciunt, districtius contra se judicium accendunt: „ ut tanto eos durior sententia feriat, quanto illos in culpa ar- „ ctius vincula deliberationis ligant . . . & tardius peccatum solvi- „ tur, quod & per consilium solidatur . . . & plerumque in la- „ queum desperationis cadunt “. S. Greg. M.

Sunt qui licet (*a*) minima, crebro tamen illicita faciunt, & hi admonendi, „ ut nequaquam considerent qualia, sed quanta commit- „ tunt. Facta enim sua si despiciunt timere cum pensant, debent „ formidare cum numerant. Altos quippe gurgites fluminum par- „ væ sed innumeræ replent guttæ pluviarum. Et hoc agit sentina „ latenter excrescens, quod patenter procella sæviens . . . Hinc „ scriptum est: *Qui modica spernit, paulatim decidit* (*b*) . . . . „ Et deterius nonnunquam in parva, quam in majori culpa pec- „ catur. Major enim quo citius quia sit culpa agnoscitur, eo et- „ iam celerius emendatur: minor vero dum quasi nulla creditur, „ eo pejus quo & securius in usu retinetur “. Qui minimis sed crebris noxis indulgent.

Qui vero se a parvis custodiunt, sed aliquando in gravibus demerguntur, admo- nendi sunt, „ ut solicite seipsos deprehendant, quia dum cor eo- „ rum de custoditis minimis extollitur, ad perpetranda graviora „ ipso elationis suæ barathro devorantur; & dum foris sibi parva „ subjiciunt, sed per inanem gloriam intus intumescunt, languore „ superbiæ intrinsecus victam mentem etiam foras per mala majo- „ ra prosternunt ... Qui enim vane elati, boni minimi custodiam „ suis viribus tribuunt, juste derelicti culpis majoribus obruuntur; „ & cadendo discunt non fuisse proprium quod steterunt, ut mala „ immensa cor reprimant, quod minima bona exaltant “. Qui minima caventes aliquando graviora committunt.

„ Qui bona (*c*) nec inchoant, non sunt eis ædificanda quæ sa- „ lubriter diligant, sed destruenda ea in quibus semetipsos nequiter „ versant . . . Prius ergo ostendenda sunt, quam sint vana quæ „ diligunt, & tunc demum vigilanter intimanda quam sint utilia „ quæ prætermittunt. Prius videant fugienda quæ amant, & sine „ difficultate postmodum cognoscant amanda esse quæ fugiunt . . . „ quia nisi prius perversa destruant, ædificare utiliter recta non „ possunt “. Qui bona nec inchoant.

At qui bona inchoata minime consummant, admo- nendi sunt, „ ut cauta circumspectione considerent, quia dum pro- „ posita non perficiunt, etiam quæ fuerant cœpta convellunt. Si „ enim quod videtur gerendum, solicita intentione non crescit, et- „ iam quod fuerat bene gestum decrescit . . . Hinc est quod per „ Salomonem dicitur: *Qui mollis & dissolutus est in opere suo*, „ *frater* Qui bona inchoata non compleat.

(a) *Cap.* 33. (b) *Eccli.* 19. 1.
(c) *Cap.* 34.

S. GREG. M. „ *frater est sua opera dissipantis (a)*. Quia videlicet qui cœpta „ bona districte non exequitur, dissolutione negligentiæ manum de„ struentis imitatur ".

Qui mala clam, & bona palam faciunt, & vice versa.

„ Qui mala (b) occulte agunt, & bona publice, admonendi „ sunt, ut pensent humana judicia quanta velocitate evolant, divi„ na autem quanta immobilitate perdurent . . . ut in fine rerum „ mentis oculos figant, quia & humanæ laudis attestatio præterit, „ & superna sententia, quæ & abscondita penetrat, ad retributio„ nem perpetuam convalescit . . . Culpas suas occultando homini„ bus, virtutesque pandendo, & unde puniri debeant abscondentes „ detegunt, & unde remunerari poterant, detegentes abscondunt. „ Quos recte sepulchra dealbata speciosa exterius, sed mortuorum „ ossibus plena Veritas vocat: quia vitiorum mala intus contegunt, „ humanis vero oculis quorumdam demonstratione operum de solo „ foris justitiæ colore blandiuntur. Qui vero e contra bona occulte „ faciunt, & tamen quibusdam factis publice de se mala opinari „ permittunt, admonendi sunt, ne cum bona semetipsos actionis re„ ctæ virtute vivificant, in se alios per exemplum pravæ æstimationis „ occidant: ne minus quam se proximos diligant, & cum ipsi sa„ lubrem potum vini sorbeant, intentis in sui consideratione men„ tibus pestiferum veneni poculum fundant. Hi nimirum in uno „ proximorum vitam minus adjuvant, in altero multum gravant, „ dum student & recta occulte agere, & quibusdam factis ad ex„ emplum de se prava seminare... Unde Veritas dicit: *Videant* „ *opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis* „ *est (c)*. Et licet longe aliud præcepisse videatur dicens: *At*„ *tendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videa*„ *mini ab eis (d)*; tamen utrumque bene perficitur, dum ea quæ „ agimus, occultamus, ne ipsi laudemur, & tamen ostendimus, ut „ laudem cælestis Patris augeamus ".

Exhortatio 1. Post monitiones, faciendas exhortationes suggerit Præsulibus (e) ad subditorum spiritualium profectum promovendum. In hoc itaque capite eos hortatur, ut sic Angelorum virtutes adjuvent, quatenus contraria virtutibus vitia non excrescant, scribens: „ Sic ti„ midis infundatur auctoritas, ut tamen superbis non crescat ef„ frenatio. Sic otiosis ac torpentibus prædicetur solicitudo boni o„ peris, ut tamen inquietis immoderatæ licentia non augeatur a„ ctionis. Sic inquietis ponatur modus, ut tamen otiosis non fiat „ torpor securus. Sic ab impatientibus extinguatur ira, ut tamen „ remissis ac lenibus non crescat negligentia. Sic lenes accendan„ tur ad zelum, ut tamen iracundis non addatur incendium "; & plura alia suggerit plane similia.

Exhortatio 2. Deinde suggerit (f) exhortationem adhibendam laboranti con-

„ trariis

(a) *Prov. 18. 9.* (b) *Cap. 35.*
(c) *Matth. 5. 16.* (d) *Matth. 6. 1.*
(e) *Cap. 36.* (f) *Cap. 37.*

„ trariis passionibus. „ Rector multo acriori labore fatigatur, „ quando uni e contrariis vitiis servienti prædicare compellitur. „ Plerumque enim quis lætæ nimis conspersionis existit, sed tamen „ eum tristitia repente oborta immaniter deprimit. Curandum est „ itaque prædicatori, quatenus sic tergatur tristitia quæ venit ex „ tempore, ut non augeatur lætitia quæ suppetit ex conspersione: „ & sic frenetur lætitia quæ ex conspersione est, ut tamen non „ crescat tristitia quæ venit ex tempore " . . . Hinc imitanda medicorum ars, qui, „ cum debile corpus opprimit languor immanis, cui languori scilicet obviari adjutoriis fortibus debet, sed „ tamen corpus debile, adjutorium forte non sustinet; student, „ quatenus sic superexistentem morbum subtrahant, ut nequaquam supposita corporis debilitas crescat, ne fortasse languor „ cum vita deficiat. Si igitur medicina corporis indivise adhibita „ servire divisibiliter potest . . . cur medicina mentis una eadem- „ que prædicatione apposita, morum morbis diverso ordine obvia- „ re non valeat "? S. Greg. M.

Hortatur (a) tertio Præsules S. Pontifex, ut aliquando leviora quidem vitia relinquant, ut graviora tollant, scribens: „ Plerum- „ que dum duorum vitiorum languor irruit, hoc levius, illud fortasse gravius premit; ei nimirum vitio rectius sub celeritate sub- „ venitur, per quod festine ad interitum tenditur. Et si hoc a vi- „ cina morte restringi non potest, nisi illud etiam quod existit „ contrarium crescat; tolerandum prædicatori est, ut per exhorta- „ tionem suam artificioso moderamine unum patiatur crescere, „ quatenus possit aliud a vicina morte retinere. Quod cum agit, „ non morbum exaggerat, sed vulnerati sui, cui medicamentum „ adhibet, vitam servat, ut exquirendæ salutis congruum tempus „ inveniat. Exhortatio 3.

Ne infirmis (b) mentibus alta prædicent, Præsules hortatur scribens: „ Sciendum est prædicatori, ut auditoris sui animum ultra „ vires non trahat, ne ut ita dicam, dum plus quam valet, ten- „ ditur, mentis chorda rumpatur. Alta enim quæque debent mul- „ tis audientibus contegi, & vix paucis aperiri . . . Hinc Moy- „ ses a secreto Dei exiens, coruscantem coram populo faciem ve- „ lat: quia nimirum turbis claritatis intimæ arcana non in- „ dicat ". Exhortatio 4.

Denique prædicatores hortatur, ut plus (c) opere, quam voce prædicent, scribens: „ Prædicator quisque plus actibus quam voci- „ bus insonet, & bene vivendo vestigia sequacibus imprimat po- „ tius, quam loquendo quo gradiantur ostendat . . . Prius se per „ sublimia facta excutiat, & tunc ad bene vivendum alios sollici- „ tos reddat: prius quidquid in se inutiliter torpet, sollicita inve- „ stigatione deprehendat, districta animadversione corrigat; & „ tunc Exhortatio 5.

(a) Cap. 38. (b) Cap. 39.
(c) Cap. 40.

S. GREG. M. „ tunc demum aliorum vitam loquendo componat: prius punire „ propria fletibus curet, & tunc quæ aliorum punienda sunt denuntiet ".

Quartæ partis Analysis.

Quarta hujus saluberrimi Operis pars unico constat capite, in quo Prædicatores, Pastores, Præsules serio monet, ut cum recte omnia sua impleverint munia, ad semetipsos redeant, ne superbia extollantur ob vitæ, vel prædicationis excellentiam. Quare scribit: „ Sæpe dum prædicatio modis congruentibus ubertim „ funditur, apud semetipsum de ostensione sui occulta lætitia lo„ quentis animus sublevatur, magna cura necesse est, ut timoris „ laceratione se mordeat: ne qui aliorum vulnera medendo ad sa„ lutem revocat, ipse per negligentiam suæ salutis intumescat, ne „ proximos juvando se deserat, ne alios erigens cadat ". Hinc optime observat, quod „ Ezechiel Propheta quoties ad contemplanda „ cælestia ducitur, prius filius hominis vocatur: ac si hunc aperte „ Dominus admoneat, dicens: Ne de his quæ vides, in elatione „ cor subleves, cautus perpende quod es: ut cum summa pene„ tras, esse te hominem recognoscas, quatenus dum ultra te rape„ ris, ad temetipsum solicitus infirmitatis tuæ freno revoceris. „ Unde necesse est, ut cum virtutum nobis copia blanditur, ad in„ firma sua mentis oculus redeat, seseque salubriter deorsum pre„ mat: nec recta quæ egit, sed quæ agere neglexit, aspiciat: ut „ dum cor ex memoria infirmitatis atteritur, apud humilitatis au„ ctorem robustius in virtute solidetur ".

Denique librum humili heroicarum virtutum & honorum dissimulatione, & aperta suæ infirmitatis confessione claudit scribens: „ Ecce... dum monstrare qualis esse debeat Pastor invigilo, pul„ chrum depinxi hominem pictor fœdus; aliosque ad perfectionis „ littus dirigo, qui adhuc in delictorum fluctibus versor. Sed in „ hujus quæso vitæ naufragio orationis tuæ me tabula sustine, & „ quia pondus proprium deprimit, tui meriti manus me levet ".

In Veneta Editione subsequuntur in Ezechielem homiliæ quæ in Parisina præmittuntur. Referri solent hujusmodi homiliæ ad annum 595. Verum Parisinus Editor putat ad annum 592. pertinere, ut se ostendisse dicit in vita S. Gregorii lib. 2. cap. 4. pene certis & indubitatis argumentis. At allata ab erudito Editore nec certa esse, nec indubitata ostendit Venetus Editor clarissimus in nota ad Præfationem Parisini Editoris, ostenditque ejus chronotaxim maximas in Longobardorum historiam turbas invehere; nec bene ab ipso intellectum S. Gregorium in epistola 46. lib. 7. & 40. lib. 5. nec Paulum Diaconum lib. 4. c. 8. quorum tamen testimoniis suam fulciri opinionem arbitratur. Tota legatur erudita Nota a cupiente hac de re fusiorem notitiam assequi.

Harum homiliarum numerus est duarum supra viginti: totidem enim reperiuntur in libris tam manu exaratis, quam editis. Primo quidem in duas partitæ sunt partes in MM. SS. quarum prima duodecim complectitur, alia vero cæteras decem: in editis in unum librum omnes colliguntur; prior tamen partitio retenta

est in

S.GREG. M.

est in postremis Editionibus tum Maurina, tum Veneta. Decem secundæ partis homiliæ, nonnisi capitis 40. & quidem non integri, sed ad versiculum usque 48. explanationem complectuntur, & in fine postremæ homiliæ sic scribit: „ Nemo autem me reprehendat, si post hanc locutionem cessavero, quia, sicut omnes cernitis, nostræ tribulationes excreverunt; undique gladio circumfusi sumus, undique imminens mortis periculum timemus. Alii detruncatis ad nos manibus redeunt, alii captivi, alii interempti nuntiantur . . . Cui autem vivere non licet, de Scripturæ Sanctæ sensibus loqui mystica qualiter libet? Et qui cogor quotidie amare bibere, quomodo possum dulcia propinare? Quid igitur restat, nisi ut inter flagella quæ ex nostris iniquitatibus patimur, cum lacrymis gratias agamus "?

Has homilias misit D. Gregorius Mariano, seu, ut alii legunt, Mariniano Episcopo qui eas efflagitaverat. Stylus sublimis quidem non est, nec elegans, sed planus, facilis, prout decet conciones populo habitas. In illis litteralem quidem sensum tanquam cæterorum fundamentum primo proponit, & postea mysticos sensus rimatur, & in moralibus explicandis incumbit, accitis in subsidium tum veteris, tum novi Testamenti textibus quos suæ explicationi opportunos comperit.

Prioris homiliæ Analysis.

In prima homilia nonnulla præmittit generalia de Prophetiæ modo & tempore, & observat, prophetiam locum habere non solum de futuris, sed & de præteritis, & de præsentibus, si obscura sint. Quare scribit: „ Quæ (a) tria prophetiæ tempora verius loquimur, si ex sacræ Scripturæ testimoniis ostendamus. Prophetia de futuro est: *Ecce Virgo concipiet & pariet filium* (b). Prophetia de præterito: *In principio creavit Deus cælum & terram* (c). De illo enim tempore dixit homo, quo non erat homo. Prophetia de præsenti est, quando Paulus Apostolus dicit: *Occulta cordis ejus manifesta fiunt* (d). Quibus verbis profecto monstratur quia per hunc modum prophetiæ spiritus non prædicit quod futurum est, sed præsens narrat ". Deinde observat „ quia (e) prophetiæ tempora sibi concinunt ad probationem, ut aliquando ex futuris præterita, aliquando ex præteritis futura probentur. Dixerat Moyses: *In principio creavit Deus cælum & terram*. Sed quis crederet quia verum de præterito diceret, si de futuro etiam aliquid non dixisset? Unde de venturis dixit: *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femoribus ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium* (f). Et sic præteritis ventura promiscuit, ut dum implerentur ea quæ de futuro prædiceret, ostenderet etiam quia de præterito vera dixisset ". Ostendit deinde, varios esse modos; nam prophetiæ

(a) *Ibid. n.* 1. (b) *Isaj.* 7. 14.
(c) *Genes.* 1. 1. (d) 1. *Cor.* 14. 24.
(e) *Ibid. n.* 2. (f) *Gen.* 49. 10.

S.GREG. M. phetiæ ſpiritus nec ſemper, nec eodem modo Prophetiæ mentem tangit. Aliquando enim ex præſenti, & non ex futuro eas tangit, ut contigit Jo. Baptiſtæ, qui & humanitatem & divinitatem Chriſti agnovit, unde de illo prænuntiavit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*a*), ſed an per ſemetipſum eſſet ad inferni clauſtra deſcenſurus, dubitavit. Aliquando tangit de futuro, non vero de præſenti, ut contigit Iſaaco, qui Jacobo filio ſuo plura futura nuntiavit, & ejus præſentiam non agnovit. Aliquando tangit & ex præſenti, & ex futuro, ut factum eſt in Jacob, qui benedicturus Ephraim, & Manaſſe manus commutavit, & admonitus a Joſeph, quod non ita conveniret, quia majori debebat dexteram imponere, reſpondit: *Scio, fili mi, ſcio: & iſte quidem erit in populos, & multiplicabitur, ſed frater ejus junior major illo erit* (*b*): ubi Prophetiæ ſpiritus & ex præſenti pariter, & ex futuro prophetantis animum tetigit, dum Jacob & ventura nuntiabat, & eos quos corporeis oculis videre non poterat, ante ſe poſitos per ſpiritum diſcernebat. Proſequitur oſtendendo, mentem aliquando tangi & de præterito, & de præſenti, & de futuro (*c*): aliquando ex præterito, non ex futuro (*d*): aliquando ex futuro, non ex præterito (*e*): aliquando in præſenti etiam ſolum (*f*) ex parte; ſicut ſolum ex parte de futuro (*g*): quæ omnia, adductis ex Scriptura exemplis confirmat. Addit, aliquando Prophetas & proxima & longinqua prævidere (*h*): aliquando ſolum proxima (*i*): aliquando ſolum longinqua (*k*). Animadvertit quoque, Prophetiæ ſpiritum non ſemper Prophetis adeſſe (*l*). Contingere etiam aliquando poſſe, ut Prophetæ ex ſuo ſpiritu vaticinentur (*m*). Aſſignat denique Prophetæ veri & falſi diſcrimen (*n*). Concludit denique oſtendens, Deum etiam iratum miſereri (*o*).

Homil. 2. In ſecunda homilia quinque priores verſiculos capitis primi exponit. Et primo quidem oſtendit, Prophetis in more poſitum perſonas, loca, & tempora deſignare, priuſquam myſteria Prophetiæ revelent (*p*). Ex eo vero quod Ezechiel triceſimo anno ſpiritum prophetiæ acceperit, infert (*q*) nemini præſumendum ante maturam ætatem docere, quod confirmat exemplo Chriſti, qui ſolum 30. annis natus cœpit prædicare, cujus typus fuit laudatus Ezechiel (*r*). Oſtendit deinde, Ezechieli Verbi incarnationem fuiſſe revelatam (*s*). De

(a) *Joan.* 1. 29. (b) *Gen.* 48. 18. 19.
(c) *Ibid. n.* 8. (d) *Ibid. n.* 9.
(e) *Ibid. n.* 10. (f) *Ibid. n.* 11.
(g) *Ibid. n.* 12. (h) *Ibid. n.* 14.
(i) *Ibid. n.* 13. (k) *Ibidem.*
(l) *Ibid. n.* 15. (m) *Ibid. n.* 16.
(n) *Ibid. n.* 17. (o) *Ibid. n.* 18.
(p) *Ibid. n.* 1. (q) *Ibid. n.* 3.
(r) *Ibid. n.* 5. (s) *Ibid. n.* 7.

De Judæis vero loquens ostendit, eos magna nube involutos & obcæcatos (*a*), ex torpore ad ignorantiæ caliginem perductos (*b*); tandem ad persecutionis rabiem erupisse (*c*). Ex similitudine hominis in animalibus ab Ezechiele visis apparente, moraliter colligit, nullum sanctum (*d*) esse posse, nisi Christi referat similitudinem; & per ejus (*e*) morum similitudinem, ad ejus gloriæ similitudinem perveniri. S. GREG. M.

Quatuor sequentes versiculos, a sexto scilicet ad decimum exponit in hac homilia. Et primo a quatuor animalibus Evangelistas præfiguratos agnoscit, quorum (*f*) plenum perfectumque consensum deprædicat; & ad Christi divinitatem agnoscendam omnes pervenisse ostendit (*g*); ad eorumque fidem & contemplationem & bona opera accessisse (*h*), nec non fortitudinem cum discretione, & gravitate (*i*); in quatuor mundi partes missos dicit (*k*). Deinde Prædicatores instruens dicit, in ipsis & activam vitam & contemplativam desiderari (*l*). Sed licet utraque (*m*) „ sit ex dono „ gratiæ; quamdiu tamen inter proximos vivimus, una nobis in „ necessitate est, altera in voluntate . . . quia sine contemplativa vita intrare possunt ad cælestem patriam, qui bona quæ possunt operari, non negligunt: sine activa autem intrare non possunt, si „ negligunt bona operari quæ possunt ". Ad contemplativam tamen posse quemlibet transire etiam non relicta vita activa (*n*). Denique cum quanta humilitate ad Dei verbum pertractandum accederet, homiliam claudens ostendit (*o*). Homil. 3.

Explicat tres sequentes versiculos 10., 11., & 12. in hac homilia, in qua plura tradit moralia præcepta de continua in Deum intentione, & ad se attentione. Et primo quidem ostendit, in præfatis quatuor animalibus non Evangelistas solum, sed & ipsum præsignari Christum (*p*), qui nascendo homo, moriendo vitulus, resurgendo Leo, in cælum ascendendo aquila fuit: deinde cur homo & leo a dextris, vitulus vero a sinistris Prophetæ apparuerint (*q*). Eorum vero pennas extentas desuper dicit ad indicandum, „ quia omnis (*r*) intentio, omnisque contemplatio Sanctorum su„ per se tendit, ut illud possit adipisci, quod in cælestibus appe„ tit ". Quod vero corpus tegerent animalium, infert, amorem & spem (*s*) mentem sublevare; timorem vero & pœnitentiam corpus contegere, quo tegumento (*t*) omnes Sanctos indigere pul- Homil. 4.

(a) *Ibid. n.* 11. (b) *Ibid. n.* 12.
(c) *Ibid. n.* 13. (d) *Ibid. n.* 19.
(e) *Ibid. n.* 20. (f) *Ibid. n.* 1.
(g) *Ibid. n.* 2. (h) *Ibid. n.* 3.
(i) *Ibid. n.* 4. (k) *Ibid. n.* 7.
(l) *Ibid. n.* 9. (m) *Ibid. n.* 10.
(n) *Ibid. n.* 11. (o) *Ibid. n.* 19.
(p) *Ibid. n.* 1. (q) *Ibid. n.* 3.
(r) *Ibid. n.* 4. (s) *Ibid. n.* 5.
(t) *Ibid. n.* 6.

chre docet. Notat tamen, amoris quidem & spei unum esse objectum „ quia omnes Sancti (*a*) unam patriam appetunt, ad unum auctorem omnium pervenire festinant “; verum timoris & pœnitentiæ non unum nec idem esse objectum. „ David enim pro lapsu carnis timendo & pœnitendo affligitur. Petrus casum perfidiæ flevit amare. Paulus in se crudelitatem præteritæ persecutionis plangit “.

S. Greg. M.

Homil. 5. Explicans tres sequentes versiculos a duodecimo ad decimum quintum multa sublimiter exponit de Spiritu Sancto, ejusque in animis impulsu, motu, & inhabitatione. Exorditur autem a laude sacræ Scripturæ (*b*). Deinde ostendit, electos impetu Spiritus, improbos vero spiritu carnis rapi, & utriusque effectus describit (*c*). Monet tamen, aliquando carnalem impetum sub velamine spiritualis nobis illudere, quando scilicet (*d*) „ hoc quod juste agi creditur, sub discretionis moderamine non tenetur “: proinde graviores esse & periculosiores culpas quæ virtutem comitantur (*e*). Ostendit deinde, Spiritum Sanctum esse verum Deum (*f*); & qua ratione mobilis & stabilis sit, exponit (*g*). Stabilis quidem, quia juxta quasdam virtutes semper manet (*h*). „ In fide enim, spe, & caritate, & in bonis aliis, sine quibus ad cælestem patriam non potest perveniri, sicut est humilitas, castitas, justitia, atque misericordia, perfectorum corda non deserit. In prophetiæ vero virtute, doctrinæ facundia, miraculorum exhibitione, electis suis aliquando adest, aliquando se subtrahit. Adest, ut eleventur, & semetipsum subtrahit ut humilientur “.

Homil. 6. Exponuntur versiculi 15. 16., 17. & media pars versiculi 18. & in sacræ Scripturæ & Evangelii præsertim commendationem excurrit. Et primo quidem utilitatem exponit obscuritatis sacræ Scripturæ, „ quia (scribit) exercet sensum, ut fatigatione dilatetur, & exercitatus capiat, quod capere non posset otiosus (*i*) “: unde & perfectos pascit & infirmos (*k*). Deinde docet, parvulis satis esse Evangelium credere, dum perfecti ejus mysteria humiliter scrutantur (*l*): ex omni enim parte ædificat, sed in his maxime quæ docet de Christo, de electis ejus membris (*m*), de Apostolis, Martyribus, Pastoribus, & Doctoribus. Unum tantum dicit datum Judaico populo Testamentum, sed Christianis aliud additum, & quidem longe excellentius (*n*), quod tamen in veteris Testamenti littera latebat per allegoriam (*o*). Utrumque tamen, licet tempore divisum, sensibus tamen unitum est, „ quia quod prædicat „ Lex,

(a) *Ibid. n.* 7. (b) *Ibid. n.* 1.
(c) *Ibid. n.* 2. (d) *Ibid. n.* 3.
(e) *Ibid. n.* 4. (f) *Ibid. n.* 9.
(g) *Ibid. n.* 10. (h) *Ibid. n.* 11.
(i) *Ibid. n.* 1. (k) *Ibid. n.* 2.
(l) *Ibid. n.* 7. (m) *Ibid. n.* 8.
(n) *Ibid. n.* 10. (o) *Ibid. n.* 12.

„ Lex, hoc etiam Prophetæ; quod denuntiant Prophetæ, hoc ex- „ hibet Evangelium; quod exhibuit Evangelium, hoc prædicave- „ runt Apostoli per mundum (*a*) “. Hinc utriusque Testamenti consensus; „ quia quod designavit Testamentum vetus, hoc Testa- „ mentum novum exhibuit, . . . & utraque Testamenta ita sibi „ in Mediatore Dei & hominum congruunt, ut quod unum desi- „ gnat, hoc alterum exhibeat (*b*) “. Hinc variæ sacræ Scriptu- ræ ad corda hominum viæ: „ nam Scriptura per Legem ad corda „ hominum vadit, signando mysterium. Per Prophetas vadit pau- „ lo apertius, prophetando Dominum. Per Evangelium vadit, „ exhibendo quem prophetavit. Per Apostolos vadit, prædicando „ eum quem Pater pro nostra redemptione exhibuit (*c*) “. Animadvertit vero, novum Testamentum æternum esse, vetus vero quoad litteram mutatum (*d*). In sacra Scriptura staturam distinguit, altitudinem, & aspectum terribilem. „ In statura rectitudi- „ nem perceptionis agnoscit, in altitudine cælestis Regni promis- „ sionem: in aspectu vero terribili minas atque terrores supplicii „ sequentis; unde recta est in præceptis, alta in promissis, terri- „ bilis in minis (*e*) “. Quæ omnia & in Evangelio agnoscit, quod habet staturam: „ cum ad terrena (*f*) desideria incurvare „ nos prohibet . . . habet altitudinem, in qua creatus quisquis fi- „ lius efficitur creatoris. Habet horribilem aspectum, cum de re- „ probis loquens dicit: *Ibunt hi in supplicium æternum* (*g*) “: quod argumentum late prosequitur usque ad homiliæ finem. S. GREG. M.

Versus 18. cum quinque sequentibus exponit D. Gregorius, & multa proponit de sacræ lectionis utilitate, de caritatis officiis exhibendis, & de pœnitentia implenda. Et primo quidem observat, Prophetis familiare esse „ nunc ista, nunc illa (*h*) aspicere, & ab „ aliis in aliud subito verba derivare; quod (subdit) quisquis in „ Prophetis usum lectionis habet, quam crebro ista faciant, non „ ignorat “. Docet deinde, „ a nostro bono opere aliquando ca- „ vendum scandalum, aliquando vero pro nihilo contemnendum “. Quod confirmat exemplo Salvatoris, qui „ ne in (*i*) quorundam „ cordibus scandalum gigneretur, quod non debuit tributum dedit: „ & rursum quia generari scandalum in quorumdam cordibus con- „ tra veritatem vidit, in suo eos scandalo remanere permisit “. Quamobrem egregie monet, „ quia in quantum (*k*) sine peccato „ possumus, vitare proximorum scandalum debemus. Si autem de „ veritate scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum „ quam veritas relinquatur “. In animalibus vero & ambulantibus, & se se elevantibus Sanctos veros dicit designatos, qui ambulare Homil. 7.

(a) *Ibid. n.* 14. (b) *Ibid. n.* 15.
(c) *Ibid. n.* 16. (d) *Ibid. n.* 17.
(e) *Ibid. n.* 18. (f) *Ibid. n.* 19.
(g) *Matth.* 25. 46. (h) *Ibid. n.* 1.
(i) *Ibid. n.* 4. (k) *Ibid. n.* 5.

S. GREG. M. bulare dicuntur, quando in sacra Scriptura intelligunt, quemadmodum moraliter vivunt; elevantur vero, quando se in contemplatione suspendunt (*a*). Multiplicem vero sensum in una eademque sacra Scriptura contineri docet: „ hinc alius sola (*b*) historia pascitur, alius typicam, alius vero intelligentiam per typum contem„ plativam quærit. Et fit plerumque, ut in una eademque senten„ tia, cuncta simul tria valeant inveniri ". Mirum proinde non est, si sacra Scriptura spiritualem vitam, & virtutum semina serit: „ quia per sacra eloquia (*c*) dono spiritus vivificamur, ut „ mortifera a nobis opera repellamus ". Zelum excitat (*d*), patientiam docet (*e*), ad studium prædicationis accendit (*f*), & ad pœnitentiam compungit (*g*) . . . & „ quæsita (*h*) sacra le„ ctio talis invenitur, qualis & sit ipse a quo quæritur. Ad a„ ctivam enim vitam profecisti? Ambulat tecum. Ad immobili„ tatem atque constantiam spiritus profecisti? Stat tecum. Ad „ contemplativam vitam per Dei gratiam pervenisti? Volat tecum. „ Hinc sacra Scriptura, inquit, in tenebris vitæ præsentis facta est „ lumen itineris . . . obscurum tamen, nisi hoc nostris mentibus „ veritas illustret ". Explicans vero moraliter verba illa Ezechielis: *Pennæ eorum rectæ alterius ad alterum*, scribit: „ tunc virtu„ tum (*i*) pennas rectas esse, quando bonum quod alter habet, „ hoc alteri impendit: ut qui terrenam substantiam accepit, indi„ gentis proximi inopiam sublevet: qui doctrinæ gratia plenus est, „ ignorantis proximi tenebras verbo suæ prædicationis illustret. Sic „ tamen (*k*) debemus virtutes quas accepimus aliis impendere, ut „ ea in quibus peccavimus, non desinamus caute cogitare, & rea„ tum nostrum quotidie per timorem & pœnitentiam plangere ". Unde egregie concludit: „ Qui & (*l*) sua deflent, & virtutum „ pennas ad proximos in exemplum tendunt, proculdubio perfecti „ sunt ".

Homil. 8. Reliquos hujus capitis versiculos usque ad finem cum initio sequentis explicans D. Gregorius multa præclare disserit de Christi divinitate, ejus incarnatione & prædicatione, nec non de ejus Ecclesiæ multiplicatione, unitate, congregatione. Exorditur itaque ostendens, post Christi prædicationem Sanctorum numerum mirum in modum excrevisse, scribens: „ Postquam Christi prædicatio in „ mundo diffusa (*m*) est, quanti jam parvuli, quanti graviores, quanti „ fortes juvenes, quanti imbecilles, quantæ conversæ peccatrices, „ quantæ anus virgines per fidem, per spem, per amorem ad „ cælestia evolant, quis dicere, quis æstimare sufficiat "? Horum mentes

(a) *Ibid. n.* 8. (b) *Ibid. n.* 10.
(c) *Ibid. n.* 11. (d) *Ibidem.*
(e) *Ibid. n.* 12. (f) *Ibid. n.* 13.
(g) *Ibid. n.* 14. (h) *Ibid. n.* 16.
(i) *Ibid. n.* 21. (k) *Ibid. n.* 22.
(l) *Ibid. n.* 23. (m) *Ibid. n.* 1.

mentes Deus implet amore cælesti, & exaudit impletas (*a*). Observat (*b*), in Scripturis Deum aliquando dici nuncupative, ut cum dicitur: *Diis non detrahes* (*c*), idest Sacerdotibus: aliquando essentialiter, sicut ipse ad Moysem dicit: *Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob* (*d*). „ Unde Paulus Apostolus volens nuncupativum Dei nomen ab essentiali discernere, de Redemptore nostro locutus est, dicens: *Quorum Patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula* (*e*) “. De Ecclesia vero loquens, eam castrorum aciem appellat (*f*), quia „ ita constipata, ut semper uniti fideles atque constricti nunquam interrupti per discordiam inveniantur “; nam ut subdit, „ omnis virtus sine caritate non solum hosti non erit formidabilis (*g*), sed & in laqueum fit (*h*) “. In Ecclesiæ tamen castris plures esse pugnantium ordines dicit (*i*). Alia enim sunt castra prædicantium . . . alia continentium . . . alia bonorum conjugatorum. In solo tamen Christo ex omnibus hominibus Deus pater sibi complacuit, quia nullam in eo culpam invenit (*k*). Qui sub angelis natus est, tamen super angelos exaltatus (*l*): & in quo utriusque naturæ divinæ & humanæ facta est conjunctio inconfuse tamen & inseparabiliter (*m*). Et sic qui per divinam naturam Angelis notus erat, per assumptam humanam hominibus innotuit (*n*). S.GREG. M.

Secundum caput explanat, in qua expositione plurima de gratiæ necessitate, de liberi arbitrii consensu & cooperatione, nec non de Scripturæ interpretatione luculenter edisserit. Et primo quidem exponit, quomodo Propheta, qui timore & reverentia perculsus in terram ceciderat, erectus est, & jussus stare super pedes suos, unde infert necessitatem gratiæ, ut bonum velimus, & perficiamus. Scribit enim: „ Surgere (*o*) omnino non posset, nisi in hunc omnipotentis Dei Spiritus intrasset; quia ex omnipotentis Dei gratia ad bona opera conari quidem possumus, sed hæc implere non possumus, si ipse non adjuvat qui jubet “. Hinc merito infert: „ Mala nostra solummodo nostra sunt; bona autem nostra, & omnipotentis Dei sunt, & nostra . . . Præveniente ergo gratia, & bona voluntate subsequente, hoc quod omnipotentis Dei donum est, fit meritum nostrum “. Conversionis vero modum dicit talem esse, ut Deus prius homines terrendo dejiciat, postea erigat: demum erectos gratia sua roboret, & confirmet (*p*). Homil. 2.

 Hinc

(a) *Ibid. n.* 2. (b) *Ibid. n.* 3.
(c) *Exod.* 22. 28. (d) *Ibid.* 3. 6.
(e) *Rom.* 9. 5. (f) *Ibid. n.* 6.
(g) *Ibid. n.* 7. (h) *Ibid. n.* 8.
(i) *Ibid. n.* 10. (k) *Ibid. n.* 21.
(l) *Ibid. n.* 23. (m) *Ibid. n.* 25.
(n) *Ibid. n.* 28. (o) *Ibid. n.* 21
(p) *Ibid. n.* 3.

S. GREG. M. Hinc animadvertit, quod „ adhuc in infirmitatis (a) confusione jacentibus præberi non debet auctoritas prædicationis. Sed cum „ jam in bono opere surgimus, cum jam recti stare cœperimus, „ dignum est ut ad lucrandos alios in prædicationem mitti debeamus (b) “.

Inter apostatas enumerat non solum a fide recedentes, sed etiam a bono opere, scribens: „ Sicut (c) duobus modis a Deo receditur, ita duobus modis a Deo apostatæ homines fiunt. Nam „ unusquisque a Conditore suo aut fide recedit, aut opere. Sicut „ ergo qui a fide recedit, apostata est; ita qui ad perversum opus „ quod deseruerat, redit, ab omnipotente Deo apostata absque ulla dubietate reputatur, etiamsi fidem retinere videatur “.

Explicans Prophetæ verba: *Si forte vel ipsi audiant*, Romanæ urbis infelicem statum describit dicens: „ Nobis (d) hoc nobis „ hoc aperte dicitur, qui afflicti, obsessi, conclusi, omnia quæ in „ hoc mundo habuimus bona perdidimus. Urbes erutas, eversa „ castra, depopulatos agros, suffossas Ecclesias videmus: & tamen adhuc parentes nostros ad iniquitates sequimur, ab eorum „ elatione quam vidimus, non mutamur. Et illi quidem inter „ gaudia, nos vero, quod est gravius, inter flagella peccamus “.

Docet, alios admonenti adesse debere, si quidem superior est, humilem auctoritatem (e); si vero inferior, liberam humilitatem; nam quandoque sub auctoritate superbia, & humanus timor sub humilitate se palliant, unde subdit: „ Discernenda (f) semper sunt „ libertas & superbia, humilitas & timor, ne aut timor humilitatem, aut superbia se libertatem fingat “. Quamobrem recte subdit: „ In (g) omne quod de nobis dicitur, semper taciti recurrere ad mentem debemus, interiorem testem, & judicem quærere. Quid enim prodest si omnes laudent, cum conscientia accuset? Aut quid poterit obesse, si omnes nobis derogent, & „ conscientia sola nos defendat “?

Detrahentium nobis linguas aliquando despiciendas docet, aliquando compescendas, scribens: „ Linguas (h) detrahentium sicut „ nostro studio non debemus excitare ne ipsi pereant, ita per suam „ malitiam excitatas debemus æquanimiter tolerare, ut nobis meritum crescat: aliquando autem etiam compescere, ne dum de „ nobis mala disseminant, eorum qui audire nos ad bona poterant, „ corda innocentium corrumpant “.

Illis qui privatæ gloriæ non tanguntur amore, concessum esse potest, ut suas virtutes prædicent. Sed eos, ut monet, „ aut (i) „ proximorum utilitas, aut certe nimia necessitas cogat “. Quod exem-

(a) *Ibid. n.* 4. (b) *Ibid. n.* 4.
(c) *Ibid. n.* 6. (d) *Ibid. n.* 9.
(e) *Ibid. n.* 12. (f) *Ibid. n.* 13.
(g) *Ibid. n.* 15. (h) *Ibid. n.* 17.
(i) *Ibid. n.* 19. 20.

exemplo confirmat Apoſtoli ad Corinthios, cum virtutes ſuas enumeraſſet ſcribentis: *Factus ſum inſipiens, vos me coegiſtis* (*a*). Subverſores vero, qui a fide & opere alios ſubvertunt (*b*), ut regnum quod ipſi appetere non volunt, nec alter aſſequatur, aſſimilat ſcorpionibus, qui palpando incedunt, ſed cauda feriunt, nec mordent a facie, ſed a poſterioribus nocent: & apibus, quia loquendo dulcedinem mellis proponunt, ſed occulte feriendo vulnus inferunt: & igni in ſpinis, quia per flammas detrahentium non juſtorum vita comburitur, ſed ſi quæ in eis eſſe poterant peccatorum ſpinæ concremantur. S.Greg. M.

Sacram Scripturam deſignatam dicit in libello involuto, & expanſo conm Ezechiele, ſcribens: „ Per librum (*c*) quem accepit, „ Scripturæ ſacræ paginæ deſignantur. Liber autem involutus, „ eſt Scrbturæ Sacræ eloquium obſcurum, quod profunditate ſen„ tentiarum involvitur, ut non facile ſenſu omnium penetretur. „ Sed coram Propheta liber expanditur, quia coram prædicatori„ bus ſaci eloquii obſcuritas aperitur “. Eſt autem liber ſcriptus intus & foris: „ intus per allegoriam, foris per hiſtoriam & præ„ cepta moralia (*d*) “. Denique homiliam claudens monet, ad verba ſacræ Scripturæ evigilandum, ut mala quæ egiſſe meminimus, fletibus puniamus, ut per lamenta pœnitentiæ perveniamus ad carmen viæ (*e*).

Priores quindecim verſiculos capitis tertii explicandos aſſumit D. Gregorius in hac homilia, in qua iterum ſacræ Scripturæ aſſiduam lectionem, meditationem, prædicationem inculcat. Et primo quidem obſerat, ſacram Scripturam & magnis & parvulis loqui (*f*). In ea & potum haberi, & cibum; in obſcurioribus quidem cibus, in apertioribus vero potus (*g*). Illa proinde nos Deus cibat; „ ſed hoc ipſum ſumere (ſcribit), noſtrarum virium non „ eſt, niſi ipſe cibaverit, qui ut comedatur juſſit (*h*) “: proinde a ſacra lectione nonnulli jejuni adhuc ſunt, „ quia etſi venter co„ medit, viſcera (*i*) non replentur: quia etſi mente intellectum „ ſacri verbi percipiunt, obliviſcendo & non ſervando quæ audie„ rint, hæc in cordis viſceribus non reponunt. Qui vero ſacræ „ doctrinæ cibo pingueſcunt, alios quoque ſuaviter paſcunt (*k*); „ dummodo tamen Dei verba, non ſua loquantur, ideſt, ut ex„ ponit, non auditoribus placere, ſed caritatis ædificationem re„ quirant (*l*) “. Homil. 10.

Per attritam frontem deſignari dicit in Scripturis impudentiam, quam inducit culpa frequens, vel etiam morum ſæcularium conſuetu-

(a) 2. *Corinth.* 12. 11. (b) *Ibid. n.* 21.
(c) *Ibid. n.* 29. (d) *Ibid. n.* 30.
(e) *Ibid.* 34. 35. (f) *Ibid. n.* 1.
(g) *Ibid. n.* 3. (h) *Ibid. n.* 5.
(i) *Ibid. n.* 7. (k) *Ibid. n.* 12.
(l) *Ibid. n.* 14.

suetudinem (*a*), & de bono opere erubescentem (*b*). Præsules proinde monet, ut a correptione non cessent propter delinquentium superbiam vel humilitatem (*c*); nec peccatorum vultus formident (*d*); nec animo despondeant, licet non audiantur, dum peccantes corripiunt (*e*).

S. GREG. M.

In peccatoribus formidandam dicit securitatem, per quam quieti in peccatis jacent (*f*): utilis proinde illis commotio (*g*), qua incipiant cognoscere quæ sint supplicia æterna, quam subtilis examinatio de singulis quibusque peccatis, unde contremiscant, & impleantur gemitibus. Et sic qui prius fuerant Dæmonum receptacula per culpam, cum sibimetipsis irati per pœnitentiam redeunt ad vitam, gloriæ Domini locus fiunt (*h*).

Sancti se invicem ad profectum accendunt, in quibus a Deo divisiones gratiarum sunt, ut in eis foveatur humilitas (*i*); & alter alterum reveritus sibi vilescat. Sic Paulus Apostolus miratus aliorum Apostolorum innocentiam, suam præcedentem malitam humiliter confessus est; & S. Petrus miratus in Paulo sapientam illum commendavit (*k*).

Animadvertit, nonnullos esse in Ecclesia Dei quos Spiritus quidem elevat, nec tamen assumit, „ quorum videlicet intellectus „ ad spiritualia (*l*) emicat, sed tamen vita in factis canalibus re- „ manens, intellectui non concordat. Balaam namque pr prophe- „ tiæ spiritum elevatus erat, sed assumptus non erat: quia & ve- „ raciter potuit longe post futura prospicere, & tamen a terrenis „ desideriis mentem noluit separare “.

Homil. II. Quinque subsequentes versiculos ejusdem capitis 3. exponit in hac homilia, in qua de officio pastorali, nec non de connexis prælatorum & subditorum criminibus, ac de mentis obcæcatione differit. Et primo quidem in Sacra Scriptura, & præsertim Prophetarum libris sicut aliquando verbis res, ita aliquando verba rebus exponuntur, ut eorum non solum dicta, sed etim res gestæ prophetiæ sint. Unde acervum novarum frugum (*m*) designare dicit illos, qui ex Judæis & Gentilibus in Christo credidere.

Deinde de prædicatoribus loquens ostendit, quod si libenter audiri velint, auditoribus compatiantur (*n*); & bene loqui noverint, si noverint benefacere (*o*): & cum sint speculatores facti, non debent in imo jacere, sed in altitudine stare, ut longe prospiciant (*p*): immo & eorum vita alta esse debet, & circumspecta; alta

(a) *Ibid. n.* 16. (b) *Ibid. n.* 17.
(c) *Ibid. n.* 18. (d) *Ibid. n.* 19.
(e) *Ibid. n.* 23. (f) *Ibid. n.* 27.
(g) *Ibid. n.* 28. (h) *Ibid. n.* 29.
(i) *Ibid. n.* 32. (k) *Ibid. n.* 33.
(l) *Ibid. n.* 42. (m) *Ibid. n.* 1.
(n) *Ibid. n.* 2. (o) *Ibid. n.* 3.
(p) *Ibid. n.* 4.

alta quidem, ne terrenarum rerum amore succumbat; & circumspecta, ne occultis hostis jaculis feriatur (*a*); & ardeant ipsi prius, ut alios succendere valeant; sint in loquendo & arguendo discreti; & prius aures Deo aperiant, quam os populo (*b*): prius ad fidem populos erudiant, deinde ad piam vitam hortentur (*c*): cogitent quid loquantur (*d*), & quibus loquantur (*e*): quando loqui debeant (*f*), & qualiter (*g*), & quantum (*h*): attendant quid sit in loquendo periculosius (*i*): & quomodo alii leviter, alii asperius sint arguendi; eapropter aliquando prius laudent, & postmodum reprehendant ad modum periti medici, qui prius diu vulnus palpat, postea secat (*k*). Quod confirmat exemplo Pauli, qui prius laudat Corinthios, postea reprehendit, & in Galatas vehementer invehitur; nam mentes duriores, nisi sint aperta increpatione percussæ, nullo modo malum cognoscunt, quod egerunt (*l*). Justos quoque (*m*) monere debent, unde prædicator egregius D. Paulus dicebat: *Sapientibus, & insipientibus debitor sum* (*n*). S.GREG. M.

De peccatis vero loquens animadvertit, quod peccatum quod per pœnitentiam non deletur, & peccatum est, & causa peccati: peccatum quidem in se; causa vero peccati, quia ex illo oritur „ unde (*o*) adhuc peccatoris animus altius obligetur. Aliquando est „ simul peccatum & pœna peccati, quia excrescente cæcitate, ex „ retributione prioris culpæ generatur, ut quasi jam quædam sint „ in peccatore supplicia, ipsa incrementa vitiorum. Aliquando „ simul peccatum est, & causa peccati, & pœna peccati, ut cum „ quis rem proximi concupiscit, quam quia aperte non valet, „ furto diripit, sed in furti accusatione positus, se hanc diripuisse „ jurejurando denegat. Huic ergo concupiscentia peccatum fuit „ & causa peccati, quia per eam pervenit ad rapinam . . . Sed „ quia furtum perjurio tegere curavit, ex peccato rursum peccatum genuit “. Hinc ex peccatis obcæcationem oriri docet, per quam „ in peccatum rursum a Deo (*p*) impellitur, non quidem ad peccatum premendo, sed a peccato liberare nolendo, „ sicut obdurare dicitur, cum ab obduratione non liberat “.

Denique homiliam claudit ostendendo, quantum Pastoribus etiam vigilantioribus sit formidandum, ne terrenæ cogitationes in eorum cordibus crescant (*q*): sunt enim variis cogitationibus & motibus obnoxii (*r*). Lugere debent cum lugentibus, gaudere cum gau-

(a) *Ibid. n.* 7. (b) *Ibid. n.* 8.
(c) *Ibid. n.* 11. (d) *Ibid. n.* 12.
(e) *Ibid. n.* 13. (f) *Ibid. n.* 14.
(g) *Ibid. n.* 15. (h) *Ibid. n.* 16.
(i) *Ibid. n.* 17. (k) *Ibid. n.* 18.
(l) *Ibid. n.* 20. (m) *Ibid. n.* 22.
(n) *Rom.* 1. 14. (o) *Ibid. n.* 24.
(p) *Ibid. n.* 25. (q) *Ibid. n.* 26.
(r) *Ibid. n.* 27.

S. GREG. M.

gaudentibus, & vestimenta mutare, ideſt varios mentis habitus induere (*a*).

Homil. 12.

Cæteros explicat capitis tertii verſiculos, & quatuor priores ſequentis capitis 4. in hac homilia, in qua varia præcepta utilia prædicatoribus & auditoribus verbi Dei tradit. Exorditur itaque a vocatione Gentium ad fidem, quibus revelata fuit gloria Dei Judæis prius cognita (*b*). „ Verum Evangelii prædicatio a Judaico „ populo ablata, in latitudinem gentium ſparſa eſt. Sed tamen „ in fine mundi dum Judæi ad fidem redeunt, in ſuo populo rur- „ ſus prædicatio inhabitabit. Proinde Antichriſti tempore ab eis „ gentibus quæ in infidelitate remanſerint, plebs converſa Judæo- „ rum, duris perſecutionibus anguſtatur “.

Prædicatores deinde monet, ut ſi ad prædicationem exeunt, ad ſe poſtea redeant, „ quatenus in his quæ dicunt, quales etiam ipſi ſint, intra conſcientiam agnoſcant (*c*). Et ut ab elatione caveant (*d*), & de ſua infirmitate humiliter gemant (*e*). Quando tacere debeant, docet (*f*); & quando rebelles veritati premere (*g*).

Oſtendit etiam, qua ratione Prædicatoribus Deus loquendi donum aut concedat, aut ſubtrahat. „ Nam (ſcribit) aliquando (*h*) „ propter malos auditores tollitur ſermo doctoribus. Aliquando „ propter bonos auditores datur ſermo doctoribus etiam malis “. Cum vero datur, ad docentium, & audientium profectum maxime tribuitur. Duplici aure, corporis ſcilicet, & cordis Dei verbum audiendum monet. „ Quidam (*i*) enim verbum audientes non „ audiunt: quoniam aurem ad ſacrum eloquium ponunt, ſed cor „ a mundi deſideriis non evellunt “. Prædicatorum zelus, licet eos cruciet, neceſſarius tamen eſt, & utilis: „ Nam (ſcribit) „ ſpiritalis zelus (*k*) doctoris animam frigit; quia valde cruciatur „ dum infirmos quoſque æterna deſerere, & rebus temporalibus „ delectari conſpicit. Nullum (*l*) tamen omnipotenti Deo tale „ eſt ſacrificium, quale eſt zelus animarum, nec ſacrificium ſo- „ lum, ſed & holocauſtum. Simila in ſartagine eſt munda mens „ juſti in zeli ſpiritalis afflictione, quæ per ſolicitudinem anima- „ rum frigitur, & non ſolum ſacrificium, ſed etiam holocau- „ ſtum Domino eſſe deputatur “. Animadvertit tamen eſſe caritate & humilitate condiendum (*m*), & timore ac vigilantia muniendum (*n*).

Pars altera Homiliar. in Ezechielem.

Cum totam Ezechielis Prophetiam ſe explanare non poſſe animadver-

(a) *Ibid. n.* 28. (b) *Ibid. n.* 1. & 2.
(c) *Ibid. n.* 10. (d) *Ibid. n.* 12.
(e) *Ibid. n.* 13. (f) *Ibidem*.
(g) *Ibid. n.* 14. (h) *Ibid. n.* 16.
(i) *Ibid. n.* 19. (k) *Ibid. n.* 29.
(l) *Ibid. n.* 30. (m) *Ibid. n.* 31.
(n) *Ibid. n.* 32.

adverteret D. Gregorius, a capite 4. ad 40. transiliit, explanaturus extremam illam visionem Prophetæ ostensam de ædificio in monte constituto, quam præ cunctis aliis visionibus obscuriorem esse fatetur. Cujus explanationem adhuc difficiliorem sibi reddi scribit, „ quod jam (a) Agilulphum Langobardorum Regem ad obsidio- „ nem nostram summopere festinantem, Padum transisse cogno- „ vimus. Unde pensate . . . . in caliginosis ac mysticis sensibus „ penetrare quid valeat meus misera, timoris sui perturbationibus „ occupata ". S.GREG. M.

In prima itaque homilia tres priores versiculos, & partem quarti explanare aggreditur, & multa de Christo, & Ecclesia, nec non de electis, & de occultis Dei judiciis late proponit. Primo itaque tempus statuit habitæ a Propheta visionis, anno scilicet vigesimo quinto captivitatis suæ Babylonicæ (b). Deinde monet, „ ea quæ accipi in Sacra Scriptura secundum (c) historiam „ non possunt, plerumque spiritaliter esse intelligenda; ut fides ha- „ beatur in veritate historiæ, & spiritalis intelligentia capiatur de „ mysteriis allegoriæ ". Homil. 1.

Per montem excelsum, in quo erat quasi ædificium civitatis, designatum dicit „ Christum Jesum Mediatorem Dei & hominum „ (d); unde & recte mons super verticem montium dicitur; quia „ excelsus ex divinitate sua inventus est, etiam super cacumina „ Sanctorum. Est autem (e) totius ædificii fundamentum: nam „ omne pondus fabricæ fundamentum portat, quia mores simul o- „ mnium solus Redemptor noster tolerat . . . Portat fundamen- „ tum lapides, & a lapidibus non portatur; quia Redemptor no- „ ster omnia nostra tolerat, sed in ipso malum non fuit quod tole- „ rari debuisset . . . qui formam servi accipiens (f), fragilitatem „ carnis humanæ per resurrectionis suæ gloriam vertit in æternita- „ tem, quia in eo caro facta est sine fine durabilis ". Prædicare aliis jubet, ut cum Paulum Apostolum per apparentem virum Macedonem admonere dignatus est, ut Macedoniam adiret prædicationis gratia: & aliquando volentes prædicare prohibet, ut cum „ volentes Apostolos ad prædicandum ire in Asiam non permisit spi- „ ritus Jesu (g) ". Similiter invitos aliquando trahit, aliquando volentes sequi repellit (h). Christum ex parte visibilem dicit, scilicet per incarnationem, ex parte invisibilem ob divinitatem (i). Idcirco vero incarnatus, & visibilis factus est, „ ut nos ad spiri- „ tuale ædificium, idest ad sanctæ Ecclesiæ fidem introduceret (k) ". Denique sic homiliam claudit: „ Nos itaque (l) fratres carissimi, „ qui

(a) *In Prologo*. (b) *Ibid. n.* 1.
(c) *Ibid. n.* 3. (d) *Ibid. n.* 4.
(e) *Ibid. n.* 5. (f) *Ibid. n.* 9.
(g) *Ibid. n.* 12. (h) *Ibid. n.* 13.
(i) *Ibid. n.* 15. (k) *Ibid. n.* 16.
(l) *Ibid. n.* 18.

S. GREG. M. „ qui jam per Redemptoris nostri mortem ac resurrectionem, atque ad cælos ascensionem gaudia æterna didicimus . . . in hoc „ sanctæ Ecclesiæ ædificio stantes oculos in porta teneamus: demus „ terga mentis huic corruptioni vitæ temporalis, intendamus cordis faciem ad cælestis patriæ libertatem ".

Homil. 2. Quartum & quintum exponit versiculum capitis 40. in qua expositione multa habet de utriusque vitæ activæ & contemplativæ statu & perfectione, & abunde moralia spargit documenta (*a*). Et primo quidem hanc explanationem non temeritate, sed humilitate duce se aggredi humillime confitetur, & plerumque multa in sacro eloquio, quæ solus intelligere non poterat, coram fratribus positum Deo donante intellexisse, ut sciret ex quorum merito intellectus daretur. Deinde ostendit (*b*), quantum carnales oculi a spiritualibus discrepent: illi enim nonnisi visibilia cernunt, isti invisibilia. Monet tamen ut qui contemplationi oculos aperit, & ad superna contemplanda elevatur (*c*), semper propriæ memor sit infirmitatis, quia eapropter Deus eum tentationibus fatigari permittit. Qui vero ad spiritualia (*d*) intelligenda proficit, meminerit & cæteris quæ intellexerit communicare.

Activæ vero vitæ officia describens dicit ad eam pertinere „ panem esurienti (*e*) tribuere, verbum sapientiæ nescientem doce„ re, errantem corrigere, ad humilitatis viam superbientem pro„ ximum revocare, infirmantis curam gerere, quæ singulis quibusque „ expediant dispensare, & commissis nobis qualiter subsistere va„ leant providere ". Contemplativæ vero vitæ munia sic describit: „ Ad eam pertinet caritatem quidem Dei & proximi tota „ mente retinere, sed ab exteriori actione quiescere, soli desiderio „ conditoris inhærere, ut nihil jam agere libeat, sed calcatis curis „ omnibus, ad videndam faciem sui Creatoris animus inardescat... „ noverit carnis corruptibilis pondus cum mœrore portare, totisque „ desideriis appetere illis hymnidicis Angelorum choris interesse, „ admisceri cælestibus civibus, de æterna in conspectu Dei incor„ ruptione gaudere ". Utramque vero vitam per Mariam & Martham designatam dicit, nec non per Liam, & Rachelem (*f*).

Duplicis vero hujus vitæ ordinem dicit esse, „ ut ab (*g*) acti„ va in contemplativam tendatur: ita tamen plerumque a con„ templativa animus ad activam reflectitur, ut per hoc quod con„ templativa mentem accenderit, perfectius activa teneatur ". Esse vero dicit in contemplativa vita magnam mentis contentionem (*h*), sed & magnum profectum, quia Deus per contemplationem cognitus, omnem in nobis carnis voluptatem arefacit. Contemplativæ vitæ dulcedinem valde amabilem esse, quæ super semetipsam animam rapit, cælestia aperit, terrena esse debere contem-

(a) *Ibid. n.* 1. (b) *Ibid. n.* 2.
(c) *Ibid. n.* 3. (d) *Ibid. n.* 4.
(e) *Ibid. n.* 8. (f) *Ibid. n.* 9. & 10.
(g) *Ibid. n.* 11. (h) *Ibid. n.* 12. 13.

temptui ostendit, & spiritualia mentis oculis patefacit, & corporalia abscondit. Et licet (*a*) quamdiu in hac mortali carne vivitur, nullus ita in contemplatione proficiat, ut in ipso jam incircumscripto luminis radio mentis oculos infigere valeat, nihilominus quiddam speculatur anima, unde & refota proficiat, & post ad visionis ejus gloriam pertingat. S.GREG. M.

In trium sequentium versiculorum 6. 7. & 8. explicatione, D. Gregorius Ecclesiæ ædificium ex justis utriusque Testamenti constructum describit. Et primo quidem ostendit, Christum nobis factum januam Regni cælestis, quia *nemo venit ad Patrem, nisi per me* (*b*). Virtutes autem gradus esse dicit, per quos ad hanc portam ascendimus. Harum vero virtutum aliud sunt exordia, aliud provectus, aliud perfectio (*c*); & per hos gradus Petrum crevisse ostendit (*d*). Hujus autem spiritualis portæ limen illos designat antiquos Patres, ex quorum progenie Dominus incarnari dignatus est (*e*). Partes autem ædificii, idest Ecclesiæ, dicit etiam esse minus perfectas, modo timoris, & amoris fundamento sustineantur (*f*). Coalescit vero, & una est ex utriusque Testamenti justis: nam prioris Testamenti electi „ sicut nos in præterita passio„ ne Redemptoris nostri, ita illi per fidem in eadem ventura sunt „ salvati (*g*)". Veterum vero justorum exempla nobis prodesse plurimum ostendit, quia dum eos fortiter egisse cognoscimus, & ipsi ad fortitudinem bonæ operationis accingimur, & Sanctorum exemplorum flamma animus legentis inceditur (*h*). Est autem in Ecclesia turris cum propugnaculis ædificata, „ quia in Scriptura „ Sacra, & sub (*i*) miraculis patrum a jaculis adversitatis abs„ condimur, & conversationis sanctæ munimina etiam in manu o„ peris tenemus". Homil. 3.

Nonum versiculum & sequentes usque ad duodecimum explicat, & morales, atque allegoricos ex illis sensus depromit in hac homilia. Et statim in principio per interius vestibulum designatam dicit æternæ vitæ latitudinem, quæ modo inter angustias vitæ præsentis jam per spem mente concipitur (*k*). Ad illam perveniri docet per duplicem caritatem, Dei scilicet & proximi: quæ diversitates mentium accendit, concremat, conflat, & quasi in unam auri speciem reformat (*l*). Veteris vero Testamenti Patres amore Trinitatis accensos dicit; „ neque enim Deum dilige„ rent, si ejusdem Trinitatis, quæ Deus est, gratiam non acce„ pissent". Hinc eadem fuit in antiquis patribus, & in novis doctoribus fides, spes, caritas (*m*); & fides quidem in Mediatorem, Homil. 4.

(a) *Ibid. n.* 14. (b) *Ibid. n.* 1.
(c) *Ibid. n.* 3. 4. (d) *Ibid. n.* 6.
(e) *Ibid. n.* 7. (f) *Ibid. n.* 13.
(g) *Ibid. n.* 16. (h) *Ibid. n.* 19.
(i) *Ibid. n.* 23. (k) *Ibid. n.* 1.
(l) *Ibid. n.* 3. (m) *Ibid. n.* 4.

S.GREG. M. rem, & una spes, quia eamdem sperabat quietis æternæ retributionem. Disparem tamen dicit fuisse in antiquis Patribus doctrinæ cælestis cognitionem; nam per incrementa temporum crevit scientia spiritualium Patrum. Plus namque Moyses quam Abraham, plus Prophetæ quam Moyses, plus Apostoli quam Prophetæ in omnipotentis Dei scientia eruditi sunt (*a*). Novum testamentum veteri præcellere ostendit. Nam in veteri fœdere fidem Trinitatis licet aliqui obtinuerunt, eam tamen minime prædicarunt: at in novo omnibus Christianis innotuit (*b*). Et quia cuncta quæ de Christo prænuntiata sunt in veteri Testamento, in novo Testamento opere completa cognoscimus, „ ut quæ intelligi audita non poterant, visa panderentur. Ibi quippe incarnatio, ibi passio, ibi „ mors, ibi resurrectio, ibi ascensio illius continentur (*c*) ". Et per incarnationem Verbi plurima sunt nobis collata beneficia. „ Caro enim factus est, ut nos spirituales faceret: benigne inclinatus „ est, ut levaret: exiit ut introduceret: visibilis apparuit, ut invisibilia monstraret: flagella pertulit, ut sanaret: opprobria & „ irrisiones sustinuit, ut ab opprobrio æterno liberaret: mortuus „ est, ut vivificaret (*d*) ".

Homil. 5. Postremam duodecimi versiculi partem, & subsequentes usque ad decimum septimum versum exponit, atque multa de contemplatione depromit. Et primo quidem ostendit, ex fidelibus alios, „ omnipotentem Deum ita amare, ut & in opere perfecti sint, & „ in contemplatione suspensi . . . quidam vero omnipotentem quidem Deum diligunt, & perfecte in bonis operibus exercentur; „ sed tamen contemplari ejus magnitudinem subtiliori intellectu nesciunt (*e*) ". In contemplatione deinde varios gradus designat. „ Primus, ut se ad se colligat mens nostra (*f*). Secundus, ut videat qualis est collecta. Tertius, ut supra semetipsam surgat, „ ac se contemplationi auctoris invisibilis intendendo subjiciat ". Contemplationi ineptos dicit, qui adhuc exteriora immoderatius cogitant; nam quæ sint de æterno lumine rimæ contemplationis ignorant. Est etiam necessaria humilitas ad contemplationem obtinendam (*g*). Nunquam tamen contemplatio fuit ulli fidelium conditioni denegata: „ non enim solis summis datur, & minimis „ non datur, sed sæpe eam summi, sæpe minimi, sæpius remoti, „ aliquando etiam conjugati recipiunt (*h*) ": Immo & illi, qui despecti humanis oculis apud se sapientiæ studiis vacant, & ad cælestia anhelant (*i*). In contemplatione vero multa cogitationibus circumeundo proficimus, sicut exempla bonorum sæpe quærimus, ut in moribus proficiamus (*k*).

Homi-

(a) *Ibid. n.* 12. (b) *Ibid. n.* 10. 11.
(c) *Ibid. n.* 19. (d) *Ibid.* 20.
(e) *Ibid. n.* 1. (f) *Ibid. n.* 9.
(g) *Ibid. n.* 18. (h) *Ibid. n.* 19.
(i) *Ibid. n.* 20. (k) *Ibid. n.* 21.

Homiliam denique claudit ostendendo, miracula non esse certa sanctitatis argumenta (*a*); nam „ mira agere, virtutes multas facere, leprosos mundare, dæmonia ejicere, tactu ægritudines „ corporum fugare, prophetiæ spiritu ventura cuncta prædicere: „ necdum palmæ sunt, sed adhuc pictura palmarum: nam hæc „ aliquando dantur & reprobis „. Discrimen vero inter miracula a Sanctis & reprobis patrata hic assignat: „ quia quod electi ex „ caritate, hoc reprobi student agere per elationem. S.Greg. M.

Tres sequentes versus explicantur in hac homilia, in qua quanta in Christianis, ac præsertim in Apostolis perfectio eluxerit, declarat. Primo itaque dicit, in contemplatione ea videri, quæ verbis exprimi non possunt: in scientia vero ea tantum contineri, quæ lingua valet exprimere (*b*). Scientiæ vero discrimen a sapientia in eo assignat, quod „ qui per donum gratiæ & ipsa intelligunt, quæ „ exponi a doctoribus non audierunt: hi sermonem sapientiæ perceperunt... Qui vero per semetipsos intelligere audita nequeunt, „ sed ea quæ in expositoribus legerint, retinent, . . . hi nonnisi „ sermone scientiæ pleni sunt (*c*) „. Hinc subdit, illam ad mores, hanc ad doctrinam pertinere. Homil. 6.

Prædicatores designatos dicit in portis ex sculptis lapidibus compositis: „ quia (scribit) hi per quorum (*d*) nos vocem ad vitam æternam ingredimur, sancta opera, quæ divinitus præcepta „ sunt, dum in semetipsis ostenderent, quasi in se sculpta tenuerunt. „ Portæ etenim non sculptæ, sed puræ essent, si vocem quidem „ promerent, sed sancta in se opera non demonstrarent „. Hinc deducit, & auditores ex prædicatorum doctrina, & prædicatores ex auditorum vita proficere, quia „ doctores boni (*e*) in sanctæ eruditionis verbis modo fomentis dulcedinis, modo asperitate increpationis invigilant, ut auditorum suorum vitam a vitiis defendant, & sæpe ipsi doctores cum bonorum auditorum vitam „ considerant, eamque profecisse suis exhortationibus pensant, erubescunt tales non esse, quales auctore Deo per se conspiciunt „ alios factos esse „.

Apostolorum deinde præstantiam prædicat. In Paulo obsistente fortitudinem, & in Petro reprehensorem laudante summam modestiam miratur (*f*): unde primus in Apostolatus culmine, prior fuit & in humilitate. Nec eos audiendos dicit, qui alium quam Petrum Apostolum a Paulo correptum fingunt (*g*); sicut nec illos, qui secundam ejus epistolam, in qua epistolæ D. Pauli laudantur, ipsi abjudicant (*h*). Postea Pauli celebrat mansuetudinem (*i*), qua Corinthios ad misericordiam perduxit (*k*). S. quoque

(a) *Ibid. n.* 22. (b) *Ibib. n.* 1.
(c) *Ibid. n.* 2. (d) *Ibid. n.* 4.
(e) *Ibid. n.* 6. (f) *Ibid. n.* 9.
(g) *Ibid. n.* 10. (h) *Ibid. n.* 11.
(i) *Ibid. n.* 12. (k) *Ibid. n.* 13.

S. GREG. M. que Stephanum laudat, qui zelo ita fervebat, ut eis a quibus tenebatur (*a*) perfidiæ ſuæ improperia fiducialiter diceret, & ſic ſimul diligeret, ut in morte quoque pro eis, a quibus moriebatur, oraret.

Plura deinde intermiſcet de fidei a contemplatione diſcrimine (*b*): de divitum indigentia in copia rerum: de hypocritarum irritis laboribus (*c*): de infuſa Dei miſericordia in Gentiles (*d*): & denique homiliam claudit malorum Romæ & Italiæ deſcriptione (*e*): & obſervat Romanos, qui totum orbem prius deprædati fuerant, ipſos poſtmodum in prædam gentibus datos eſſe (*f*).

Homil. 7. Explanat morali ſenſu ſeptem ſubſequentes verſiculos, ideſt a 20. uſque ad 27. multaque exponit de Spiritus Sancti donis, & de gradibus ad ea ducentibus, nec non de vera perfectione, bonorumque operum neceſſitate. Primo itaque obſervat, in Sacra Scriptura unum eumdemque ſermonem non ſemper rem eamdem ſignificare, quod exemplo comprobat, ſcribens: „ Aliquando (*g*) ſol in „ bono, aliquando vero accipitur in malo. Solis etenim nomine „ aliquando ipſe Redemptor noſter ſignatur, aliquando perſecutio. „ In priori ſenſu ſumitur, cum dicitur: *Sol juſtitiæ non illuxit no-* „ *bis* (*h*): in altero vero, cum dicitur de jactis ſeminibus: *Orto ſole* „ *aruerunt* (*i*): quia videlicet facta perſecutione in reproborum „ cordibus prædicationis verba ſiccantur ". Quod confirmat nomine *Leo*, quod & ad Chriſtum ſignificandum adhibetur, cum dicitur: *Vicit Leo de tribu Juda* (*k*); & diaboli ſimilitudo exhibetur, cum dicitur: *Adverſarius veſter diabolus, ſicut leo rugiens, circuit quærens quem devoret* (*l*).

Poſtea Paſtores monet, ut ſedulo ſuas oves inſpiciant, & conſiderent vel quantum in longitudinem ſpei, vel quantum in latitudinem caritatis ex ejus inſtructione proficiant (*m*): plus exemplis, quam ratiocinationis verbis compungant.

Per ſeptem gradus, per quos ad portam aſcendebatur, deſignatam dicit ſeptiformem gratiam, qua aditus nobis vitæ cæleſtis aperitur. Sunt autem dona Spiritus Sancti, ut ab Iſaja enumerantur, ſapientia, intellectus, conſilium, fortitudo, ſcientia, pietas, & timor Domini, „ quæ tamen enumerata dicit deſcendendo magis quam „ aſcendendo. Nam a timore ad ſapientiam aſcenditur, non au- „ tem a ſapientia ad timorem reditur (*n*) ". Monet tamen, quod niſi prius humilitatem habuerit, ad hos gradus donorum ſpiritualium

(a) *Ibid. n.* 14. (b) *Ibid. n.* 16.
(c) *Ibid. n.* 17. (d) *Ibid. n.* 21.
(e) *Ibid. n.* 22. (f) *Ibid. n.* 23.
(g) *Ibid. n.* 1. (h) *Sap.* 5. 6.
(i) *Matth.* 13. 6. (k) *Apoc.* 5. 5.
(l) 1. *Pet.* 5. 8. (m) *Ibid. n.* 2.
(n) *Ibid. n.* 7.

lium non ascendit (*a*); sicut & fides est prævia ad illa necessaria, „ quia prius ad fidem venimus (*b*), ut postmodum per spiritualium donorum gradus cælestis vitæ aditum intremus. Non enim „ per virtutes venitur ad fidem, sed per fidem pertingitur ad virtutes „; & sine fide bona opera esse non possunt: per hæc tamen in fide proficimus. Sed ad perfectionem nonnisi studio & contentione ascendimus, ad quam consequendam, „ qui curis hujus „ mundi inserviunt, minime sunt expediti (*c*) „. Immo aliquando evenit plurimis, „ ut cum se (*d*) viderint magno cælestis gratiæ munere compunctos, jam se perfectos existiment, & obedientes putent; sed quia nullus est qui dura præcipiat, patientes esse se credunt, sed quia nemo eos per contumelias & adversitates pulsat, & plerumque contingit, ut spiritale ministerium vel inviti suscipiant, atque ad gubernationem fidelium deducantur. Qui cum magnis tribulationibus fuerint hinc inde pulsati, turbati mente, sese imperfectos inveniunt, qui non pulsati, perfectos se esse crediderunt „. S.GREG. M.

De bonis vero operibus loquens, iterum repetit, bona opera signis esse præstantiora, & in ipsis aliquando alacriores esse pœnitentes ipsis innocentibus (*e*). Monet etiam, ut „ nostris mentibus „ adsit in adversis fiducia, & in prosperis timor; ne aut adversa „ in desperationem pertrahant, aut prospera animum in sua fiducia extollant (*f*). Ars est aliqua (scribit) humiliari (*g*), „ & abundare, satiari & esurire, quæ toto nobis cordis est adnisu discenda „.

Docet etiam „ abundantiam (*h*) superbiæ vicinam esse; quam „ si quando etiam cupiditas intercepit, hanc, ut ita dixerim, quasi „ peregrina captivitas invasit. Si igitur abundandi artem scire volumus, necesse est, ut non solum ea quæ vicina sunt, sed ea etiam quæ de longinquo veniunt, vitia fugiamus „. Observat tamen, quod in via brevi, magna est nobis in hoc itinere socia „ paupertas, quæ animum non angustat, cui deest terrena substantia, de qua æterno judici rationes ponamus „. Denique homiliam claudit monens, „ ut iram atque avaritiam (*i*) in adversitate fugientes, & elationem & immoderata gaudia in prosperitate „ declinantes, per fidem, spem, atque caritatem, interioris vitæ „ atrium tribus portis intrare concupiscamus „.

Undecim sequentes versiculos exponit D. Gregorius in hac octava homilia, alios quidem breviter, alios fusius, pluresque intermiscet morales doctrinas, & dogma de carnis resurrectione propugnat. Et primo quidem breviter percurrit priores versiculos, quia in- Homil. 8.

(a) *Ibid. n.* 8. (b) *Ibid. n.* 9.
(c) *Ibid. n.* 11. (d) *Ibid. n.* 12.
(e) *Ibid. n.* 14. (f) *Ibid. n.* 15.
(g) *Ibid. n.* 16. (h) *Ibid. n.* 18.
(i) *Ibid. n.* 20.

S. GREG. M. inquit: „ Ea in tribus (*a*) portis interioribus replicantur secundo „ jam, vel tertio de exterioribus dicta quæ sunt. Pauca vero in „ earum descriptione permutantur. Unde necesse est ea nos, quæ „ jam dicta sunt, legendo transcurrere, ut ea, quæ necdum dicta „ sunt, licentius possimus enodare „. Deinde observat per portas exteriores designatos „ antiquos (*b*) patres fuisse qui per præce- „ pta legis noverant opera populi magis quam corda custodire; „ interiores vero portas prædicatores sanctæ Ecclesiæ, qui spiri- „ tualibus monitis discipulorum corda custodiunt „. Designant & „ Apostolos, qui nos fidem, spem, atque caritatem summopere „ tenere docuerunt (*c*), qui portæ exteriores sunt, cum inchoan- „ tibus nobis non alta & mystica, sed quædam quæ capi possunt, „ prædicant: interiores vero cum perfectis profunda & mystica lo- „ quuntur „.

De resurrectione vero mortuorum loquens primo dolet, „ quos- „ dam in Ecclesia (*d*) stare & de carnis resurrectione dubitare, „ quam tamen antiqui Patres venturam esse certissime crediderunt, „ etiam cum nullum adhuc ejusdem resurrectionis exemplum tene- „ rent „. Catholicam veritatem deinde confirmat utriusque Te- stamenti testimoniis (*e*), & exemplis rerum corporalium, ac præ- sertim hominis generatione (*f*). Addit & multa esse in huma- nis rebus, quæ qualiter sint, non intelliguntur, & tamen esse ne- mo dubitat (*g*). Unde optime infert, adeo certam esse resurre- ctionem, ut citra ejus fidem frustra cætera credantur (*h*).

Ad verbi divini bonos auditores sermonem convertens, docet „ eos esse, qui (*i*) quasi quædam vestibula portarum æternæ spei „ longanimitatem tenent, & octavum diem in Trinitatis fide su- „ stinent. Quæ Trinitas quia unus est Deus, octo quidem per „ tria ducunt, sed in unius Dei confessione solidantur „. Hi autem ex dictis & operibus Sanctorum Patrum sunt erudien- di (*k*).

Qui vero „ se per fidem (*l*) in conversatione sancta Domino de- „ voverunt, holocaustum Domino facti sunt. Sed quia adhuc multa „ in se de corruptibili sua carne patiuntur; quia adhuc in eis cor- „ dis munditia sordidis cogitationibus inquinatur, quotidie ad la- „ crymas redeunt, assiduis fletibus affliguntur „. Hinc observat, „ quia sunt quidam (*m*) qui etiam sæculum relinquentes, totum „ quidem quod habent, offerunt, sed tamen in bonis quæ agunt, „ minime compunguntur: & quidem bonum, quod agunt, holo- „ caustum est; sed quia flere ac semetipsos dijudicare nesciunt, se-

„ que

(a) *Ibid. n.* 1. (b) *Ibid. n.* 2.
(c) *Ibid. n.* 3. (d) *Ibid. n.* 6.
(e) *Ibid. n.* 7. (f) *Ibid. n.* 8.
(g) *Ibid. n.* 9. (h) *Ibid. n.* 10.
(i) *Ibid. n.* 11. (k) *Ibid. n.* 14.
(l) *Ibid. n.* 15. (m) *Ibid. n.* 17.

„ que ex amore ad lacrymas non accendunt, perfectum eorum ho-
„ locaustum non est . . . Holocaustum quippe siccum, est bonum S.GREG. M.
„ opus quod orationis lacrymæ non infundunt. Holocaustum au-
„ tem pingue est, quando hoc quod bene agitur, corde humili et-
„ iam per lacrymas irrigatur ".

In fonte patente de quo Ezechiel dicit: *Erit fons patens domus David . . . in ablutionem peccatorum & menstruatæ* (*a*), designatum dicit Christum (*b*), in quo fonte sunt loti & David & Maria Magdalena, & Petrus, & Latro (*c*). Et denique homiliam claudit pœnitentium torporem increpando (*d*).

Versiculos 39. & sequentes usque ad 43. exponit D. Gregorius, Homil. 9. eorumque delibato tantum literali sensu, ad morales, & spirituales sensus digreditur, & officium Pastoris explicat. Et primo quidem prophetiæ Ezechielis Prophetæ literalem sensum obscurum esse profitetur (*e*); proinde ad spiritualem digreditur, & iterum per portam exteriorem vetus Testamentum, per interiorem vero novum designatum dicit (*f*). Quia „ Lex eadem (*g*) sub timore mortis „ frigida Judaici populi corda constrinxit . . . . Unde novis populis præmia amantibus, non autem temporalia tormenta timentibus atque jam calentibus dicitur: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis in quo clamamus Abba Pater* (*h*).

Quatuor regentium ordines agnoscit tum in Ecclesia, tum in Synagoga. In priori quidem (*i*) dicit esse Apostolos, Prophetas, Evangelistas, Pastores, & Doctores. Pastores autem unum regentium ordinem constituunt, „ quia gregem Dei veraciter pascit qui „ docet ". In posteriori vero numerat Sacerdotes, Seniores, Scribas, & Pharisæos (*k*).

Plura sequuntur monita prædicatoribus data, & primo quidem „ ut tacita (*l*) cogitatione perscrutentur, si faciunt quod loquuntur; nam si secus faciunt, sui vastatores sunt, cultores alieni. „ Secundo ut patientes sint: tanto quisque doctus ostenditur, „ quanto patiens fuerit; unde & currus & auriga dicitur Prædicator. Currus, quia mala sustinet: auriga, quia populum bonis „ admonitionibus exercet ". Tertio caveant, ne (*m*) vanam gloriam aucupantes rem magnam vili pretio vendant, sed advertant ex auditorum plausu sibi periculum imminere, „ quia in magnitudine favoris flamma in corde accenditur de amore laudis ". Deus vero internas cogitationes, & intentiones cordis (*n*) discernit.

(a) *Zachar.* 13. 1. (b) *Ibid. n.* 20.
(c) *Ibid. n.* 21. (d) *Ibid. n.* 22.
(e) *Ibid. n.* 1. (f) *Ibid. n.* 2.
(g) *Ibid. n.* 4. (h) *Rom.* 8. 15.
(i) *Ibid. n.* 6. (k) *Ibid. n.* 7.
(l) *Ibid. n.* 15. (m) *Ibid. n.* 16.
(n) *Ibid. c.* 17.

[redacted] nit. Quarto monet, ut in docendo regulam teneant. Sæpe enim S. GREG. M. (*a*) contingit, ut disciplinæ regulam, quam „ scit dicere, nesciat „ tenere . . . tanta quippe debet esse discretio, ut nec disciplina „ nimia, nec misericordia sit remissa: ne si inordinate culpa di- „ mittitur, is qui est culpabilis, in reatu gravius adstringatur: & „ rursus si culpa immoderate retinetur, tanto qui corrigitur, dete- „ rior fiat, quanto erga se nil ex benignitatis gratia agi conside- „ rat “. Hujus discretionis exempla exhibet in Joseph Jacobi filio, qui in fratres sæviit, sed cruciando amavit, & in suæ iræ specie latebat misericordia (*b*). Denique homiliam claudit, eos hortans, ut quos (*c*) sua prædicatione converterint, pascant postea sanctæ doctrinæ pabulo; & ita Christum imitentur, qui turbas postquam prædicatione instruxit, cibo corporali refocillavit.

Homil. 10. Hac homilia totum opus absolvit expositione quatuor versiculorum a 44. ad 48. multaque promit de fide, spe, caritate, & bonis operibus. Et primo quidem dicit, literalem sensum esse spirituali præmittendum, sed subdit: „ Si latens (*d*) in litera spiri- „ tualis medulla discutitur, per hoc scintillæ intellectus exeunt, & „ incendunt quod prius cordis auribus frigidum sonabat “. Proinde in sequentibus literalem sensum transcurrit, ut in morali immoretur.

Duplicem distinguit fidelium vitam, & duplex sacrificium, scribens: „ Sancta (*e*) Ecclesia duas vitas habet: unam quam tem- „ poraliter ducit, aliam quam in æternum recipit. Unam qua „ laborat in terra, aliam qua remuneratur in cælo. Unam qua „ mercedes colligit, aliam vero in qua jam de receptis mercedi- „ bus gaudet, atque in utraque vita offert sacrificium. Hic vide- „ licet sacrificium compunctionis, & illic sacrificium laudis “. In hac autem vita peccator „ misericordiam (*f*) Domini, qua pec- „ cata laxantur, cantare debet, idest hanc cum gaudio dicere atque „ sperare “. Sancti vero inter fidem & spem positi sanctæ caritatis ignibus exardescunt (*g*), ut calor amoris eos liberet a culpa torporis & frigoris. Hoc calore quasi meridiani fervoris ardebat David dum dicebat: *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus* (*h*).

Exponens autem quinam sint Sacerdotes, qui templum custodiunt, scribit: „ Qui itaque (*i*) Sacerdotes sunt qui templum „ Dei custodiunt, nisi qui orando, prædicando, spiritalibus actibus „ vigilando, sanctam Ecclesiam a malignorum spirituum immissio- „ nibus, a pravorum suasionibus, ab hæreticorum erroribus defen- „ dunt “?

(a) *Ibid. n.* 18. (b) *Ibid. n.* 19.
(c) *Ibid. n.* 22. (d) *Ibid. n.* 2.
(e) *Ibid. n.* 4. (f) *Ibid. n.* 6.
(g) *Ibid. n.* 9. (h) *Psal.* 41. 2.
(i) *Ibid. n.* 12.

„ dunt ". Minoris vero ordinis Sacerdotes illos dicit „ qui ad „ ministerium (*a*) altaris excubant, qui videlicet in adjutorium „ majorum, peccata delinquentium subtiliter investigant, & vitam „ carnalium corrigunt ". Priores vero „ solis studiis (*b*) spiri„ tualibus occupati, semper in his quæ amoris Dei sunt, solicite „ intendunt: posteriores vero minoris ordinis, qui discutiendis pec„ catis delinquentium præsunt . . . eos verbis correptionis usque „ ad pœnitentiæ gemitus perducunt ". Monet autem utrosque Ministros, ut ita Deo ministrent, „ ne legendo (*c*), aut prædican„ do gloriam propriam quærant, & largiendo quæ habent, & cor„ pus in abstinentia macerando, laudes recipere ab hominibus ap„ perant, & sic sibi, non Domino ministrent ".

S. GREG. M.

De fide vero, spe, caritate, & bonis operibus sic scribit: „ Fi„ dem (*d*), spem, caritatem, atque operationem, quamdiu in hac „ vita vivimus, æquales sibi esse apud nosmetipsos invenimus. Id„ circo autem major spe & fide caritas dicitur; quia postquam „ ad auctoris nostri speciem pervenitur, spes quidem & fides tran„ sit, sed caritas permanet. Nam nunc & quantum credimus, „ tantum amamus, & quantum amamus, tantum de spe præsu„ mimus. De fide quoque & operatione Joannes Apostolus fate„ tur dicens: *Qui se dicit nosse Deum, & mandata ejus non cu„ stodit, mendax est* (*e*). Notitia quippe Dei ad fidem pertinet, „ mandatorum custodia ad operationem ".

De cardinalibus vero virtutibus, quibus præsertim constat spirituale ædificium, sic scribit: „ Mensuretur (*f*) perfectorum fidelium „ vita per quadrum; & tantum habeat spiritalis atrii latus unum, „ quantum latera singula; quia unusquisque tantum prudens est, „ quantum temperans, fortis, & justus: tantum temperans, quan„ tum prudens, fortis & justus; tantum fortis, quantum prudens, „ temperans, justus; tantum justus, quantum prudens, temperans, „ & fortis fuerit ".

Denique homiliam claudit, cur ab expositione cesset, rationem reddens, unde scribit: „ Si post (*g*) hanc locutionem cessavero, „ nemo me reprehendat: quia sicut omnes cernitis, nostræ tribu„ lationes excreverunt . . . & cogor linguam ab expositione reti„ nere: *Quia tædet animam meam vitæ meæ*. Jam nullus a me „ sacri eloquii studium requirat: *Quia versa in luctum cithara „ mea, & organum meum in vocem flentium* ".

Paulus Diaconus in vita S. Gregorii lib. 2. c. 18. sic narrat: „ Stationes per Basilicas vel Beatorum Martyrum cœmeteria, se„ cundum quod hactenus plebs Romana quasi eo vivente certa„ tim discurrit, sollicitus ordinavit; per quas & ipse simul discur-

Homiliæ S. Gregorii in Evangelia.

I 3 „ rens,

(a) *Ibid. n.* 13. (b) *Ibid. n.* 14.
(c) *Ibid. n.* 16. (d) *Ibid. n.* 17.
(e) 1. *Joan.* 2. 4. (f) *Ibid. n.* 18.
(g) *Ibid. n.* 24.

S. GREG. M. „ rens, dum adhuc eloqui prævaleret, viginti homilias coram Ecclesia diverso tempore declamavit: reliquas vero ejusdem numeri „ dictavit quidem, sed lassescente stomacho languore continuo, a- „ liis pronunciandas commisit “. Hæ itaque sunt homiliæ, quæ hic exhibentur. Porro summo plausu a Romana plebe exceptæ fuere, & a pluribus exscriptæ, sed, ut ipse scribit ad Secundinum, „ antequam ad propositum modum ea quæ dixerim, subtili emen- „ datione perducerem, transtulerunt. Eapropter, (ut subdit) „ easdem homilias, eo quo dictæ sunt ordine, in duobus codicibus „ ponere curavi; ut & priores viginti, quæ dictatæ sunt, & po- „ steriores totidem, quæ sub oculis dictæ, in singulis essent di- „ stinctæ corporibus “. Illud etiam notandum ex Maurinis Editoribus, illas Evangeliorum lectiones, quæ a Gregorio hic exponuntur, & inter sacra Missarum solemnia certis diebus jam tunc ex more legebantur, easdem esse, quæ & nostris quoque temporibus fere iisdem diebus recitantur: unde patet quam tenax sit suorum rituum Ecclesia Romana. Si qua vero facta est mutatio in Dominicis Adventus, hæc Amanuensium oscitantia factum credimus, qui secundam pro prima, & tertiam pro secunda collocarunt. In Editione Maurina & Veneta in folio hæ homiliæ in primo Tomo habentur; at in alia pariter Veneta Editione in quarto habentur Tomo 5. In duos partitæ sunt libros juxta factam a S. Pontifice divisionem, ut mox diximus. Ex his pauca delibabimus.

Libri primi Homil. 1. Prima homilia habita est in Basilica S. Petri Apostoli Dominica secunda Adventus. In ea dicit, Salvatorem nostrum senectutis mundi mala denuntiare, ut nos ab ejus amore compescat (*a*). Vicinum vero esse extremum judicium ex signis colligit, proinde ejus expectationem nos ad timorem & vigilantiam compellere debere (*b*); quamvis de fine mundi exhilarantur corda justorum, quia dum finitur mundus, cujus amici non sunt, prope fit eis redemptio quam quærunt (*c*).

Homil. 2. Habita est secunda homilia in Basilica pariter S. Petri Dominica in Quinquagesima, in qua exponit caput 18. S. Lucæ a versiculo 31. ad 43. ubi narratur facta Apostolis revelatio a Christo de sua futura passione, & visus cæco Jericunthino restitutus. In hoc itaque cæco signatum dicit genus humanum, „ quod in (*d*) parente „ primo a paradisi gaudiis expulsum, claritatem supernæ lucis i- „ gnorans, damnationis suæ tenebras patitur: sed tamen per Re- „ demptoris sui præsentiam illuminatur; ut æternæ lucis gaudia „ jam per desiderium videat, atque in vita viæ boni operis gres- „ sus ponat (*e*) . . . Ideo autem cæcum interrogat: *Quid tibi* „ *vis faciam?* licet qui lumen reddere poterat, quid vellet cæcus „ non

(a) *Ibid. n.* 1. (b) *Ibid. n.* 2.
(c) *Ibid. n.* 3. (d) *Ibid. n.* 1.
(e) *Ibid. n.* 7.

„ non ignoraret: quia peti vult id, quod & nos petere, & se „ concedere praenoscit ". S.GREG. M.

Habita est haec homilia ad Populum in Basilica Sanctae Felicitatis Martyris in die natali ejus; & explicandum sumit Evangelii S. Matthaei caput 12. a versu 46. usque ad 50. ubi sermo habetur de Matre, & fratribus Jesum quaerentibus. Sanctae Martyris elogium texit ostendens, quomodo „ quae credendo (*a*) extitit ancilla „ Christi, & praedicando facta est Mater Christi ". Sic vero ejus fortitudinem extollit: „ Considerate . . . in foemineo corpore vi„ rile pectus. Ad mortem stetit imperterrita. Amittere se in „ filiis lumen veritatis timuit, si non fuisset orbata. Numquid „ ergo hanc foeminam martyrem dixerim? Sed plus quam mar„ tyrem . . . quae septem pignoribus ad regnum praemissis, ad „ poenas prima venit, sed pervenit octava. Aspexit mater & „ cruciata & imperterrita filiorum mortem, spei gaudium adhibuit „ dolori naturae. Timuit viventibus, gavisa est morientibus. O„ ptavit nullum post se relinquere, ne si quem haberet supersti„ tem, non posset habere consortem ". Homil. 3.

Habita est haec homilia ad populum in Basilica S. Stephani Martyris de Apostolis. Exponit autem Evangelium S. Matthaei cap. 10. v. 5. usque ad 10. ubi sermo habetur de missione Apostolorum ad oves quae perierunt domus Israel, non vero ad Gentiles & Samaritanos. Et primo quidem rationem quaerit, cur prius ad Judaeos mitterentur Apostoli, deinde ad Gentes, scribens: „ Prius soli Judaeae (*b*) voluit, & postmodum cunctis Gentibus „ praedicari: ut dum illa converti vocata renueret, praedicatores „ sancti ad vocationem Gentium per ordinem venirent: quatenus „ Redemptoris nostri praedicatio a propriis repulsa, Gentiles po„ pulos quasi extraneos quaereret: & quod Judaeis fiebat in testi„ monium, hoc Gentibus esset incrementum ". Additam autem dicit Discipulis potestatem patrandi miracula (*c*) „ ut fidem ver„ bis daret virtus ostensa, & nova facerent, qui nova praedica„ rent . . . & ad salutem redeuntibus infirmis, ad vitam resur„ gentibus mortuis, carnis munditiam recipientibus leprosis, ere„ ptis a jure immundorum spirituum daemoniacis, tot visibilibus „ miraculis exactis, quis non crederet quod de invisibilibus audi„ ret "? Jubet autem illis, ut quae gratis acciperent, gratis darent, „ quia praesciebat (*d*) nonnullos hoc ipsum donum accepti „ Spiritus in usum negotiationis inflectere, & miraculorum signa „ ad avaritiae obsequium declinare ". Hinc varias expendit simoniae species, ab obsequio, a manu, a lingua, & concludit: „ Qui „ sacros ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, „ quando in divinis rebus, non solum nullam pecuniam, sed et„ iam humanam gratiam non requirit ". Homil. 4.

I 4 Habita

(a) *Ibid. n.* 3. (b) *Ibid. n.* 4.
(c) *Ibid. n.* 3. (d) *Ibid. n.* 4.

S. GREG. M. Homil. 5. Habita eſt quinta homilia ad populum in Baſilica B. Andreæ Apoſtoli in ejus natali. Exponitur autem Evangelium S. Matthæi cap. 4. a verſu 18. ad 22. ubi narratur vocatio Petri & Andreæ ad ſequelam Domini. Et primo quidem alacritatem oſtendit horum duorum diſcipulorum, „ qui licet (*a*) nulla Chriſtum „ facere miracula vidiſſent, & nihil ab eo de præmio æternæ re„ tributionis audiſſent: tamen ad unum Domini præceptum, hoc „ quod poſſidere videbantur, obliti ſunt “. Hinc infert a terrenis relinquendis penſandum potius affectum quam cenſum (*b*): & quod nihil offerri Deo ditius poteſt, quam bona voluntas (*c*). Sed hoc bonæ voluntatis ſacrificium nunquam plene perſolvitur, niſi mundi hujus cupiditas plane deſeratur (*d*).

Homil. 6. Habita eſt hæc 6. homilia ad populum in Baſilica SS. Marcellini & Petri Dominica 3. Adventus, & explicat caput 11. S. Matthæi a verſ. 2. uſque ad 10. in quo narratur, S. Præcurſorem duos miſiſſe ex diſcipulis ſuis ut Chriſtum interrogarent: *Tu es qui venturus es, an alium exſpectamus?* Et primo quidem oſtendit, Præcurſorem in carcere poſitum non miſiſſe diſcipulos ad Chriſtum interrogandum tanquam ſi ignoraret „ quem digito oſtenderat (*e*) „ dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, & „ quem ipſum prophetando, baptizando, & oſtendendo clamave„ rat . . . Sed quærit, ut ſciat ſi is, qui per ſe in mundum ve„ nerat, per ſe etiam ad inferni clauſtra deſcendat. Quem enim „ præcurrens mundo nuntiaverat, hunc moriendo & ad inferos præ„ currebat . . . Ac ſi aperte dicat: Qui pro hominibus naſci di„ gnatus es, an etiam pro hominibus mori digneris, inſinua; ut „ qui nativitatis tuæ præcurſor exstiti, mortis etiam præcurſor „ fiam, & venturum inferno te nuntiem, quem jam veniſſe mun„ do nuntiavi “. Cur autem Chriſtus Joannem plus quam Prophetam dixerit, exponit ſcribens: „ Prophetæ miniſterium (*f*) „ eſt, ventura prædicere, non etiam demonſtrare. Joannes ergo „ plus quam Propheta eſt, quia eum quem præcurrendo prophe„ taverat, etiam oſtendendo monſtrabat “.

Homil. 7. Habita eſt ſeptima homilia ad populum in Baſilica S. Petri Apoſtoli Dominica 4. Adventus ad exponendum S. Joannis Evangelium cap. 1. a verſu 19. ad 28. in quo humilis reſponſio narratur data a Præcurſore Sacerdotibus & Levitis ſibi a Judæis miſſis, ut eum interrogarent: *Tu quis es?* Et primo humilitatem Joannis commendat, „ qui elegit (*g*) ſolide ſubſiſtere in ſe, ne humana „ opinione raperetur inaniter ſuper ſe “. Deinde obſervat, quod „ nolens appetere nomen Chriſti, factus eſt membrum Chriſti: „ quia dum infirmitatem ſuam humiliter ſtuduit agnoſcere, illius „ celſi-

(a) *Ibid. n.* 1. (b) *Ibid. n.* 2.
(c) *Ibid. n.* 3. (d) *Ibid. n.* 4.
(e) *Ibid. n.* 1. (f) *Ibid. n.* 5.
(g) *Ibid. n.* 1.

„ celsitudinem meruit veraciter obtinere ". Addit, negando se Eliam esse, non contradixisse Christo, qui dixerat: *Joannes ipse est Elias*: „ quia quod Dominus fatetur de spiritu, hoc Joannes „ denegat de Persona. Joannes igitur in spiritu Elias erat, in „ persona Elias non erat ". Sicut nec a veritate discessit, quando dixit se non esse Prophetam, „ quia videlicet (*a*) non solum „ poterat Redemptorem prædicare, sed etiam demonstrare: unde „ quisnam sit, continuo exprimit, dum subjungit: *Ego vox cla-* „ *mantis in deserto* ". S.GREG. M.

Habita est octava homilia in Basilica B. Mariæ Virginis ad populum in die Natalis Domini exponens Evangelium S. Lucæ cap. 2. a versu 1. ad 14. in quo Christi nativitas narratur. Et primo quidem morem Ecclesiæ celebrandi eo die tres Missas exponit: proinde se a longiori habendo sermone præpediri dicit. Deinde subdit: „ Ideo nascituro Domino mundus describitur, ut per „ hoc aperte monstraretur (*b*), quia ille veniebat in carne, qui „ electos suos adscriberet in æternitate . . . Non in parentum do- „ mo, sed in via nasci voluisse, ut ostenderet quia per humani- „ tatem suam quam assumpserat, quasi in alieno nascebatur ". Præterea observat, ante Christi nativitatem Angelos, cum ab hominibus adorarentur, tacuisse, & postmodum adorari refugisse: „ quia (*c*) naturam nostram, quam prius despexerant, postquam hanc „ super se assumptam conspiciunt, substratam sibi videre pertime- „ scunt ". Homil. 8.

Habita hæc nona homilia in Basilica S. Sylvestri in die natali ejus, explicans parabolam de talentis a Domino proficiscentibus traditis servis suis. Et primo quidem observat, eos qui plus (*d*) in hoc mundo accepisse cernuntur ab Auctore Mundi, gravius inde judicandos: „ cum enim augentur dona, rationes etiam cre- „ scunt donorum ". Deinde Dominum talenta partitum servis suis esse dicit „ Redemptorem nostrum, qui fidelibus suis spi- „ ritualia dona concessit . . . Ille autem acceptum talentum in „ terra abscondisse dicitur, qui acceptum ingenium in terrenis a- „ ctibus implicavit, lucrum spirituale non quæsivit, & cor a ter- „ renis cogitationibus nunquam levavit ". Homil. 9.

Inanem & vanam ostendit inutilis servi excusationem, qui „ du- „ rum dominum vocat (*e*), cui tamen ad lucrum deservire dissi- „ mulat, & timuisse se dicit in lucrum talentum expendere, qui „ hoc solum timere debuerat, ne hoc sine lucro ad dominum re- „ portaret ". Varia vero talenta omnibus distributa dicit; quia „ alius accepit (*f*) intelligentiam, & hic prædicationis ministe- „ rium debet ex talento. Alius terrenam substantiam accepit, & „ hic erogationem talenti debet ex rebus. Alius . . . didicit ar-

„ tem

(a) *Ibid. n.* 2. (b) *Ibid. n.* 1.
(c) *Ibid. n.* 2. (d) *Ibid. n.* 1.
(e) *Ibid. n.* 3. (f) *Ibid. n.* 7.

S. Greg. M. „ tem qua pascitur, ipsa ars ei in talenti acceptione reputatur. „ Alius . . . familiaritatis locum apud divitem meruit, & hic „ profecto talentum familiaritatis accepit . . . Habens ergo intel- „ lectum, curet omnino ne taceat; habens rerum affluentiam, vi- „ gilet, ne a misericordiæ largitate torpescat: habens artem qua „ regitur, magnopere studeat, ut usum atque utilitatem illius cum „ proximo partiatur: habens loquendi locum apud divitem, da- „ mnationem pro retento talento timeat, si cum valet, non apud „ eum pro pauperibus intercedit ".

Homil. 10. Habita homilia decima ad populum in Basilica S. Petri Apostoli in die Epiphaniæ; in Evangelio vero adventus Magorum ad Christum adorandum narratur. Et primo quidem breviter Evangelium exponit (a). Deinde Judaicorum cordium deplorat duritiam, qui Christum nec per prophetiæ donum, nec per miracula agnovere. Immo „ Dominum quem (b) omnia insensibilia elementa „ senserunt, adhuc Deum esse minime cognoscunt, & duriora sa- „ xis, scindi ad pœnitendum nolunt . . . Immo ad damnationis „ suæ cumulum, eum quem natum despiciunt, nasciturum longe „ ante præsciverunt. Et non solum quia nasceretur, noverant, „ sed etiam ubi nasceretur. Nam ab Herode requisiti, locum „ nativitatis ejus exprimunt, quem Scripturæ auctoritate didice- „ runt ". Deinde Priscillianistarum hæresim confutat, qui nasci „ (c) unumquemque hominem sub constitutionibus stellarum puta- „ bant: & hoc in adjutorium sui erroris assumunt quod nova stel- „ la apparuit, cum Dominus in carne exiit . . . . Sed a fidelium „ cordibus absit, ut aliquid esse fatum dicant. Vitam quippe ho- „ minum solus hanc Conditor qui creavit, administrat. Neque „ enim propter stellas homo, sed stellæ propter hominem factæ „ sunt ".

Homil. 11. Habita ad Populum homilia undecima in Basilica S. Agnetis in die natali ejus, de parabola thesauri in agro absconditi. In ea laudes celebrat S. Martyris scribens: „ Erectus in virtutis (d) „ culmine animus tormenta despexit, præmia calcavit. Ante ar- „ matos reges & præsides ducta stetit, feriente robustior, judicante „ sublimior ". Deinde Ecclesiam dicit sagenæ assimilatam, „ quia „ & (e) piscatoribus est commissa, & per eam quisque ad æter- „ num regnum a præsentis sæculi fluctibus trahitur, ne in æternæ „ mortis profunda mergatur. Quæ ex omni genere piscium con- „ gregat; quia ad peccatorum veniam sapientes & fatuos, liberos „ & servos, divites & pauperes, fortes & infirmos vocat ".

Homil. 12. Habita est hæc quoque homilia duodecima in præfata S. Agnetis Basilica in die natalis ejus, in qua parabolam exponit decem Virginum, quarum quinque prudentes, & quinque fatuæ. Et primo

(a) *Ibid. n.* 1. (b) *Ibid. n.* 2.
(c) *Ibid. n.* 4. (d) *Ibid. n.* 3.
(e) *Ibid. n.* 4.

mo quidem Regni cælorum nomine designari dicit sanctam Ecclesiam, „ in qua (*a*) mali cum bonis, & reprobi cum electis commixti sunt “. S.GREG. M.

Observat deinde, omnes virgines „ lampades quidem habuisse (*b*), „ sed non omnes oleum, quia plerumque bona in se opera cum „ electis & reprobi ostendunt, sed soli ad sponsum cum oleo veniunt, qui de his quæ foris egerint, intus gloriam requirunt “. In olei venditoribus designatos dicit „ adulatores; qui enim (*c*) „ accepta qualibet gratia, vanis suis laudibus nitorem gloriæ offerunt, quasi oleum vendunt “. Denique ad maturandam conversionem peccatores urget narratione mortis „ cujusdam Chrysaorii hominis pleni vitiis, quantum rebus: carnis suæ voluptatibus subditi (*d*) . . . avaritiæ facibus accensi, qui ad extremam „ horam veniens vidit tetros & nigerrimos spiritus coram se sistere, & vehementer imminere, ut ad inferni claustra se raperent. „ Cœpit tremere, pallescere, & magnis vocibus inducias petere . . . Pavore autem tetræ eorum imaginis, huc illucque versebatur in lectulo . . . aspectum eorum ferre non poterat: & „ denique cœpit magnis vocibus clamare inducias vel usque mane, inducias vel usque mane. Sed cum hæc clamaret, in ipsis „ suis vocibus de habitaculo suæ carnis evulsus est “. Hinc concludit: „ Nos nunc sollicite ista cogitemus, ne nobis in vacuum „ tempus pereat, & tunc quæramus ad bene agendum vivere, cum „ jam compellimur de corpore exire “. Præfatum factum & in dialogis narrat.

Ad populum habita est homilia 13. in Basilica B. Felicis Confessoris in die natali ejus, & Evangelium exponit S. Lucæ cap. 12. a vers. 35. usque ad 40. ubi de lumbis præcinctis, & de lucernis ardentibus tenendis Dominus instruit. Tres vero vigilias distinguit, in quibus venire Dominus potest, scribens: „ Prima vigilia (*e*) primævum tempus est, idest pueritia. Secunda, adolescentia vel juventus . . . Tertia autem senectus accipitur. Qui „ vigilare in prima vigilia noluit, custodiat vel secundam . . . & „ qui vigilare in secunda noluit, tertiæ vigiliæ remedia non amittat: ut qui in juventute ad vias vitæ non evigilat, saltem in senectute resipiscat “. Hinc merito infert: „ Non est jam quid „ homo excusationis inveniat. Deus despicitur, & expectat: contemni se videt & revocat: injuriam de contemptu suo suscipit, „ & tamen quandoque revertentibus etiam præmia promittit “. Denique observat, „ horam ultimam Dominum nostrum idcirco (*f*) „ voluisse nobis esse incognitam, ut semper possit esse suspecta: „ & dum illam prævidere non possumus, ad illam sine intermissione præparemur “. Homil. 13.

In

(a) *Ibid. n.* 1. (b) *Ibidem*.
(c) *Ibid. n.* 3. (d) *Ibid. n.* 7.
(e) *Ibid. n.* 5. (f) *Ibid. n.* 6.

S.GREG. M. Homil. 14. In Basilica B. Petri Apostoli habita est ad populum homilia 14. Dominica secunda post Pascha, & in ea Evangelium exponit, in quo de mercenario, & bono pastore sermo habetur Joan. 10. Et boni pastoris discrimen assignat a mercenario, „ qui non pro (*a*) „ amore intimo oves Dominicas, sed ad temporales mercedes pa- „ scit . . . qui locum quidem pastoris tenet, sed lucra animarum „ non quærit . . . Utrum vero pastor sit, an mercenarius, cogno- „ sci veraciter non potest, si occasio necessitatis deest. Tranquilli- „ tatis enim tempore, plerumque ad gregis custodiam, sicut verus „ pastor, sic etiam mercenarius stat: sed lupus veniens indicat quo „ quisque animo super gregis custodiam stabat . . . Is enim qui „ pastor esse videbatur, & non erat, relinquit oves & fugit . . . „ fugit non mutando locum, sed subtrahendo solatium ... E con- „ tra pastor quibuslibet potestatibus prave agentibus libera voce „ contradicit, & in die Domini pro domo Israel in prælio stat, „ ac ut murum se opponit, & fideles innocentes contra perverso- „ rum injustitiam ex justitiæ auctoritate vindicat ".

Homil. 15. In quintadecima homilia habita Dominica in Sexagesima in Basilica S. Pauli Apostoli Evangelium S. Lucæ exponit de seminibus in terram jactis. Et primo quidem dicit, parabolam non egere explanatione, sed admonitione; quam enim per semetipsam Veritas exposuit, hanc discutere humana fragilitas non præsumit (*b*). Deinde docet, verbum Domini aure perceptum, esse mente retinendum: „ Cibus (*c*) mentis est sermo Dei. Et quasi acce- „ ptus cibus stomacho languente rejicitur, quando auditus sermo „ in ventre memoriæ non tenetur. Sed quisquis alimenta non reti- „ net, hujus profecto vita desperatur „. Deinde quænam sit terra bona, exponens scribit: „ Terra bona (*d*) fructum per patien- „ tiam reddit: quia videlicet nulla sunt bona quæ agimus, si non „ æquanimiter etiam proximorum mala toleramus ". Quod confirmat exemplo servuli, „ qui a primæva ætate paralyticus (*e*) ja- „ cuit . . . sed studebat in dolore semper gratias agere, & hymnis „ Deo & laudibus diebus ac noctibus vacare . . . Cumque proxi- „ mum se morti agnovit, peregrinos invitavit, ut secum psalmos „ pro expectatione exitus sui decantarent. Cumque cum eis & „ ipse moriens psalleret, voces psallentium repente compescuit di- „ cens: Tacete: Numquid non auditis quantæ resonant laudes in „ cælo? Cumque ad easdem laudes, quas intus audierat, aurem „ cordis intenderet, sancta illa anima a carne soluta est ". Et denique concludit: „ Ecce quo fine ex hac vita exiit, qui in hac „ vita æquanimiter flagella toleravit ".

Homil. 16. Habita homilia decimasexta ad populum in Basilica S. Joannis, quæ Constantiniana dicitur, Dominica prima Quadragesimæ, in eaque

---

(a) *Ibid. n.* 2. (b) *Ibid. n.* 1.
(c) *Ibid. n.* 2. (d) *Ibid. n.* 4.
(e) *Ibid. n.* 5.

eaque exponit S. Pontifex Evangelium S. Marci de quadragenario Christi jejunio. Et primo quidem dicit, Christum a Spiritu Sancto ductum esse in desertum, ut tentaretur a Diabolo. A diabolo autem „ assumptum (*a*) fuisse in excelsum montem, & in sanctam civitatem, quod humanæ aures audire expavescunt. Sed „ si consideremus quid passus sit a Judæis diaboli membris, a quibus se pertulit crucifigi, non erit indignum Redemptori nostro „ quod tentari voluit qui venerat occidi. Justum quippe erat, „ ut sic tentationes nostras suis tentationibus vinceret, sicut mortem nostram venerat sua morte superare ". Nonnisi triginta & sex dies jejunii enumerat, quia dies excipiebat dominicos, in quibus nullum erat jejunium. „ Dum vero (subdit) per trecentos „ (*b*) & sexagintaquinque dies annus ducitur, nos autem per triginta & sex dies affligimur, quasi anni nostri decimas Deo damus . . . Unde, fratres carissimi, sicut offerre in Lege jubemini decimas rerum, ita ei offerre contendite & decimas dierum ". Vult tamen ut jejunio eleemosyna adjungatur; quare homiliam claudit scribens: „ Illud (*c*) jejunium Deus approbat, „ quod ad ejus oculos manus eleemosynarum levat, quod cum „ proximi dilectione agitur, quod ex pietate conditur. Hoc ergo „ quod tibi subtrahis, alteri largire: ut unde tua caro affligitur, „ inde egentis proximi caro reparetur ". S. Greg. M.

Habita est hæc homilia decimaseptima ad Episcopos in fontes Lateranensium, & quidem probabiliter in aliqua ordinatione ab ipso habita, & Evangelium explicat S. Lucæ cap. 10. ubi narratur, Dominum designasse septuaginta duos discipulos. In ea autem pastorum officia exponit. Et primo quidem conqueritur, paucos esse verbi Dei prædicatores, scribens: „ Ecce mundus (*d*) sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus valde invenitur operator: quia officium quidem sacerdotale suscepimus, sed „ opus officii non implemus . . . Pensate, ne ab exhortatione lingua torpeat, ne postquam prædicationis locum suscepimus, apud „ justum judicem nostra nos taciturnitas addicat ": Deinde exponit, quomodo Episcopi in Ecclesia sal esse debeant, scribens: „ Si sal sumus (*e*), condire mentes fidelium debemus . . . & sæpe videmus, quod petra salis brutis animalibus ponitur, ut eamdem „ salis petram lambere debeant, & meliorari. Quasi ergo inter „ bruta animalia petra salis esse debet sacerdos in populis. Curare „ namque sacerdotem necesse est, quæ singulis dicat, unumquemque qualiter admoneat, ut quisquis sacerdoti jungitur, quasi ex „ salis tactu, æternæ vitæ sapore condiatur ". Episcopos deinde objurgat Simoniæ addictos, scribens: „ Vobis sacerdotibus (*f*) lugens loquor, qui nonnullos vestrum cum præmiis facere ordinationes Homil. 17.

(a) *Ibid. n.* 1. (b) *Ibid. n.* 5.
(c) *Ibid. n.* 6. (d) *Ibid. n.* 3.
(e) *Ibid. n.* 9. (f) *Ibid. n.* 13.

S. GREG. M. „ tiones agnovimus, ſpiritualem gratiam vendere, & de alienis „ iniquitatibus cum peccati damno temporalia lucra cumulare. „ Cur ergo ad memoriam veſtram non redit: *Gratis accepiſtis*, „ *gratis date* (*a*) “? Et iterum eos reprehendit ſubdens: „ Sunt „ alia præpoſitorum mala, quæ humanos modo oculos latent (*b*), „ & plerumque ſe paſtores ſanctos hominibus exhibent, atque in „ occultis ſuis videri turpes ante interni arbitri oculos non erube- „ ſcunt “. Præſertim vero conqueritur, quod rebus temporalibus nimis incumbunt, ſcribens: „ Ad exteriora (*c*) negotia delapſi „ ſumus, & aliud ex honore ſuſcepimus, atque aliud officio actio- „ nis exhibemus... Curis ſæcularibus intenti, tanto inſenſibiliores „ intus efficimur, quanto ad ea quæ foris ſunt, ſtudioſiores vide- „ mur “. Denique cum Jeremia deflet, quod aurum obſcuratum eſt: „ quia ſacerdotum (*d*) vita quondam per gloriam virtutum „ clara, nunc per actiones infirmas oſtenditur reproba “. Nec refugit dicere, publicæ calamitatis cauſam malos eſſe ſacerdotes, ſcribens: „ Quanto autem (*e*) mundus gladio feriatur, aſpicitis: „ quibus quotidie percuſſionibus intereat populus, videtis. Cujus „ hoc, niſi noſtro præcipue peccato agitur? Ecce depopulatæ ur- „ bes, everſa caſtra, Eccleſiæ, ac monaſteria deſtructa, in ſolitu- „ dinem agri redacti ſunt. Sed nos pereunti populo auctores „ mortis exiſtimus, qui eſſe debuimus duces ad vitam “. Denique concludit: „ Ponamus (*f*) ante oculos noſtros illum tantæ diſtri- „ ctionis diem, quo iudex veniet, & rationem cum ſervis ſuis, „ quibus talenta credidit, ponet. Ecce in maieſtate terribili, in- „ ter angelorum atque archangelorum choros videbitur .... nos „ miſeri, quid dicturi ſumus “?

Homil. 18. Ad populum in Baſilica S. Petri habita eſt homilia decima octava, Dominica in Paſſione, in qua Evangelium Joannis exponit cap. 8. a verſ. 46. uſque ad 59. in quo narratur ſermo Chriſti ad Judæos, & principes Sacerdotum, qui eum lapidare tentant. Et primo quidem docet, exemplo Chriſti, contumelias non eſſe regerendas, qui Judæis reſpondit: *Ego Dæmonium non habeo*. „ In „ quibus verbis (ſcribit) quid aliud (*g*) niſi ſuperbia noſtra con- „ funditur? quæ ſi exagitata vel leviter, atrociores injurias reddit, „ quam acceperat: facit mala quæ poteſt, & minatur mala quæ „ facere non poteſt “. Oſtendit deinde, quod, „ ſicut bonis neceſ- „ ſe eſt, ut meliores etiam per contumelias exiſtant, ita ſemper „ reprobi de beneficio pejores fiunt “. Exaltat denique Chriſti „ clementiam ſcribens: „ Mirum (*h*) valde eſt, cur perſecutores „ ſuos Dominus ſe abſcondendo declinaverit, qui ſi divinitatis ſuæ „ potentiam exercere voluiſſet, tacito nutu mentis in ſuis eos icti- „ bus

---

(a) *Matth.* 10. 8. (b) *Ibidem*.
(c) *Ibid. n.* 14. (d) *Ibid. n.* 15.
(e) *Ibid. n.* 16. (f) *Ibid. n.* 17.
(g) *Ibid. n.* 2. (h) *Ibid. n.* 4.

„ bus ligaret, aut in pœna subitæ mortis obrueret. Sed quia pati „ venerat, exercere judicium nolebat “. S.GREG. M.

Habita est homilia decima nona ad populum in Basilica S. Laurentii martyris, Dominica in Septuagesima super Evangelium Matthæi de operariis ad excolendam vineam conductis. Et primo quidem per horas designatas dicit mundi ætates (*a*); & in undecima ac postrema ultimam nostram ætatem usque ad finem mundi significatam dicit, in qua S. Apostoli missi sunt, qui mercedem plenam & tarde venientes acceperunt. Deinde dicit, varias etiam denotari (*b*) cujusque hominis ætates: „ Mane enim pueritia est: „ Hora tertia adolescentia: Sexta vero juventus: Nona senectus „ intelligitur: Undecima vero ea ætas quæ decrepita, vel vete- „ rana dicitur “. Omnes autem invitat Dominus ad laborandum in vinea, quasi diceret: „ Si Deo (*c*) in pueritia vivere, & in ju- „ ventute noluistis, saltem in ultima ætate resipiscite, & ad vitæ „ vias cum jam laboraturi multum non estis, vel sero venite “. Qualis autem sit denarius æqualiter omnibus datus, explicat dicens: „ Eumdem denarium accipiunt qui laboraverunt ad undecimam, „ quem expectaverunt toto desiderio qui laboraverunt ad primam: „ quia æqualem vitæ æternæ retributionem sortiti sunt cum his „ qui a mundi initio vocati fuerant, hi qui in mundi fine ad Do- „ minum venerunt . . . & quia (*d*) Regni perceptio ejus est bo- „ nitas voluntatis . . . Stulta enim est quæstio contra benignitatem „ Dei. Non querendum quippe esset, si non dat quod non de- „ bet, sed si non daret quod deberet “. Parvum esse electorum numerum docet, scribens: „ Valde (*e*) terribile est quod sequi- „ tur: *Multi sunt vocati, pauci vero electi*: quia ad fidem plu- „ res veniunt, & ad cæleste regnum pauci perducuntur. Ecce „ enim ad hodiernam festivitatem quam multi convenimus, Ecclesiæ „ parietes implemus, sed tamen quis sciat quam pauci sunt qui in „ illo electorum Dei grege numerentur “? Homil. 19.

Habita homilia vigesima ad populum in Basilica S. Joannis Baptistæ Sabbato Quatuor temporum ante Christi nativitatem, in eaque exponit S. Pontifex Evangelium S. Lucæ cap. 3. a vers. 1. usque ad 11. ubi narratur prædicatio Jo. Baptistæ. Et primo quidem observat brevi Gentilitatem colligendam, & Judæam pro culpa perfidiæ dispergendam (*f*). Deinde observat: „ Joannem qui- „ dem (*g*) non solum baptismum prædicasse, sed & quibusdam „ dedisse; non tamen baptismum suum in remissionem peccatorum „ dare potuisse. Remissio etenim peccatorum in solo nobis Ba- „ ptismo Christi tribuitur “. Humilitatem deinde Præcursoris celebrat, qui „ cum pro (*h*) mira operatione virtutum talis „ esset, Homil. 20.

(a) *Ibid. n.* 1. (b) *Ibid. n.* 2.
(c) *Ibid. n.* 3. (d) *Ibid. n.* 4.
(e) *Ibid. n.* 5. (f) *Ibid. n.* 1.
(g) *Ibid. n.* 2. (h) *Ibid. n.* 4.

S.Greg. M. „ esset, ut Christus esse crederetur, non solum Christum se non „ esse respondit, sed etiam corrigiam calceamenti ejus solvere, idest „ incarnationis ejus mysterium perscrutari non se dignum esse perhi- „ buit“. In eo autem sensu Joannem imminutum fuisse, crevisse autem Christum dicit: „ quia Christus (*a*), qui propheta esse putaba- „ tur, Christus est agnitus: & Joannes qui Christus esse credebatur, propheta esse innotuit“. Inter pœnitentiæ fructus etiam misericordiæ opera enumerat, & præsertim eleemosynam etiam de necessariis, scribens: „ Ad (*b*) fructum dignum pœnitentiæ pertinet, ut non „ solum exteriora quæque & minus necessaria, sed ipsa valde no- „ bis necessaria dividere cum proximis debeamus, scilicet vel escam „ qua carnaliter vivimus, vel tunicam qua vestimur.

Liber 2. Homiliarum Homil. 21. Ad populum habita est homilia vigesima prima in Basilica B. Mariæ Virginis in die Sancto Paschæ super Evangelium S. Marci cap. 16. a vers. 1. usque ad 7. ubi Christi narratur resurrectio. Et primo quidem Evangelium breviter exponit. Deinde resurrectionem Christi non minus festivam fuisse hominibus, quam Angelis dicit, scribens: „ Redemptoris nostri resurrectio (*c*) & nostra festi- „ vitas fuit, quia nos ad immortalitatem reduxit; & Angelorum „ festivitas extitit, quia nos revocando ad cælestia, eorum numerum „ implevit“. Exponit deinde, cur Petrum labi in negatione permiserit Christus, scribens: „ Magnæ actum (*d*) esse pietatis dis- „ pensatione cognoscimus: ut is qui futurus erat Pastor Ecclesiæ, „ in sua culpa disceret qualiter aliis misereri debuisset. Prius ita- „ que eum ostendit sibi, & tunc præposuit cæteris, ut ex sua in- „ firmitate cognosceret, quam misericorditer aliena infirma tolera- „ ret“. Duplicem vitam nobis ex Christi resurrectione innotescere scribit: „ Duæ vitæ (*e*) erant, quarum unam novimus, alteram „ nesciebamus. Una quippe mortalis est, altera immortalis: una „ corruptionis, altera incorruptionis: una mortis, altera resurre- „ ctionis. Sed venit Mediator Dei & hominum homo Christus „ Jesus, suscepit unam, & ostendit alteram. Unam pertulit mo- „ riendo, alteram ostendit resurgendo. Si ergo nobis mortalem „ vitam scientibus resurrectionem promitteret carnis, & tamen „ hanc visibiliter non exhiberet, quis ejus promissionibus crede- „ ret“? Ostendit deinde, magis Christum ostendisse Judæis resurgendo divinitatem, quam si, ut ipsi postulabant, de Cruce descendisset, scribens: „ Si de Cruce (*f*) tunc descenderet, nimirum in- „ sultantibus cedens, virtutem nobis patientiæ non demonstraret. „ Sed expectavit paululum, toleravit opprobria, irrisiones susti- „ nuit, servavit patientiam, distulit admirationem, & qui de „ cruce descendere noluit, de sepulchro surrexit. Plus igitur fuit „ de sepulchro surgere, quam de cruce descendere. Plus fuit „ mor-

(a) *Ibid. n.* 5. (b) *Ibid. n.* 11.
(c) *Ibid. n.* 2. (d) *Ibid. n.* 4.
(e) *Ibid. n.* 6. (f) *Ibid. n.* 7.

„ mortem resurgendo destruere, quam vitam descendendo servare". S.GREG. M.

Habita est homil. 22. ad populum in Basilica S. Joannis, quæ appellatur Constantiniana, Sabbato post Pascha. In ea Evangelium exponit S. Joan. cap. 20. a num. 1. ad 9. de Petro & Joanne ad sepulchrum Christi currentibus. Et primo quidem dicit se studere, si non multis, saltem paucis prodesse (a). Deinde plura in recitato Evangelio contineri mysteria, Ecclesiam & Synagogam denotantia, dicit. Per Petrum enim denotari docet Ecclesiam, per Joannem vero Synagogam. „ Prior itaque venit, signata in Joanne, Synagoga ad monumentum, sed minime intravit (b): quia Legis quidem mandata percepit, prophetias de incarnatione ac passione Dominica audivit, sed credere in mortuum noluit . . . Posterior vero Ecclesia Gentium, Mediatorem Dei & hominum Jesum Christum & cognovit in carne mortuum, & viventem credidit Deum". Dicit tamen aliquando & Judæos ad Christum colligendos, quum & Joannes post Petrum in monumentum intraverit, scribens: „ Postquam (c) intravit Petrus, ingressus est & Joannes. Posterior intravit, qui prior venerat. Notandum, fratres, est, quod in fine mundi ad Redemptoris fidem etiam Judæa colligitur". Homil. 22.

Progreditur ab explicatione Evangelii ad Paschalis solemnitatis nobilitatem celebrandam, quam dicit cæteras omnes solemnitates antecedere. „ Quia exemplum (d) nobis resurrectionis datum est, spes cælestis patriæ aperta, & facta superni regni jam præsumptibilis gloria". Secundo quia Christi corpus & sanguis a fidelibus sumitur (e). Tertio, quia, huic sumptioni cogimur bona opera jungere. „ Quid enim (f) prodest corpus & sanguinem illius ore percipere, & ei perversis moribus contraire? Unde bene adhuc ad comedendum subditur: *Et azymos panes cum lactucis agrestibus*. Panes quippe sine fermento comedit, qui recta opera sine corruptione vanæ gloriæ exercet, qui mandata misericordiæ sine admixtione peccati exhibet: ne perverse diripiat, quod quasi recte dispensat". Quarto, quia „ qui Pascha comedit (g), habere renes accinctos debet: ut qui solemnitatem resurrectionis atque incorruptionis agit, corruptioni jam per vitia nulli subjaceat, voluptates edomet, carnem a luxuria restringat. Neque enim cognovit quæ sit solemnitas incorruptionis, qui adhuc per incontinentiam corruptioni subjacet".

Brevissima hæc homilia 23. habita est in Basilica B. Petri Apostoli in crastino Paschæ. Exponit Evangelium Lucæ cap. 24. narrantis apparitionem Christi discipulis euntibus in Emmaus. Et primo Homil. 23.

(a) *Ibid. n.* 1. (b) *Ibid. n.* 3.
(c) *Ibid. n.* 5. (d) *Ibid. n.* 6.
(e) *Ibid. n.* 7. (f) *Ibid. n.* 8.
(g) *Ibid. n.* 8.

[redacted] primo quidem docet, merito speciem quam recognoscerent illis non
S.GREG. M. ostendisse. „ Nam (scribit) egit foris (*a*) Dominus in oculis „ corporis, quod apud ipsos agebatur intus in oculis cordis. Ipsi „ namque apud semetipsos intus & amabant, & dubitabant: eis „ autem Dominus foris & præsens aderat, & quis esset, non ostendebat. De se ergo loquentibus præsentiam exhibuit, sed de se „ dubitantibus cognitionis suæ speciem abscondit “. Deinde observat: „ Deum, quem in Scripturæ Sacræ expositione non agnoverant, in fractione panis cognoverunt “: unde merito colligit, non audiendo præcepta (*b*) illuminatos fuisse, sed faciendo fuisse illuminatos . . . „ Quisquis ergo vult audita intelligere, festinet ea „ quæ jam intelligere potuit, opere implere “. Denique homiliam claudit ad hospitalitatem hortando, & exemplum affert cujusdam, qui Christum sub peregrini specie hospitatus fuerat.

Homil. 24. Habita est hæc homilia 24. ad populum in Basilica S. Laurentii martyris, foris muros Urbis, feria quarta Paschæ; & in ea Evangelium exponit S. Joannis cap. 21. narrantis apparitionem Christi discipulis piscantibus ad mare Tiberiadis. Et primo quidem ostendit, Petrum non peccasse, post Christi sequelam ad piscationem revertendo: „ Quia, inquit, negotium (*c*) quod ante conversionem sine „ peccato extitit, hoc etiam post conversionem repetere culpa non fuit. „ Sic Petrus ad piscationem rediit, non tamen Matthæus ad telonei negotium resedit “. Deinde statum Christi post resurrectionem explicat: per quam (*d*) corruptionem carnis excesserat, & quietis æternæ perpetuitatem erat consecutus. In Petro autem trahente rete in terram præsignatam dicit potestatem illi datam in Ecclesiam, scribens: „ Quid est (*e*) quod Petrus rete ad terram „ trahit? Ipsi quippe sancta Ecclesia est commissa, ipsi specialiter „ dicitur . . . *Pasce oves meas*. Quod ergo postmodum aperitur „ in voce, hoc nunc signatur in opere “. In pisce vero asso & favo mellis a Salvatore post resurrectionem comestis, significari dicit „ ipsum (*f*) Mediatorem Dei & hominum passum. Ipse „ enim latere dignatus est in aquis generis humani, capi voluit, „ laqueo mortis nostræ, & quasi tribulatione assatus est tempore „ passionis suæ. Sed qui piscis assus fieri dignatus est in passione; „ favus mellis nobis extitit in resurrectione “. Denique homiliam claudit animadvertendo, postremum Christi convivium (*g*) post resurrectionem, designatum fuisse in illis Apostoli verbis: ***Beati qui ad cœnam Agni vocati sunt*** (*h*). „ Qui enim finito præsentis „ vitæ tempore ad refectionem supernæ contemplationis veniunt, „ non ad Agni prandium, sed ad cœnam vocantur, quæ videlicet „ cœna hoc ultimo convivio exprimitur “.

Feria

(a) *Ibid. n. 9.* (b) *Ibid. n. 2.*
(c) *Ibid. n. 1.* (d) *Ibid. n. 2.*
(e) *Ibid. n. 4.* (f) *Ibid. n. 5.*
(g) *Ibid. n. 6.* (h) *Apoc. 19. 9.*

Feria quinta Paschæ habita est hæc homilia ad populum in Basilica S. Joannis, quæ Constantiniana appellatur. In ea exponit S. Pontifex Evangelii Joan. caput 21. a vers. 11. usque ad 18. ubi narratur apparitio Christi Mariæ Magdalenæ sub hortulani specie. Et primo quidem Magdalenæ amorem celebrat, „ quæ „ a (a) monumento Dominico, etiam Discipulis recedentibus, „ non recedebat “. Hinc colligit, quod „ virtus boni operis perseverantia est “. Illam deinde assimilat Sponsæ Canticorum dicenti: *In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea: quæsivi illum & non inveni* (b), subdens: Quæsivit „ ergo prius (c), & minime invenit: perseveravit ut quæreret, „ unde & contigit ut inveniret: actumque est, ut desideria dilata „ crescerent, & crescentia caperent quod invenissent “. Nuntiatam deinde narrans a Magdalena Christi resurrectionem discipulis, observat: „ Ecce humani generis culpa (d) ibi absciditur, unde „ processit. Quia enim in paradiso mulier viro propinavit mortem, a sepulchro mulier viris annuntiat vitam: & dicta sui „ vivificatoris narrat, quæ mortiferi serpentis verba narraverat. „ Ac si humano generi non verbis Dominus, sed rebus dicat: De „ qua manu vobis illatus est potus mortis, de ipsa suscipite poculum vitæ “. In hac homilia Mariam Magdalenam a peccatrice non discernit, sed unam eamdemque esse supponit, licet non desint Critici, qui triplicem distinguunt Mariam, sororem scilicet Lazari, peccatricem, & discipulam Christi; hinc in calce homiliæ & Dei misericordiam exaltat, & peccatores ad pœnitentiam provocat, scribens: „ Quid in (e) hac re debemus aspicere, nisi „ immensam misericordiam Conditoris nostri? . . . Perpendo enim „ Petrum, considero Latronem, aspicio Zacchæum, intueor Mariam, & nihil in his aliud video, nisi ante oculos nostros posita spei, & pœnitentiæ exempla. Fortasse enim in fide lapsus „ est aliquis; aspiciat Petrum, qui amare flevit, quod timide negaverat. Alius contra proximum suum in malitia crudelitatis „ exarsit; aspiciat Latronem, qui & in ipso mortis articulo ad „ vitæ præmia pœnitendo pervenit. Alius avaritiæ æstibus anhelans aliena diripuit; aspiciat Zacchæum, qui si quid alicui abstulit, „ quadruplum reddidit. Alius libidinis igne succensus, carnis munditiam perdidit, aspiciat Mariam, quæ in se amorem carnis, „ igne divini amoris excoxit “.

S. GREG. M. Homil. 25.

In Basilica B. Joannis, quæ dicitur Constantiniana, habita est hæc homilia ad populum in octava Paschæ. In ea explicat Evangelium Joannis cap. 20. a vers. 19. usque ad 31. in quo narratur apparitio Christi discipulis clausis in Cœnaculo, absente Thoma, & postea ipsi Thomæ incredulo. Et primo quidem ostendit, quomodo in Christi corpore glorioso, „ duo mira (f) & juxta hu- Homil. 26.

K 2 „ manam

(a) *Ibid. n. 1.* (b) *Cant. 3. 1.*
(c) *Ibid. n. 2.* (d) *Ibid. n. 6.*
(e) *Ibid. n. 10.* (f) *Ibid. n. 1.*

S.GREG. M. „ manam rationem ſibi valde contraria copulata ſunt: nimirum,
„ quod corpus eſſet, & incorruptibile, & tamen palpabile. Nam
„ & corrumpi neceſſe eſt quod palpatur: & palpari non poteſt
„ quod non corrumpitur. Sed (ſubdit) miro modo atque inæ-
„ ſtimabili Redemptor noſter & incorruptibile poſt reſurrectionem,
„ & palpabile corpus exhibuit; ut monſtrando incorruptibile, in-
„ vitaret ad præmium; & præbendo palpabile, firmaret ad fi-
„ dem". Deinde de miſſione Apoſtolorum ad prædicandum,
ſcribit: „ Electos Apoſtolos (*a*) Dominus, non ad mundi gau-
„ dia, ſed ſicut ipſe miſſus eſt, ad paſſiones in mundum mittit.
„ Quia ergo & Filius amatur a Patre, & tamen ad paſſionem
„ mittitur; ita & diſcipuli a Domino amantur, qui tamen ad
„ paſſionem mittuntur in mundum. Itaque dicitur: *Sicut miſit*
„ *me Pater, & ego mitto vos*". Cur autem Spiritus S. Apo-
ſtolis ſemel & iterum datus fuerit, explicat ſcribens: „ Neque
„ (*b*) alio in loco datus Spiritus Sanctus aperte monſtratur, niſi
„ nunc cum per inſufflationem percipitur, & poſtmodum cum de
„ cælo veniens, in linguis variis demonſtratur. Cur ergo prius
„ in terra diſcipulis datur, poſtmodum de cælo mittitur, niſi quod
„ duo ſunt præcepta caritatis, dilectio videlicet Dei, & dilectio
„ proximi? In terra datur Spiritus ut diligatur Deus. Sicut er-
„ go una eſt caritas, & duo præcepta: ita unus Spiritus, & duo
„ data". Incredulitatem vero Thomæ nobis utilem fuiſſe oſten-
dit ſcribens: „ Egit miro modo (*c*) ſuperna clementia, ut di-
„ ſcipulus ille dubitans, dum in magiſtro ſuo vulnera palparet
„ carnis, in nobis vulnera ſanaret infidelitatis. Plus enim nobis
„ Thomæ infidelitas ad fidem, quam fides credentium diſcipulorum
„ profuit: quia dum ille ad fidem palpando reducitur, noſtra mens
„ omni dubitatione poſtpoſita, in fide ſolidatur". Denique ho-
miliam claudit, illorum errorem refutando, qui de carnis noſtræ
futura reſurrectione ſuo tempore dubitabant.

Homil. 27. Ad populum in Baſilica S. Pancratii Martyris habita eſt hæc
homilia ſuper Evangelium Joannis cap. 15. a verſ. 12. uſque ad
16. ubi præceptum datur de amore proximi. Et primo quidem o-
ſtendit, „ quod omne (*d*) mandatum de ſola dilectione eſt, & o-
„ mnia unum præceptum ſunt: quia quidquid præcipitur, in ſola
„ caritate ſolidatur". Artes deinde exponit Sathanæ conantis in
nobis odium excitare adverſus proximum. Quomodo vero explo-
rare poſſimus, num & inimicos diligamus, oſtendit ſcribens: „ Nos
„ uſque (*e*) ad mortem nemo perſequitur. Unde ergo probare
„ poſſumus an diligamus inimicos? Sed eſt quod in pace ſanctæ Ec-
„ cleſiæ fieri debeat, unde clareſcat ſi perſecutionis tempore mori
„ pro dilectione valeamus... Qui tranquillitatis tempore non dat
„ pro

(a) *Ibid. n.* 2. (b) *Ibid. n.* 3.
(c) *Ibid. n.* 7. (d) *Ibid. n.* 1.
(e) *Ibid. n.* 3.

„ pro Deo tunicam suam, quando in persecutione daturus est animam suam? Virtus ergo caritatis ut invicta sit in perturbatione, nutriatur per misericordiam in tranquillitate: quatenus omnipotenti Deo primum discat sua impendere, postmodum semetipsum ". Qui vero sunt Dei amicitiam consecuti, humilitatem custodire debent. Quare subdit: „ Quisquis ad hanc pervenit dignitatem (a), ut amicus vocetur Dei, sese in se conspiciat; dona autem quæ percipit, super se. Nihil suis meritis tribuat, ne ad inimicitias erumpat ". Quid autem sit petere in nomine Christi, explicat dicens: „ Ille in nomine (b) Salvatoris petit, qui illud petit, quod ad veram salutem pertinet. „ Nam si id quod non expedit petitur, non in nomine Jesu petitur Pater. Unde & eisdem Apostolis adhuc infirmantibus Dominus dicit: *Usque modo non petistis quidquam in nomine meo.* „ Ac si aperte diceret: Non petistis in nomine Salvatoris, quia nescitis quærere æternam salutem ". Denique homiliam claudit, ad dilectionem inimicorum hortando, scribens: „ Nulla in (c) corde malitia maneat? Consideret omnipotens Deus erga proximum caritatem nostram, ut nostris impendat iniquitatibus pietatem suam. Mementote quod monemur: *Dimittite, & dimittetur vobis*. Ecce debetur nobis, & debemus. Dimittamus ergo quod debetur nobis, ut dimittatur, quod debetur a nobis ". [redacted] S.GREG. M.

In Basilica SS. Nerei & Achillei in die eorum natali habita est hæc homilia, in qua Evangelium exponit S. Joannis cap. 4. a vers. 46. usque ad 53. narrantis miraculum sanitatis restitutæ Reguli filio, qui Capharnaum infirmabatur. Et primo quidem ostendit, Regulum etiam dum a Christo miraculum poscebat, in fide dubitasse: unde merito illi exprobratur a Christo: *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis*. Reguli vero dubitationem in eo apparere dicit, quia, „ poposcit (d) ut descenderet, & sanaret filium ejus. Corporalem ergo præsentiam Domini quærebat, qui per spiritum nusquam deerat. Minus itaque in illum credidit, quem non putavit posse salutem dare, nisi præsens esset & corpore. „ Si enim perfecte credidisset, proculdubio sciret, quia non esset locus ubi non esset Deus ". Cur vero Christus a Regulo rogatus ut ad ejus filium veniret, ire corporaliter recusaverit, qui ad servum Centurionis sanandum invitatus, tamen se corporaliter ire pollicetur, rationem reddens scribit: „ In hoc (e) superbia nostra retunditur, qui in hominibus non naturam qua ad imaginem Dei facti sunt, sed honores & divitias veneramur . . . . . Redemptor vero noster ut ostenderet quia quæ alta sunt hominum, despicienda sunt; & quæ despecta sunt hominum, sanctis despicienda non sunt: ad filium „ Reguli Homil. 28.

K 3

(a) *Ibid. n.* 5. (b) *Ibid. n.* 6.
(c) *Ibid. n.* 9. (d) *Ibid. n.* 1.
(e) *Ibid. n.* 2.

„ Reguli ire noluit, ad servum Centurionis ire paratus fuit ".
S. GREG. M. Nunc auditores ad humilitatem hortatur, & claudens homiliam monet, ne mundo ruenti inhærentes, cum ipso gravi lapsu cadamus, scribens: „ Ecce jam (a) mundus in seipso aruit, & adhuc „ in cordibus nostris floret. Ubique mors, ubique luctus, ubique „ desolatio, undique percutimur, undique amaritudinibus replemur, & tamen cæca mente carnalis concupiscentiæ ipsas ejus amaritudines amamus, fugientem sequimur, labenti inhæremus. „ Et quia labentem retinere non possumus, cum ipso labimur, „ quem cadentem tenemus ".

Homil. 29. In ascensione Domini habita est hæc vigesima nona homilia in Basilica S. Petri ad populum super Evangelium S. Marci cap. 16. vers. 14. usque ad 20. ubi extrema recitantur verba a Christo Domino ante suam ascensionem ad Apostolos habita. Et primo quidem tarditatem discipulorum in credenda Christi resurrectione nobis utilem dicit ad confirmandam fidem nostram. Deinde veritatem resurrectionis a Christo confirmatam dicit sua comestione, „ ut videlicet (b) per effectum comestionis veritas patesceret carnis ". Deinde mandatum dicit Apostolis, ut Evangelium prædicarent omni creaturæ, non quia ut insensatis rebus, vel brutis animalibus foret prædicandum, „ sed quia omni creaturæ prædicatur (c) Evangelium, cum soli homini prædicatur: quia omnis creaturæ aliquid habet homo. Habet namque commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere „ cum Angelis... Vel etiam potest omnis creaturæ nomine omnis „ natio Gentium designari. Ante enim dictum fuerat: *In viam „ Gentium ne abjeritis* (d). Nunc autem dicitur: *Prædicate omni creaturæ:* ut scilicet prius a Judæa Apostolorum repulsa „ prædicatio, tunc nobis in adjutorium fieret, cum hanc illa ad „ damnationis suæ testimonium superba repulisset ". Ostendit postea, solam fidem ad salutem non sufficere, nisi & bona adjungantur opera, alioquin fides nostra non erit vera fides; unde scribit: „ Fidei nostræ (e) veritatem in fidei nostræ consideratione debemus „ agnoscere. Tunc enim veraciter fideles sumus, si quod verbis promittimus, operibus implemus. In die quippe baptismatis omnibus „ nos antiqui hostis operibus atque omnibus pompis abrenuntiare „ promisimus ". De signis vero & miraculis a fidelibus patratis, observat, ea ostendere aliquando (f) sanitatem, non autem facere, & illa habere & malos posse. Conferens autem ascensionem Christi cum Eliæ in cælum ascensione scribit: „ In cælum aereum (g) „ Elias sublevatus est, ut in secretam quamdam terræ regionem „ repente duceretur, ubi in magna jam carnis & spiritus quiete „ vive-

(a) *Ibid. n.* 3. (b) *Ibid. n.* 1.
(c) *Ibid. n.* 2. (d) *Matth.* 10. 5.
(e) *Ibid. n.* 3. (f) *Ibid. n.* 4.
(g) *Ibid. n.* 5.

„ viveret, quouſque ad finem mundi redeat, & mortis debitum
„ ſolvat . . . At Redemptor noſter revertebatur ubi erat, & inde S. Greg. M.
„ redibat, ubi remanebat: quia cum per humanitatem aſcenderet
„ in cælum, per divinitatem ſuam & terram pariter & cælum
„ continebat ". Denique homiliam claudit hortando, ut Chriſtum in cælum aſcendentem ſequi feſtinemus, & venturum judicem timeamus, ſcribens: „ Oportet (*a*) ut illuc ſequamur corde, ubi
„ eum corpore aſcendiſſe credimus. Deſideria terrena fugiamus,
„ nihil nos jam delectet in infimis, qui Patrem habemus in cælis.
„ Et hoc vobis eſt magnopere perpendendum: quia is qui placidus
„ aſcendit, terribilis redibit; & quidquid nobis cum manſuetudine
„ præcepit, hoc in nobis cum diſtrictione exiget ".

In die ſancto Pentecoſtes hanc trigeſimam habuit homiliam S. Homil. 30. Gregorius ad populum in Baſilica B. Petri Apoſtoli ſuper Evangelium Joannis cap. 14. a verſ. 23. ad 31. ubi Apoſtolis adventus promittitur Spiritus Sancti. Et primo quidem dicit, quod „ ipſe
„ Spiritus Sanctus (*b*) amor eſt; unde dicitur: *Deus caritas eſt*
„ (*c*). Deum vero amat, non qui verbo dicit, diligo Deum, ſed
„ qui ejus mandata obſervat: nam probatio dilectionis, exhibitio
„ eſt operis. Unde vere Deum diligimus, ſi ad mandata ejus
„ nos a noſtris voluptatibus coarctamus ". Deinde obſervat dictum a Chriſto: *Veniemus, & manſionem apud eum faciemus*, quia „ in quorumdam corda venit (*d*), & manſionem non facit;
„ quia per compunctionem quidem Dei reſpectum percipiunt, ſed
„ tentationis tempore hoc ipſum quod compuncti ſunt, obliviſcun-
„ tur; ſicque ad perpetranda peccata redeunt, ac ſi ea minime
„ planxiſſent . . . In eo vero manſionem facit, quando ſic eum
„ divinitatis amor penetrat, ut ab hoc amore, tentationis tempore
„ non recedat ". Ideo autem Spiritum Sanctum Paracletum appellari dicit, „ quia vox illa græca, latine advocatum (*e*) vel
„ conſolatorem ſignificat. Et quidem advocatus, quia pro errore
„ delinquentium apud juſtitiam Patris intervenit, quatenus eos quos
„ replet exorantes facit; ut poſtulare dicitur gemitibus inenarrabili-
„ bus; quia ad poſtulandum eos quos repleverit, inflammat. Con-
„ ſolator autem vocatur, quia de peccati perpetratione mœrenti-
„ bus, dum ſpem veniæ præparat, ab afflictione triſtitiæ mentem
„ levat ". Enumerat poſtea Spiritus Sancti dona ex Paulo Apoſtolo, & eorum effectus in Apoſtolis oſtendit (*f*), quorum corda mutaverunt infirmitatem & timorem expulere: & Petrus qui prius expavit ad verba, verbera non pertimuit (*g*); & Apoſtoli, qui prius ſuis adverſariis ſuccumbebant formidine, eis jam præerant auctoritate (*h*). Denique homiliam claudit hortando, ut per caritatem

(a) *Ibid. n.* 11. (b) *Ibid. n.* 1.
(c) 1. *Joan.* 4. *v.* 8. & 16. (d) *Ibid. n.* 2.
(e) *Ibid. n.* 3. (f) *Ibid. n.* 7.
(g) *Ibid. n.* 8. (h) *Ibid. n.* 9.

[redacted]tatem erga Deum & proximum pervenire studeamus „ ad illam
S. Greg. M. „ supernæ frequentiæ lætitiam (*a*), de qua nunc sancti Spiritus „ pignus accepimus. Ad istum finem toto amore tendamus, in „ quo sine fine lætabimur. Ibi supernorum civium societas san„ cta; ibi solemnitas certa; ibi requies secura; ibi pax vera, quæ „ nobis jam non relinquitur, sed datur per Dominum nostrum Je„ sum Christum &c. “.

Homil. 21. Ad populum in Basilica S. Laurentii martyris habita est hæc homilia Sabbato quatuor temporum Septembris, & exponitur Evangelium Lucæ cap. 13. a vers. 6. ad 13. in quo habetur parabola sterilis ficulneæ; & narratur sanatio mulieris a decem & octo annis infirmæ. Et primo quidem observat, tum sterilem ficulneam, tum mulierem infirmam ostendere Dei misericordiam, & pietatem, qui per similitudinem sterili ficulneæ subvenit dilationis tempus ad fructus faciendos concedendo, & mulieri vere & realiter sanitatem tribuendo (*b*). Et revera subdit: „ Quid arbor fici (*c*) nisi hu„ manam naturam designat? Quid mulier inclinata, nisi eamdem „ naturam significando denuntiat? Quæ & bene plantata est sicut „ ficus, & bene creata sicut mulier: sed in culpam propria spon„ te lapsa neque fructum servat operationis, neque statum rectitu„ dinis “. In vineæ vero cultoribus designatos dicit, „ qui præ„ sunt Ecclesiæ, & dominicæ vineæ curam gerunt (*d*). Hujus „ enim vineæ primus cultor Petrus Apostolus extitit. Hunc nos „ indigni sequimur, in quantum pro eruditione vestra, docendo, „ deprecando, increpando laboramus “. Tres vero annos in quibus Dominus vineæ venit quærens fructus in ficulnea, significare dicit tres hominum status scribens: „ Venit ante (*e*) Legem; „ quia per naturalem intellectum quid unusquisque exemplo sui, „ qualiter erga proximum agere debuisset, innotuit. Venit in Le„ ge; quia præcipiendo docuit. Venit post legem, per gratiam, „ quia pietatis suæ præsentiam exhibendo monstravit. Sed tamen „ in tribus annis fructum se non invenisse conqueritur: quia quo„ rumdam pravorum mentes nec inspirata Lex naturalis corrigit, nec „ præcepta erudiunt, nec incarnationis ejus miracula convertunt “. Illos vero terram frustra occupare dicit tamquam arbores infructuosæ, „ qui (*f*) mentes alienas gravant, qui locum quem tenent in „ bonis operibus non exercent “.

In muliere vero curva signatur, scribit, „ omnis peccator (*g*) „ terrena cogitans, cælestia non requirens, qui sursum respicere „ non valet; quia dum desideria inferiora sequitur, a mentis suæ „ rectitudine curvatur: & hoc semper videt, quod sine cessatio„ ne cogitat “. Hinc homiliam claudit sic hortando: „ Pu„ deat

(a) *Ibid. n.* 10. (b) *Ibid. n.* 1.
(c) *Ibid. n.* 2. (d) *Ibid. n.* 3.
(e) *Ibidem*. (f) *Ibid. n.* 4.
(g) *Ibid. n.* 6.

„ deat (*a*) ergo terrena concupiscere, & dorsa mentium ascendentibus
„ adversariis præbere. Terram semper intuetur qui curvus est : S. GREG. M.
„ & quo præmio sit redemptus, non meminit qui ima quærit.
„ Hinc etiam per Moysem dicitur, ut qui gibbo premitur, ne-
„ quaquam ad sacerdotium provehatur . . . A sacerdotio ergo re-
„ pellitur qui terrenis intentus est ".

In die natali SS. Processi & Martiniani, & in eorum Basilica Homil. 32. habita est trigesima secunda homilia super Evangelium Lucæ cap. 9. vers. 23. usque ad 27. ubi sermo habetur de sui abnegatione, & de cruce tollenda. Et primo quidem quomodo malis nostris Christus remedia attulerit, explicat scribens: „ Cælestis (*b*) medi-
„ cus singulis quibusque vitiis obviantia adhibet medicamenta.
„ Nam sicut arte medicinæ calida frigidis, frigida calidis curan-
„ tur: ita Dominus noster contraria opposuit prædicamenta pec-
„ catis; ut lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis
„ mansuetudinem, elatis præciperet humilitatem ". Sanatis autem morbis animæ, exquirendas esse virtutes monet, unde subdit: „ Qui jam (*c*) se a vitiis abnegat, exquirendæ ei virtutes
„ sunt in quibus crescat. Nam cum dictum est: *Qui vult post*
„ *me venire, abneget semetipsum*, protinus additur: *Et tollat*
„ *crucem suam quotidie & sequatur me*. Duobus etenim modis
„ crux tollitur, cum aut per abstinentiam afficitur corpus, aut per
„ compassionem proximi affligitur animus ". Quod confirmat exemplo Apostoli Pauli, qui de se dicebat: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo* (*d*) . . . . Et etiam: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* . . . . „ Perfectus quippe prædicator ut ex-
„ emplum daret abstinentiæ, crucem portabat in corpore. Et
„ quia in se trahebat damna infirmitatis alienæ, crucem portabat
„ in corde ". Explicat deinde quomodo tum pacis, tum persecutionis tempore perdenda sit anima, scribens: „ Sancta Ecclesia
„ (*e*) aliud tempus habet persecutionis, atque aliud pacis. Re-
„ demptor noster ipsa ejus tempora distinguit in præceptis. Nam
„ persecutionis tempore ponenda est anima: pacis autem tempore
„ ea quæ amplius dominari possunt, frangenda sunt desideria ter-
„ rena . . . Cum persecutio ab adversario deest, valde vigilantius
„ cor custodiendum est. Nam pacis tempore quia licet vivere,
„ licet etiam ambire ". Deinde de sanctis martyribus sermonem habens ostendit, eorum certamina futuræ gloriæ præbere argumentum, unde scribit: „ Ad sanctorum Martyrum (*f*) corpora con-
„ sistimus, fratres mei. Numquid isti carnem suam in mortem
„ darent, nisi eis certissime constitisset esse vitam pro qua mori
„ debuissent? Et ecce quia ita crediderunt, miraculis coruscant.
„ Ad extincta namque eorum corpora, viventes ægri veniunt,
„ & sa-

(a) *Ibid. n.* 8. (b) *Ibid. n.* 1.
(c) *Ibid. n.* 3. (d) 1. *Cor.* 9. 27.
(e) *Ibid. n.* 5. (f) *Ibid. n.* 7.

[redacted]
S. Greg. M. „ & sanantur: perjuri veniunt, & a dæmonio vexantur: dæmoniaci veniunt, & liberantur ". Et hic miraculum narrat cujusdam Matronæ, cui sancti Martyres oranti apparuerunt sub Monachi specie, cui illa volens eleemosynam elargiri, audivit sibi dicentes: „ Tu nos (*a*) modo visitas, nos te in die judicii requiremus, & quidquid possumus, præstabimus tibi. Quo dicto, „ ab oculis ejus ablati sunt ". Hinc homiliam claudit adhortans fideles, ut eorum patrocinium sibi concilient, scribens: „ Hos ergo „ fratres carissimi, in causa (*b*) vestri examinis quam cum di- „ stricto judice habetis, patronos facite; hos in die tanti terroris „ illius defensores adhibete . . . In illo conventu causa nostra dis- „ cutitur, & tamen nos patronos modo non quærimus, quos tunc „ defensores habeamus. Adsunt defensores nostri sancti Martyres: „ rogari volunt, atque, ut ita dixerim, quærunt, ut quærantur. „ Hos ergo adjutores vestræ orationis quærite: hos protectores „ vestri reatus invenite: quia ne punire peccatores debeat, rogari „ vult & ipse qui judicat ".

Homil. 33. Feria sexta quatuor temporum septembrium habita est hæc trigesima tertia homilia in Basilica S. Clementis super Evangelium Lucæ, in quo Magdalenæ peccatricis conversio narratur cap. 7. a vers. 36. usque ad 50. Et primo pœnitentiam Mariæ ad lacrymas provocare dicit scribens: „ Cujus vel saxeum (*c*) pectus illæ hu- „ jus peccatricis lacrymæ ad exemplum pœnitendi non emol- „ liant? . . . Super convivantes ingressa est, non jussa venit, in- „ ter epulas lacrymas obtulit.. Discite quo dolore ardet, quæ fle- „ re & inter epulas non erubescit ". Ejus conversionem divinæ gratiæ attribuit dicens: „ Quid miramur, fratres, Mariam ve- „ nientem, an Dominum suscipientem? Suscipientem dicam, an „ trahentem? dicam melius, trahentem, & suscipientem: quia ni- „ mirum ipse eam per misericordiam traxit intus, qui per man- „ suetudinem suscepit foris ".

Pharisæi vero superbiam expetens dolet eam imitari & christianos Sacerdotes, scribens: „ Sed inter (*d*) hæc nos gemitus cogit, quosdam „ nostri ordinis viros intueri, qui sacerdotali officio præditi, si „ quid fortasse juste exterius, vel tenuiter egerint, protinus subje- „ ctos despiciunt, & peccatores quosque in plebe positos dedignan- „ tur, eisque compati culpam suam confitentibus nolunt, ac vel- „ uti Pharisæi more, a peccatrice muliere tangi despiciunt ".

Ostendit vero, peccati rubiginem igne caritatis tolli, scribens: „ Quid (*e*) esse dilectionem credimus nisi ignem? & quid cul- „ pam, nisi rubiginem? . . . Incendit plene peccati rubiginem, „ quia ardet valide per amoris ignem. Tanto namque amplius „ peccati rubigo consumitur, quanto peccatoris cor magno carita- „ tis igne concrematur ".

In

(a) *Ibid. n.* 8. (b) *Ibid. n.* 9.
(c) *Ibid. n.* 1. (d) *Ibid. n.* 3. (e) *Ibid. n.* 4.

In Christi pedibus, quos Maria osculabatur, designatum dicit Incarnationis mysterium, scribens: „ Potest (*a*) per pedes ipsum „ mysterium Incarnationis ejus intelligi, quo divinitas terram te- „ tigit, quia carnem sumpsit . . . . Osculamur ergo Redemptoris „ pedes, cum mysterium Incarnationis ejus ex toto corde diligi- „ mus. Unguento pedes ungimus, cum ipsam humanitatis ejus „ potentiam sacri eloquii bona opinione prædicamus ". S.GREG. M.

Exaltat vero Dei misericordiam peccatores benigne suscipientis. Quare subdit: „ Consideremus (*b*) gratiam misericordis Dei, & „ damnemus multitudinem reatus nostri. Ecce peccatores videt „ & sustinet, resistentes tolerat, & tamen quotidie per Evange- „ lium clementer vocat. Confessionem nostram ex puro corde „ desiderat, & cuncta quæ deliquimus relaxavit ". Quamobrem egregie homiliam claudit dicens: „ Nemo tantæ (*c*) misericordiæ „ tempus perdat, nemo oblata remedia divinæ pietatis abjiciat. „ Ecce superna benignitas aversos nos revocat, & nobis reverten- „ tibus suæ clementiæ sinum parat. Unusquisque ergo penset „ quo debito constringitur, quando illum Deus expectat, nec con- „ temptus exasperatur ".

Habita est hæc homilia trigesima quarta ad populum in Basilica beatorum Joannis & Pauli Dominica tertia post Pentecosten de Evangelio Lucæ cap. 15. vers. 1. usque ad decimum, ubi habetur parabola Pastoris quærentis ovem perditam, & mulieris drachmam amissam. Et primo quidem se excusat, quod longa mora interveniente de Evangelii expositione non sit locutus, æstivo calore sibi valde incommodo præpeditus (*d*). Distinctionem deinde veræ justitiæ a falsa sic explicat: „ Vera justitia compassionem (*e*) ha- „ bet, falsa justitia dedignationem, quamvis & justi soleant recte „ peccatoribus indignari. Sed aliud est quod agitur typo super- „ biæ, aliud quod zelo disciplinæ. Dedignantur etenim, sed non „ dedignantes . . . . quia etsi foris increpationes per disciplinam „ exaggerant, intus tamen dulcedinem per caritatem servant . . . „ At contra hi, qui de falsa justitia superbire solent, cæteros „ quosque despiciunt, nulla infirmantibus misericordia condescen- „ dunt: & quo se peccatores esse non credunt, eo deterius pecca- „ tores fiunt ". Homil. 34.

Rationem deinde quærens, cur Dominus plus gaudeat de uno peccatore pœnitentiam agente, quam de nonaginta novem justis, quibus non est opus pœnitentia, scribit: „ Quia plerumque hi qui „ nullis se oppressos (*f*) peccatorum molibus sciunt, stant quidem „ in via justitiæ, . . . sed pigri remanent ad exercenda bona præ- „ cipua, quia valde sibi securi sunt quod nulla commiserint mala „ graviora. At contra nonnunquam hi qui se aliqua illicita e- „ gisse

(a) *Ibid. n. 6.* (b) *Ibid. n. 8.*
(c) *Ibidem.* (d) *Ibid. n. 1.*
(e) *Ibid. n. 2.* (f) *Ibid. n. 4.*

S. GREG. M.

„ gisse meminerunt, ex ipso suo dolore compuncti, inardescunt in „ amorem Dei, seseque in magnis virtutibus exercent, cuncta difficilia sancti certaminis appetunt, omnia mundi derelinquunt, „ honores fugiunt, acceptis contumeliis lætantur, flagrant desiderio, ad cæleſtem patriam anhelant: & quia se erraſſe a Deo „ conſiderant, damna præcedentia lucris sequentibus recompenſant ".

In solicitudine vero mulieris evertentis domum, ut drachmam deperditam reperiat, agnoſcit conſcientiæ diſcuſſionem ad pœnitentiam inducendam, unde ſcribit: „ Domus (*a*) evertitur, cum „ conſideratione reatus sui humana conſcientia perturbatur. Qui „ everſionis ſermo non diſcrepat ab eo quod in aliis codicibus legitur, *emundat*: quia nimirum prava mens si non prius per timorem evertitur, ab aſſuetis vitiis non emundatur ".

De Angelis vero loquens, novem eorum ordines enumerat (*b*), & eorum miniſterium exponit (*c*) obſervans, „ Angelorum vocabulum nomen eſſe officii, non naturæ. Nam sancti illi cæleſtis „ patriæ spiritus semper quidem spiritus sunt, sed semper vocari angeli nequaquam poſſunt: quia tunc solum sunt Angeli, cum per „ eos aliqua nuntiantur... Qui vero minima nuntiant, Angeli: qui „ vero summa annuntiant, Archangeli vocantur ". Præcipua deinde Angelorum nomina explicat. „ Michael (*d*) namque interpretatur: *Quis ut Deus*. Gabriel, fortitudo Dei. Raphael „ vero dicitur: Medicina Dei ". Auctoritatem etiam adducit Dionyſii Areopagitæ, quem antiquum & venerabilem Patrem appellat. Verum num ſcripta illi tributa, ut genuina habuerit S. Gregorius, merito in dubium vocatur: quippe qui cum aliqua dubitatione illum citat dicens: „ Fertur vero (*e*) Dionyſius Areopagita dicere, quod ex minoribus Angelorum agminibus foras ad explendum miniſterium vel viſibiliter, vel inviſibiliter „ mittuntur ". Nam verbum *fertur*, non ad doctrinam referri poſſe videtur, quia cum liber de cæleſti hierarchia in omnium manibus verſaretur, dubium legendo facile solvi poterat: ergo ad auctorem libri potius referendum. Unde S. Pontifex sic loquendo innuere videtur, se non propriam promere ſententiam, sed vulgarem sequi opinionem. Obſervat etiam, aliquando inferiorem Angelum a superiore mitti (*f*).

Revertens poſtea ad moralem inſtructionem, pœnitentiæ modum explicat ſcribens: „ Pœnitentiam (*g*) agere eſt & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. Nam qui sic alia „ deplorat, ut tamen alia committat, adhuc pœnitentiam agere, „ aut

(a) *Ibid. n.* 6. (b) *Ibid. n.* 7.
(c) *Ibid. n.* 8. (d) *Ibid.* 9.
(e) *Ibid. n.* 12. (f) *Ibid. n.* 13.
(g) *Ibid. n.* 15.

„ aut dissimulat, aut ignorat . . . Præterea qui se (a) illicita S. GREG. M.
„ meminit commisisse; a quibusdam etiam licitis studeat abstine-
„ re: quatenus per hoc Conditori suo satisfaciat, ut qui commi-
„ sit prohibita, sibimetipsi abscindere debeat etiam concessa: & se
„ reprehendat in minimis, qui se meminit in maximis deliquis-
„ se ". Narrat in hujus veritatis confirmationem, veram & duram Victorini (b) pœnitentiam, per quam audire meruit a Deo: *Dimissum est peccatum tuum*. Et ita finem homiliæ imponit.

In die natalis S. Mennæ martyris, & in ejus Basilica habita Homil. 35.
est hæc homilia ad populum super Evangelium secundum Lucam cap. 21. vers. 9. usque ad 19. ubi futura in Christi discipulos persecutio prædicatur. Et quidem primo observat, Christum discipulis „ præcurrentia mala denuntiare (c), ut eo minus perturbent
„ venientia quo fuerint præscita. Minus enim jacula feriunt quæ
„ prævidentur ". Deinde consolatione eorum corda contra ventura mala præmunit, dum dicit: *Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes adversarii vestri*.
„ Ac si aperte (d) membris suis infirmantibus dicat: Nolite terre-
„ ri, nolite pertimescere: vos ad certamen acceditis, sed ego præ-
„ lior: vos verba editis, sed ego sum qui loquor. Sed quia ad-
„ huc (e) dura sunt quæ prædicantur de afflictione mortis, pro-
„ tinus consolatio subditur de gaudio resurrectionis, cum dicitur:
„ *Capillus de capite vestro non peribit* ".

Veræ autem patientiæ in tribulationibus signa hæc exhibet scribens: „ Plerumque (f) ideo patientes esse videmur, quia retribue-
„ re mala non possumus. Sed qui idcirco malum non retribuit,
„ quia nequaquam valet, proculdubio, ut prædiximus, patiens
„ non est: quia patientia non in ostensione inquiritur, sed in cor-
„ de ". Quomodo autem Dæmon ad impatientiam nos impellat, exponit scribens: „ Adversarius bellum (g) contra duos mo-
„ vet, unum videlicet inflammans, ut contumelias prior inferat:
„ alterum vero provocans, ut contumelias læsus reddat. Sed quia
„ ejus jam victor extitit quem ad proferendas contumelias commo-
„ vit: contra illum acrius dolet, quem ad reddendas injurias com-
„ movere non potuit: unde fit, ut tota se virtute contra eum e-
„ rigat, quem contumelias fortiter pertulisse considerat ".

Ostendit proinde, quomodo etiam in pace Ecclesiæ Martyrum patientiam consequi possimus, scribens: „ Si adjuvante nos Do-
„ mino (h) virtutem patientiæ servare contendimus, & in pace
„ Ecclesiæ vivimus, & tamen martyrii palmam tenemus. Duo
„ quippe sunt martyrii genera, unum in mente, aliud in mente
„ simul & actione . . . Mori quippe a persequente, martyrium
„ in

(a) *Ibid. n.* 16. (b) *Ibid. n.* 18.
(c) *Ibid. n.* 1. (d) *Ibid. n.* 3.
(e) *Ibid. n.* 4. (f) *Ibid. n.* 5.
(g) *Ibid. n.* 6. (h) *Ibid. n.* 7.

„ in aperto opere est : ferre vero contumelias, odientem diligere ,
S. GREG. M. „ martyrium est in occulta cogitatione “. Confirmat autem in virture patientiæ anditores suos exemplo patientiæ Stephani Abbatis Monasterii juxta Reatinæ urbis mœnia , „ qui in virtute (*a*) „ patientiæ ita excreverat, ut eum sibi amicum crederet, qui sibi „ molestiæ aliquid irrogasset : reddebat contumeliis gratias ; si „ quod in ipsa sua inopia damnum ei fuisset illatum , hoc maximum lucrum putabat : omnes suos adversarios nihil aliud quam „ adjutores æstimabat “. Deinde narrat , quomodo in die mortis visi sunt Angeli ad eum ingredientes, unde concludit : „ Quibus hunc credamus, nisi sanctis Martyribus sociatum, quem at„ testantibus corporeis quoque oculis a beatis spiritibus constat es„ se susceptum “?

Denique hac hortatione homiliam claudit : „ Servate fratres in „ mente (*b*) patientiam, eamque cum res exigit , exercete in o„ peratione . Nullum vestrum ad odium proximi contumeliosa „ verba commoveant , nulla periturarum rerum damna pertur„ bent . . . Tolerate adversarios vestros ; sed ut fratres diligite , „ quos toleratis . Æterna præmia pro damnis temporalibus quæ„ rite. Nec quisque vestrum suis se viribus hanc implere posse „ confidat : sed obtinere precibus , ut ipse hanc qui imperat , „ præstet Christus Dominus noster .

Homil. 36. Habita est hæc homilia in Basilica BB. Apostolorum Philippi & Jacobi ad populum Dominica secunda post Pentecosten de Evangelio secundum Lucam cap. 14. a vers. 16. usque ad 24. ubi habetur parabola de homine qui fecit cœnam magnam . Primo quidem discrimen assignat inter carnales & spirituales delicias animarum , „ quod corporales deliciæ (*c*) cum non habentur , grave „ in se desiderium accendunt : cum vero habitæ eduntur , come„ dentem protinus in fastidium per satietatem vertunt . At con„ tra spiritales deliciæ cum non habentur , in fastidio sunt : cum „ vero habentur, in desiderio ; tantoque a comedente amplius e„ suriuntur, quanto & ab esuriente amplius comeduntur . In illis „ appetitus placet , experientia displicet : in istis appetitus vilis „ est, & experientia magis placet “.

Deinde in homine qui fecit cœnam magnam , Christum adumbratum dicit, „ qui satietatem (*d*) nobis dulcedinis internæ præ„ paravit . Qui vocavit multos , sed pauci veniunt : quia non„ nunquam ipsi qui ei per fidem subjecti sunt , æterno ejus con„ vivio male vivendo contradicunt “. In servo autem ab eo misso ad accersendos invitatos , se ipsum designatum dicit S. Pontifex scribens : „ Servus sum Domini patrisfamilias (*e*). Cum vos „ admoneo ad contemptum sæculi, invitare vos venio ad cœnam

„ Domi-

(a) *Ibid. n.* 8. (b) *Ibid. n.* 9.
(c) *Ibid. n.* 1. (d) *Ibid. n.* 2.
(e) *Ibidem*.

„ Domini. Nemo me propter me hoc in loco despiciat. Et si „ ad invitandum nequaquam dignus appareo, sed tamen magnæ „ sunt deliciæ quas promitto ". S. GREG. M.

Dementiam vero illorum, qui oblatas delicias respuunt, deplorat subdens: „ Sed quid agimus (*a*) qui hoc quod subjungitur, „ adhuc fieri a multis videmus? *Et cæperunt omnes simul excusa-* „ *re*. Offert Deus quod rogari debuit; non rogatus dare vult „ quod vix sperari poterat, quia dignaretur largiri postulatus, „ contemnitur: Paratas vero delicias refectionis æternæ denuntiat, „ & tamen simul omnes excusant ".

Explicat deinde futiles recusantium excusationes. Et in emente villam illos designatos dicit „ qui sola (*b*) exteriora cogitant „ propter substantiam ". In emptore bovum, curiosos dicit indicatos, „ qui interna comprehendere nesciunt, sed sola exteriora „ cognoscunt, & deserentes intima, ea quæ extra sunt, tangunt ". In illo vero qui uxorem se duxisse dicit, carnis voluptatem (*c*) sectantes indicatos dicit. Prima itaque excusatio est avarorum; secunda curiosorum: tertia deditorum carnalibus voluptatibus, unde scribit: „ Ad cœnam vos æterni convivii summus paterfamilias invitat; sed dum alius avaritiæ, alius curiositati, alius voluptati carnis est deditus, nimirum reprobi simul omnes excusant ".

In aliis vero, loco recusantium, invitatis agnoscit S. Pontifex illos quos despicit mundus; „ quia (*d*) plerumque ipsa despectio „ hominem revocat ad semetipsum". Gentiles etiam indicatos putat, quia licet „ multi (*e*) ad cœnam dominicam ex Judæa col- „ lecti sunt, sed multitudo quæ ex Israelitico populo credidit, lo- „ cum superni convivii non implevit, sed adhuc locus vacat in re- „ gno, ubi suscipi debeat numerositas Gentium . . . Nam cum de „ vicis & plateis ad cœnam quosdam Dominus invitat, designat „ Gentilem populum ".

Illos vero ad intrandum compulsos dicit, qui temporalibus adversitatibus, vel longa ægritudine tabescentes, vel afflicti injuriis (*f*) ad Deum corda convertunt. Hinc adversitatum utilitates ad procurandam peccatorum conversionem ostendit. Reprobos vero dicit signatos in illis de quibus dixit Dominus: *Nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam*. Quamobrem sic auditores hortatur: „ Ecce vocat per se (*f*), vocat per Angelos, „ vocat per Patres, vocat per Prophetas, vocat per Pastores, vo- „ cat etiam per nos, vocat plerumque per miracula, vocat plerum- „ que per flagella, vocat aliquando per hujus mundi prospera, „ vocat aliquando per adversa. Nemo contemnat, ne dum voca- „ tus

(a) *Ibid. n.* 3. (b) *Ibid. n.* 4.
(c) *Ibid. n.* 5. (d) *Ibid. n.* 7.
(e) *Ibid. n.* 8. (f) *Ibid. n.* 9.
(g) *Ibid. n.* 10.

S.GREG. M. „ tus excusat, cum voluerit intrare non valeat, de quibus dictum „ est: *Tunc invocabunt me, & non exaudiam, mane consurgent, „ & non invenient me* (*a*)".

Homil. 37. In Basilica beati Sebastiani martyris ad populum habita est hæc homilia in die ejus natali, in qua exponitur Evangelium S. Lucæ cap. 14. a vers. 26. usque ad 33. ubi sermo habetur de odio habendis etiam parentibus, & Christo sequendo. Et primo ostendit, ex consideratione beatitudinis hæc omnia terrena vilescere, unde scribit: „ Quæ lingua (*b*) dicere, vel quis intellectus capere sufficit illa supernæ civitatis quanta sint gaudia, Angelorum choris „ interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ Conditoris assistere, „ incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari? Ad hæc audita inardescit animus, jamque illic cupit assistere, ubi se sperat sine fine gaudere. Sed ad magna præmia perveniri non potest, nisi per magnos labores".

Declarat postea qua discretione propinquos, & parentes & odisse debeamus, & diligere, scribens: „Simul & odisse & diligere (*c*) „ per discretionem valemus, ut eos qui carnis cognatione nobis „ conjuncti sunt, & quos proximos novimus, diligamus, & quos „ adversarios in via Dei patimur, odiendo & fugiendo nesciamus". Similiter docet, quomodo & animam nostram odisse possumus, scribens: „ Tunc bene animam (*d*) nostram odimus, „ cum ejus carnalibus desideriis non acquiescimus, cum ejus appetitum frangimus, & ejus voluptatibus reluctamur". Quod confirmat exemplo S. Pauli qui dicebat: *Ego non solum alligari, „ sed & mori in Jerusalem paratus sum pro nomine Domini Jesu Christi: nec facio animam meam pretiosiorem quam me* (*e*): unde subdit: „ Ecce quomodo (*f*) animam suam amando oderat, immo odiens amabat, quam cupiebat pro Jesu morti tradere, ut „ hanc ad vitam de peccati morte suscitaret".

Modum autem ferendæ crucis Christi exponit scribens: „ Crucem Domini (*g*) bajulamus, cum aut per abstinentiam, carnem „ afficimus, aut per compassionem proximi necessitatem illius nostram putamus. Qui enim dolorem exhibet in aliena necessitate, crucem portat in mente". Addit tamen non sufficere Crucem portare, sed & oportere Christum sequi, unde scribit: " Bajulare crucem & post Dominum ire, est vel carnis abstinentiam, vel compassionem proximo pro studio æternæ intentionis „ exhibere. Nam quisquis hæc pro temporali intentione exhibet, crucem quidem bajulat, sed ire post Dominum recusat". Parabolam vero exponens de Rege ex æquo veniente (*f*) ad præ-

(a) *Prov.* 1. 28. (b) *Ibid. n.* 1.
(c) *Ibid. n.* 2. (d) *Ibidem.*
(e) *Act.* 21. 13. (f) *Ibid. n.* 3.
(g) *Ibid. n.* 5. (h) *Ibid. n.* 6.

prælium, qui tamen perpendens se non posse sufficere, legationem mittit, & ea quæ pacis sunt, postulat, ostendit & nos illius prudentiam imitari debere, qui contra duplicem inimicum, interiorem scilicet, & exteriorem sufficere non posse conspicientes, legationem mittamus, & rogemus ea quæ pacis sunt. Quid autem mittere debeamus, declarat subdens: „ Mittamus (*a*) ad hunc legationem „ lacrymas nostras, mittamus misericordiæ opera, mactemus in „ ara ejus hostias placationis, cognoscamus nos cum eo in judicio „ non posse contendere: pensemus virtutem ejus fortitudinis... Hæc „ est nostra legatio, quæ regem venientem placat ". Et hic quasi occasionem nactus de efficacia sacrificii Missæ loquitur, & hoc ad hanc legationem mittendum dicit. Illius itaque effectum ostendit duplici exemplo. Primum scilicet cujusdam mariti in captivitatem deducti, pro quo uxor ejus, qui eum fato functum arbitrabatur, hebdomadibus singulis hostias (*b*) curabat offerre, cujus toties „ vincula solvebantur in captivitate, quoties ab ejus conjuge obla„ tæ fuissent hostiæ pro animæ ejus absolutione ". Alterum Cassii Narniensis Ecclesiæ Episcopi, cui mos erat quotidianas Deo hostias offerre . . . cui sacrificio etiam valde concordabat vita, & cui nuntiatum fuit a quodam Presbytero ad hoc nuntium afferendum etiam plagis & verberibus coacto, sibi mandatum fuisse in visione ut diceret S. Episcopo: „ Age quod agis (*c*), operare „ quod operaris, non cesset manus tua, non cesset pes tuus: na„ tali Apostolorum venies ad me, & retribuam tibi mercedem „ tuam ": qui revera non eo quidem anno, sed post nuntium septimo spiritum emisit, sicque sancta illa anima ad gaudia æterna perveniens a carnis corruptione soluta est. S.Greg. M.

Habita est hæc homilia ad populum in Basilica beati Clementis martyris de Evangelio secundum Matthæum cap. 22. a vers. 1. usque ad 13. ubi sequitur parabola Regis qui nuptias fecit filio suo. Et quidem primo dicit, nomine regni cælorum plerumque in sacro eloquio designari Ecclesiam Dei (*d*). Rex autem, qui nuptias facit filio Regis, est Deus Pater qui Deo filio suo nuptias fecit (*e*), quando hunc in utero Virginis humanæ naturæ conjunxit. „ Vel apertius atque securius (subdit) dici potest, quia „ in hoc Pater Regi filio nuptias fecit, quo ei per incarnationis „ mysterium sanctam Ecclesiam sociavit. Uterus autem Virginis „ hujus sponsi thalamus fuit ". Homil. 38.

In tauris & altilibus ad convivium porrectis designatos dicit novi & veteris Testamenti Patres (*f*), quod late & allegorice explicat. In invitatis vero & venire recusantibus illos designatos dicit qui vocationis gratiam vel respuunt, vel etiam persequuntur (*g*),

(a) *Ibid. n.* 7. (b) *Ibid. n.* 8.
(c) *Ibid. n.* 9. (d) *Ibid. n.* 2.
(e) *Ibid. n.* 3. (f) *Ibid. n.* 4.
(g) *Ibid. n.* 5.

S. GREG. M.

proinde æternæ gehennæ flamma non in anima ſolum, ſed & in corpore cruciandi.

Ad nuptias autem conveniſſe & bonos, & malos dicit, „ quia „ (*a*) per has regis nuptias præſens Eccleſia deſignatur, in qua „ cum bonis & mali conveniunt ". Immo arbitratur multo plures eſſe malos quam bonos, reprobos quam electos, quod probat primo ex ſimilitudine Arcæ Noe (*b*) & areæ „ in cujus tritura „ pauca ſunt grana, quæ ſervantur horreis, & grandes acervi palearum qui ignibus comburuntur ". Hinc infert quam verum ſit Evangelii dictum: *Multi ſunt vocati, pauci vero electi*. Proinde " tremendum valde eſt (ſubdit) hoc quod (*c*) audivimus. „ Ecce omnes jam vocati per fidem ad cæleſtis Regis nuptias ve„ nimus . . . Quia vocati ſumus, novimus: ſi ſumus electi, ne„ ſcimus. Nám alter pene totam vitam ducere in pravitate con„ ſpicitur, ſed juxta finem vitæ per diſtrictæ lamenta pœnitentiæ „ revocatur: alter electam videtur ducere vitam, & tamen hunc „ contingit ad erroris nequitiam juxta finem vitæ declinare ". Quam veritatem confirmat exemplo domeſtico trium ſororum Patris ſui, Tharſillæ, Gordianæ, & Æmilianæ, quæ (*d*) omnes ardore converſæ uno eodemque tempore ſacratæ, ſub diſtrictione regulari degentes, in domo propria ſocialem vitam ducebant. At harum binæ, Tharſilla ſcilicet, & Æmiliana in ſancto propoſito perſeverantes, felici morte temporalem vitam cum æterna commutarunt. At Gordiana a ſancto propoſito ſenſim ſine ſenſu recedens, oblita Dominici timoris, oblita pudoris & reverentiæ, oblita conſecrationis, conductorem agrorum ſuorum poſtmodum maritum duxit. Alterum ex oppoſito exemplum affert cujuſdam monachi monaſterii SS. Joannis & Pauli Romæ, „ qui (*e*) vixit levis elo„ quio, pravus actione, cultus veſtibus, moribus incultus; ferre „ non poterat ſi quiſquam illi de ſancti habitus converſatione lo„ queretur . . . Aſpernabatur valde ſi quis ſibi aliquid de pravi„ vitatis ſuæ correctione loqueretur. Bona non ſolum facere, ſed „ etiam audire non poterat. Nunquam ſe ad ſanctæ converſationis „ habitum venire, jurando, iraſcendo, deridendo teſtabatur . . . „ Perductus eſt ad mortem, & cum jam moriturus eſſet, cœpit „ clamare fratribus orantibus pro eo: Recedite, recedite: ecce draconi „ ad devorandum datus ſum, qui propter veſtram præſentiam devo„ rare me non poteſt. Caput meum jam in ſuo ore abſorbuit. . . „ Cumque fratres hoc audirent, proſtrati in terra cum lacrymis „ cœperunt pro ereptione illius vehementius orare. Et ecce ſubi„ to cœpit melioratus æger quibus valebat vocibus exultare, di„ cens: Gratias Deo; ecce draco qui me ad devorandum accepe„ rat, fugit: orationibus veſtris expulſus, ſtare non potuit. Pro

„ pec-

(a) *Ibid. n.* 7. (b) *Ibid. n.* 8.
(c) *Ibid. n.* 14. (d) *Ibid. n.* 15.
(e) *Ibid. n.* 16.

„ peccatis meis modo intercedite, quia converti paratus sum .... „ & revera reservatus ad vitam toto ad Deum corde conversus „ est “. S.GREG. M.

In Basilica S. Joannis, quæ Constantiniana dicitur, habita est hæc homilia ad populum de lectione Evangelii secundum Lucam cap. 19. vers. 41. usque ad 47. ubi narratur fletus Christi supra Jerusalem. Observat itaque primo, Judææ eversionem a Christo prædictam illam esse, quæ a Vespasiano & Tito Romanis Principibus facta est. Deinde ad moralem sensum transcurrens in Jerusalem subversione, animarum perditionem præfiguratam agnoscit scribens: „ Christus (*a*) semel flevit, cum perituram esse civitatem nuntia- „ vit. Hoc quotidie Redemptor noster per electos suos agere „ nullatenus cessat, cum quosdam ex bona vita ad mores repro- „ bos pervenisse considerat. Plangit enim eos qui nesciunt cur „ plangantur .... qui si damnationem quæ eis imminet, agno- „ vissent, semetipsos cum lacrymis electorum plangerent “. Sed hæc abscondita est ab oculis ejus, quia „ perversa anima rebus „ præsentibus dedita, in terrenis voluptatibus resoluta, abscondit „ sibi mala sequentia, quia prævidere futura refugit, quæ præsen- „ tem lætitiam perturbant: dumque in præsentis vitæ oblectatio- „ nibus se deserit, quid aliud quam clausis oculis ad ignem va- „ dit “? Homil. 39.

Inimici animam angustantes, sunt „ maligni spiritus, qui (*b*) „ undique animam angustant, quando ei non solum operis, verum „ etiam locutionis, atque insuper cogitationis inquitates replicant, „ ut quæ prius se per multa dilatavit in scelere, ad extremum de „ omnibus angustetur in retributione “.

Progrediens postea ad Christum ejicientem vendentes de templo, scribit: „ Vendentes (*c*) in templo sunt, qui hoc quod quibus- „ dam jure competit, ad præmium largiuntur. Justitiam enim ven- „ dere, est hanc pro præmii acceptione servare. Ementes vero in „ templo sunt, qui dum hoc persolvere proximo quod justum est „ nolunt, dumque rem jure debitam facere contemnunt, dato pa- „ tronis præmio emunt peccatum “.

Regrediens postea ad angustias animæ peccatricis, eam hortatur, ut horam mortis ante oculos semper habeat, de qua scribit: Cogitandum est, „ quantum (*d*) erit terribilis hora nostræ resolutionis, qui pavor „ mentis, quanta tunc omnium malorum memoria, quæ oblivio „ transactæ felicitatis, quæ formido & consideratio judicis. Quid „ ergo esse nobis de præsentibus ad delectationem debet, quando „ cunctis simul transeuntibus non valet transire, quod imminet? „ quando & hoc funditus finitur, quod diligitur, & illud incipi- „ tur, ubi dolor numquam finitur? Tunc maligni spiritus in e-

L 2 „ gre-

(a) *Ibid. n.* 3. (b) *Ibid. n.* 4.
(c) *Ibid. n.* 6.
(d) *Ibid. n.* 8.

S. GREG. M. „ grediente anima, sua opera requirunt; tunc mala quæ suaserunt, „ replicant, ut sociam ad tormenta trahant “.

Denique homiliam claudit hortans nos, ut per fidem & bona opera Christo adhæreamus scribens: „ Constat enim (*a*), nec negare possumus, sed veraciter fatemur, quia princeps hujus mundi habet in nobis multa: sed tamen mortis nostræ tempora jam „ nos rapere non valet, quia ejus membra effecti sumus, in quo „ non habet quidquam. Sed quid prodest quod eidem Redemptori „ nostro per fidem jungimur, si ab eo moribus disjungamur? Ipse „ enim dicit: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum* (*b*). Recta ergo opera rectæ fidei „ jungenda sunt. Mala quæ fecimus per quotidiana lamenta diluamus: transactas nostras nequitias surgentia ab amore Dei & „ proximi recta opera superent, nulla quæ possumus fratribus impendere bona recusemus “.

Homil. 40. Habita est hæc homilia ultima ad populum in Basilica S. Laurentii martyris Dominica secunda post Pentecostem de Evangelio secundum Lucam cap. 16. a vers. 19. usque ad 31. in quo parabola recitatur de divite Epulone, & Lazaro paupere & mendico. Totam parabolam allegorice exponit. Divitem dicit esse Judaici populi typum, qui acceptæ Legis deliciis (*c*) ad nitorem, non ad utilitatem usus est. Lazarum vero Gentilem populum figuraliter exprimere, qui dum conversus ad Deum peccata sua confiteri non erubuit, huic vulnus in cute fuit. Per canes lingentes pauperis ulcera, sacros Doctores intelligit scribens: „ Canum etenim lingua vulnus dum lingit, curat: quia & Doctores sancti dum in confessione peccati nostri nos instruunt, quasi vulnus mentis per linguam tangunt: & quia nos loquendo a peccatis eripiunt, quasi „ tangendo vulnera ad salutem reducunt “.

Explicat vero, quomodo hic in sæculo bona haberi possint absque salutis detrimento, scribens: „ Habere hic possunt (*d*) & justi „ bona, nec tamen hæc in recompensatione recipere: quia dum „ meliora, idest æterna appetunt, eorum judicio quælibet bona „ adfuerint, cum sanctis desideriis æstuant, bona minime videntur. „ Unde David Propheta, qui regni divitiis, multisque obsequiis „ fulciebatur, quamvis & hæc ad necessitatem bona esse conspiceret, uni tamen singulariter bono inhianter æstuabat, dicens: *Mihi autem adhærere Deo bonum est* (*e*).

Observat, divitem non ideo pœna mulctatum, quia aliena diripuit, sed quia propria non est largitus: quamobrem scribit: „ Nemo (*f*) ergo securum se æstimet dicens: Ecce aliena non rapio, „ sed concessis licite rebus fruor: quia dives iste non idcirco punitus est, quoniam aliena abstulit: sed quia acceptis rebus semet- „ ipsum

(a) *Ibid. n.* 9. (b) *Matth.* 7. 21.
(c) *Ibid. n.* 2. (d) *Ibid. n.* 2.
(e) *Psal.* 72, 28. (f) *Ibid. n.* 3.

„ ipſum male dereliquit “ . Punitum etiam ob cultum pretioſarum veſtium, unde ſcribit: „ Sunt nonnulli qui cultum ſubtilium „ pretioſarumque veſtium non putant eſſe peccatum. Quod ſi vi- „ delicet culpa non eſſet, nequaquam ſermo Dei tam vigilanter „ exprimeret, quod dives qui torquetur apud inferos, byſſo & „ purpura indutus fuiſſet. Nemo quippe veſtimenta præcipua niſi „ ad inanem gloriam quærit, videlicet ut honorabilior cæteris eſſe „ videatur “. S.Greg. M.

In utriuſque divitis & pauperis unione, Dei judicium commendat ſcribens: „ Plenus ulceribus (*a*) mendicus Lazarus ante ja- „ nuam divitis jacet. Qua de re una Dominus duo judicia explevit . . . nam ex viſione pauperis, non miſerenti diviti cumulum „ damnationis intulit, & rurſum ex viſione divitis tentatum quo- „ tidie pauperem probavit . . . . & Lazarum pauperem ante ja- „ nuam divitis jacere permiſit, ut & dives impius damnationis „ ſibi augeret ultionem, & tentatus pauper creſceret ad remunera- „ tionem “.

Juſtum etiam agnoſcit Dei Judicium in pœna divitis, ſcribens: „Quia „ in hac vita (*b*) Lazarus cadentes micas de menſa divitis quærebat, „ & nemo illi dabat: nunc de ſupplicio divitis dicitur, quia de ex- „ tremo digito Lazari diſtillari aquam in ore ſuo concupiſcit. Hinc „ ergo, hinc fratres, colligite quanta ſit diſtrictio ſeveritatis Dei “.

Beatos vero nulla erga damnatos commiſeratione moveri docet, ſcribens: „ Juſtorum (*c*) animæ quamvis in ſuæ naturæ bonitate „ miſericordiam habeant, jam tunc auctoris ſui juſtitiæ conjunctæ, „ tanta rectitudine conſtringuntur, ut nulla ad reprobos compaſſio- „ ne moveantur. Ipſi quippe judici concordant, cui inhærent, & „ eis quos eripere non poſſunt, nec ex miſericordia condeſcen- „ dunt . . . . Hinc juſti (*d*) in tormentis ſemper intuentur inju- „ ſtos, ut hinc eorum gaudium creſcat, quia malum conſpiciunt „ quod miſericorditer evaſerunt: tantoque majores ereptori ſuo „ gratias referunt, quanto vident in aliis quod ipſi perpeti, ſi eſ- „ ſent relicti, potuerunt “.

Hortatur denique auditores ſuos, ut apud Deum pauperes interceſſores adhibeant, ſcribens: „ Vos & requiem Lazari (*e*) & pœ- „ nam divitis cognoſcentes, ſolerter agite, culparum veſtrarum in- „ terceſſores quærite, atque advocatos vobis in die judicii paupe- „ res procurate . . . Ecce importune ſe pauperes offerunt, rogant „ nos, qui tunc pro nobis interceſſores venient. Certe nos omni- „ no rogare debuimus, ſed tamen rogamur . . . Nolite ergo mi- „ ſericordiæ tempora perdere, nolite accepta remedia diſſimula- „ re “. Homiliam claudit narrata vita, & pretioſa morte cujuſdam Romulæ (*f*) ſanctimonialis, quæ licet vilis & pauper, in

(a) *Ibid. n.* 4. (b) *Ibid. n.* 5.
(c) *Ibid. n.* 7. (d) *Ibid. n.* 8.
(e) *Ibid. n.* 10. (f) *Ibid. n.* 11.

S.GREG. M. infirmitatibus oppressa semper pietatem & patientiam coluit; unde meruit choris Angelorum cantantium & psallentium ad cælum evocari, eoque deduci.

Homilias sequitur S. Gregorii Oratio de mortalitate ad populum Romanum habita paulo post mortem Pelagii Pontificis, quando lues, quæ tantum Pontificem sustulerat, adhuc violenter grassabatur. Hanc Orationem nobis servaverunt & S. Gregor. Turonensis (*a*), & Paulus Diaconus (*b*), & Joannes pariter Diaconus (*c*). Sic itaque exorditur. „ Oportet, fratres carissimi, ut flagella Dei quæ metuere „ ventura debuimus, saltem præsentia & experta timeamus. Con„ versionis nobis aditum dolor aperiat, & cordis nostri duritiam ipsa „ jam quam patimur pœna dissolvat... Ecce cuncta plebs cælestis „ iræ mucrone percutitur, & repentina singuli cæde vastantur. „ Nec languor mortem prævenit, sed & languoris moras, ut cer„ nitis, mors ipsa præcurrit. Percussus quisque ante rapitur, quam „ ad lamenta pœnitentiæ convertatur. Pensate ergo qualis ad con„ spectum districti judicis pervenit, cui non vacat flere quod fecit. „ Habitatores quippe non ex parte subtrahuntur, sed pariter cor„ ruunt. Domus vacuæ relinquuntur, filiorum funera parentes „ aspiciunt, & sui eos ad interitum hæredes præcedunt. Unus„ quisque ergo nostrum ad pœnitentiæ lamenta confugiat, dum „ flere ante percussionem vacat. Revocemus ante oculos mentis „ quidquid errando commisimus: & quod nequiter egimus, flendo „ puniamus... Dat profecto, dat tremori nostro fiduciam, qui per „ Prophetam clamat: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur* „ *& vivat* (*d*). Nullus autem de iniquitatum suarum immani„ tate desperet. Veternosas namque Ninivitarum culpas triduana „ pœnitentia abstersit, & conversus latro vitæ præmia etiam in „ ipsa sententia suæ mortis emeruit . . . Ipse sibi testis est, quia „ invocantibus misereri desiderat, qui monet, ut invocetur". Denique Orationem claudit suadens: „ Nullus vestrum ad terrena ope„ ra in agros exeat, nullus quodlibet negotium agere præsumat": sed omnes ad litanias & supplicationes accedant eo modo & ordine quo ibi statuit.

Dialogorum libri Tom. 6. Edit. Ven. Dialogorum libros genuinum esse S. Gregorii Magni fœtum ex sola ipsorum lectione luculenter apparet, & nullus ex antiquis Scriptoribus umquam de eorum veritate dubitavit; solum postremo sæculo quidam intemperantioris critices viri levibus, futilibusque argumentis seu potius conjecturis, aut omnino repudiarunt, aut certe S. Gregorio abjudicarunt. Sed ex ipsis Dialogorum libris apparet primo, illorum Scriptorem Monachum fuisse (*e*), & quidem in Roma-

(a) *Lib.* 10. *cap.* 1.
(b) *Lib.* 3. *hist. Longobard. cap.* 25.
(c) *In vita lib.* 1. *n.* 42.
(d) *Ezech.* 33. 11.
(e) *In Prolog. Dialog. & lib.* 3. *cap.* 33.

Romano monasterio quod ipse construxerat. Secundo, in præfato monasterio Abbatem & Superiorem fuisse (*a*). Tertio, Apocrisarii provinciam Constantinopoli obiisse (*b*), Romanum Pontificem electum fuisse, cum Pelagium Papam suum antecessorem appellet (*c*). Plures ad populum homilias in Evangelia Romæ sedentem habuisse (*d*). Quæ omnia nullus est qui statim non perspiciat ita S. Gregorio convenire, ut nulli alteri valeant attribui. S. GREG. M.

Nec movent quæ proferunt argumenta, primo scilicet, incredibile videri, sapientissimum Pontificem tot miraculis & visionibus hæc volumina replevisse. Verum si quid hoc argumentum valeret, evinceret, nec quadraginta ad populum habitas ab illo fuisse homilias, cum in pluribus ex illis & visiones narrentur, & miracula quæ in ipsis Dialogis repetuntur. Similiter & plura leguntur tum in ejus epistolis (*e*), tum in libro moralium in Job (*f*) miracula patrata a claviculis quæ SS. Apostolorum corpora tetigere, & a Monachis ab ipso in Angliam ad Evangelium prædicandum missis. Immo rejicienda forent aliorum Patrum scripta, Tertulliani, S. Cypriani, S. Athanasii, S. Hilarii, S. Severi Sulpitii, nec non plura acta Martyrum, puta SS. Felicitatis & Perpetuæ, S. Fructuosi, nec non Evagrii, Procopii, Agathiæ historias & narrationes, cum & in illis omnibus & visiones & miracula recenseantur. Et quis tamen unquam vel Tertulliano libros de Idololatria, & de spectaculis, vel S. Cypriano libros de Mortalitate & de Lapsis, aut Sulpicio Severo Dialogos, aut S. Athanasio S. Ambrosii vitam vel subtraxit, vel denegavit, vel tantum in dubium revocavit? Acta quoque SS. Perpetuæ & Felicitatis ceu legitima ab omnibus eruditis habentur. Denique in libris tum veteris, tum novi Testamenti plura enarrantur miracula, quæ omni verisimilitudine carere videntur, & tamen ex infallibili divino testimonio ab omnibus creduntur.

Cæterum in his Dialogis Gregorius ea gesta refert, vel quibus ipse interfuerat, vel quæ a locupletibus testibus acceperat, nimirum a sanctissimis Episcopis fuci prorsus expertibus, & ab integerrimæ vitæ Monachis, aut monasteriorum Præfectis, vel a viris nobilibus, & ingenuis. Exaratis hisce libris, eos Theodelindæ Reginæ obtulit, queis ipsa usa est ad suos subditos partim Arianos, partim Gentiles ad Catholicam fidem revocandos. Pleraque miracula in Dialogorum libris narrata ipsa spectante Longobardorum gente patrata sunt, quæ nisi certo constitissent, omniumque fuissent calcu-

 lo com-

(a) *Dialog. lib.* 4. *c.* 8.
(b) *Ibid. lib.* 3. *c.* 36.
(c) *Ibid. lib.* 7. *c.* 51.
(d) *Ibid. lib.* 4. *c.* 14. 15.
(e) *Lib.* 11. *c.* 28.
(f) *Lib.* 27. *c.* 6.

S. GREG. M. lo comprobata, Longobardos, quos Gregorius urſis magis quam hominibus propter ferocitatem aſſimilat, irritaſſent, majorique quam antea odio in Catholicam fidem, Eccleſiamque Romanam exarſiſſent. Contrarium autem contigiſſe refert ex eadem gente Paulus Diaconus (*a*), ſcilicet Agilulphum Regem, cæteris fere ejus exemplum ſequentibus, catholicam fidem amplexum eſſe, Eccleſiis adempta bona reſtituiſſe, Epiſcopiſque debitum honorem impendiſſe.

Tempus vero, quo Dialogos exaravit, dignoſci poteſt ex his quæ ſcribit (*b*) de quodam facto ab eo narrato; ſcilicet contigiſſe in eo mortalitatem, quæ ante triennium hanc urbem vehementiſſima clade vaſtavit: ſcribebat itaque Dialogos quarto ſui Pontificatus anno, ideſt anno 593. vel ad ſummum, ut nonnullis placet, anno inſequenti 594. Occaſionem ſcribendorum Dialogorum pandit ipſe Gregorius in epiſtola ad Maximianum Syracuſanum, ſcribens: „ Fratres mei, qui mecum familiariter vivunt, omni modo me „ compellunt aliqua de miraculis Patrum, quæ in Italia facta au- „ divimus, ſub brevitate ſcribere. Ad quam rem ſolatio veſtræ „ caritatis vehementer indigeo, ut ea quæ vobis in mente re- „ deunt, mihi breviter indicetis “. Cui operi ut etiam tranquillius incumberet, ſeceſſum quæſivit, ut ipſe narrat ſcribens: „ Quadam die (*c*) nimiis quorumdam ſæcularium tumultibus de- „ preſſus, quibus in ſuis negotiis plerumque cogimur ſolvere etiam „ quod nos certum eſt non debere, ſecretum locum petii amicum „ mœroris (monaſterium ſcilicet S. Andreæ), ubi omne quod de „ mea mihi occupatione diſplicebat, ſe patenter oſtenderet .... „ Ibi itaque cum afflictus valde, & diu tacitus ſederem, dilectiſ- „ ſimus filius meus Petrus Diaconus adfuit, mihi a primævo ju- „ ventutis flore amicitiis familiariter obſtrictus, atque ad ſacri ver- „ bi indagationem ſocius. Qui gravi excoqui cordis languore me „ intuens, ait: Numquidnam novi tibi aliquid accidit, quod plus „ te ſolito mœror tenet? Cui inquam: Mœror, Petre, quem „ quotidie patior, & ſemper mihi per uſum vetus eſt, & ſemper „ per augmentum novus. Infelix quippe animus meus occupatio- „ nis ſuæ pulſatus vulnere, meminit qualis aliquando in monaſte- „ rio fuit: quomodo ei labentia cuncta ſubter erant; quantum re- „ bus omnibus quæ volvuntur, eminebat; quod nulla niſi cæleſtia „ cogitare conſueverat; quod etiam retentus corpore, ipſa jam „ carnis clauſtra contemplatione tranſibat; quod mortem quoque, „ quæ pene cunctis pœna eſt, videlicet ut ingreſſum vitæ & labo- „ ris ſui præmium amabat. At nunc ex occaſione curæ paſtoralis „ ſecularium hominum negotia patitur, & poſt tam pulchram quie- „ tis ſuæ ſpeciem, terreni actus pulvere fœdatur. Cumque ſe pro

„ con-

(a) *Lib. 4. de geſt. Longob. c. 9.*
(b) *Dial. lib. 4. c. 26.*
(c) *In Prolog. Dial.*

„ condescensione multorum ad exteriora sparserit, etiam cum inte- „ riora appetit, ad hæc proculdubio minor redit. Perpendo ita- „ que quod tolero, perpendo quod amisi. Dumque intueor illud „ quod perdidi, fit hoc gravius quod porto . . . Quodque adhuc „ gravius est, vix jam portum videre valeo quod reliqui ... Non- „ nunquam vero in augmentum mei doloris adjungitur, quod quo- „ rumdam vita qui præsens sæculum tota mente reliquerunt, mihi „ ad memoriam vocatur. Quorum dum culmen aspicio, quan- „ tum ipse in infimis jaceam agnosco". Ad hæc respondit Pe- trus: „ Non valde in Italia aliquorum vitam virtutibus fulsisse co- „ gnovi: ex quorum igitur comparatione accenderis ignoro. Et „ quidem bonos viros in hac terra fuisse non dubito, signa tamen „ atque virtutes aut ab eis nequaquam facta existimo, aut ita sunt „ hactenus silentio suppressa, ut utrumne sint facta nesciamus". At illi respondit Gregorius. „ Si sola, Petre, referam, quæ de „ perfectis probatisque viris unus ego homuncio vel bonis ac fide- „ libus viris attestantibus agnovi, vel per memetipsum didici, dies, „ ut opinor, ante quam sermo, cessabit". Deinde refert postula- tum a Petro, ut quæ sciret facta mirabilia narraret ad eorum uti- litatem, „ qui ad amorem patriæ cælestis plus exemplis quam præ- „ dicationibus accenduntur". Petri postulationi se annuere dicit S. Gregorius, & ea aggredi narrare quæ illi erant „ virorum ve- „ nerabilium narratione comperta . . . sed (subdit) ut dubitatio- „ nis occasionem legentibus subtraham, per singula quæ describo, „ quibus hæc auctoribus mihi comperta sint manifesto . . . in qui- „ busdam sensum solummodo, in quibusdam vero & verba cum „ sensu teneo: quia si de personis omnibus ipsa specialiter verba „ tenere voluissem, hæc rusticano usu prolata stylus scribentis non „ apte susciperet". S.GREG. M.

Totum itaque Dialogorum Opus quatuor libris exponitur, in quibus semper cum Diacono Petro se loqui ostendens sanctorum vitas, gesta, & miracula narrat.

Librum itaque primum exorditur a vita & miraculis Honorati Abbatis monasterii Fundensis. Fundi Civitas est Episcopalis Italiæ in Samnii partibus. In eo ducentorum ferme Monachorum Pater extitit, ibique vita illius circumquaque (*a*) exempla eximiæ conversationis dedit. Nam multa ejus miracula narrat, & præcipue ingentis saxi, quod per devexum montis latus veniens, totius ruinam cellæ, omniumque fratrum interitum minabatur. Cui ruenti extensa dextera signum crucis opposuit, illudque in ipso devexi montis latere cadens fixit . . . & quia locus non fuerat quo inhærere potuisset, aspicitur ita, ut hucusque montem cernentibus, casurum pendere videatur. Obiit vero circa annum 550. Dialogorum Lib. primus.

Hujus discipulus fuit Libertinus ejusdem monasterii Præpositus

(a) *Ibid. c.* 1.

tus (*a*), qui Totilæ Regis Gothorum temporibus se patientia & S. GREG. M. temporalium rerum contemptu clarum reddidit. Hic enim, dum Darida Gothorum Dux cum exercitu in loco eodem venisset, cum ex caballo in quo sedebat, ab hominibus ejus projectus esset, jumenti perditi damnum libenter ferens, etiam flagellum quod tenebat, diripientibus obtulit dicens: Tollite, ut habeatis qualiter hoc jumentum minare possitis. Narrat deinde ab eo a morte suscitatum puerum cujusdam mulieris, quæ tantum miraculum ab eo cum juramento expetierat dicens; Nullatenus recedes, nisi filium meum suscitaveris. Sed ejus mansuetudinem & humilitatem magis imitandam dicit.

Sequitur narrata vita Hortulani Monachi ejusdem monasterii, qui tantæ virtutis fuit, qui inveniens hortum a furibus conculcatum, atque direptum, serpenti deprehenso in horto præcipiens dixit: Sequere me (*b*), & ad aditum furis perveniens, imperavit serpenti, dicens: In nomine Jesu præcipio tibi ut aditum custodias, ac furem huc ingredi non permittas, qui implevit quod jussit & latronem deprehensum tenuit, donec monachus hortulanus veniret, qui hora consueta veniens, & videns furem detentum dixit primum serpenti: Gratias Deo, implesti quod jussi: recede modo. Furi autem ait . . . Quare in labore monachorum furtum toties facere præsumpsisti? . . Deinde secum blande deducens, olera quæ furto appetebat auferre, ei cum magna dulcedine præbuit, dicens: Vade, & post hæc furtum non facias: sed cum necesse habes, huc ad me ingredere, & quæ tu cum peccato laboras tollere, ego tibi devotus dabo.

Equitii deinde gesta narrat, quomodo magnæ sanctitatis vir fuerit & Abbas (*c*) ac Pater multorum monasteriorum in Valeriæ provinciæ partibus extiterit, qui cum juventutis suæ tempore acri certamine carnis fatigaretur, ad Deum oratione confugiens & liberationem petens, per visionem de concessa gratia certior factus est: nam nocte quadam assistente Angelo eunuchizari se vidit, ejusque visioni apparuit, quod omnem motum ex genitalibus ejus membris abscinderet: atque ex eo tempore ita alienus extitit a tentatione, ac si sexum non haberet in corpore. Narrat viris simul & mulieribus præfuisse: Magi cujusdam monachi hypocrisim detexisse, qui postea Romæ vivus combustus est: Ancillam febricitantem verbo sanasse, & Virginem a Dæmonio liberasse: & licet sacris ordinibus non initiatum, tamen tanto fervore prædicasse, ut corda audientium ad amorem patriæ cælestis excitaret, & de hoc apud Pontificem postulatus quasi ministerium sibi minime conveniens usurparet, a Pontifice divinitus admonito, illum in officio prædicationis perseverare concessum est.

Sequi-

(a) *Ibid. c.* 2. (b) *Ibid. c.* 3.
(c) *Ibid. c.* 4.

Sequitur vita Constantii Mansionarii Ecclesiæ S. Stephani Urbis Anconæ, qui funditus terram despiciens (*a*) toto annisu mentis ad sola cælestia flagrabat. Hic cum oleum deesset, unde lampades accenderet, eas replevit aqua, atque ex more in medio papyrum posuit: quas allato igne succendit, sicque aqua arsit in lampadibus ac si oleum fuisset. S.GREG. M.

De Marcellino autem Anconitanæ urbis Episcopo narrat quod cum civitas Anconæ succensa esset, & vehementer arderet, ac omnes concurrerent ut ignem extinguerent (*b*), sed illis aquam certatim projicientibus ita crescebat flamma, ut jam totius urbis interitum minari videretur, venit Episcopus deductus manibus (nam podagra afflictus ambulare non poterat) & ante ignem positus, ubi tota vis flammæ videbatur incumbere, cœpit miro modo in semetipsum incendium retorqueri . . . sicque factum est, ut flamma incendii illo termino refrenata in semetipsa refrigesceret, & contingere ulterius quidquam ædificii non auderet.

Nonnosum Præpositum monasterii in monte Soracte, narrat ingentis saxi molem (*c*), quam quinquaginta bovum paria movere non potuissent, oratione impetrasse, ut alio loco sola moveretur, tantumque spatii relinqueret quod ad hortum olerum construendum sufficeret. Lampadem quoque vitream per innumeras partes fractam, oratione integram reddidit. Olei quoque exiguam quantitatem mirum in modum multiplicasse, ut omnia monasterii vasa ad hoc repleverit.

Anastasius primo Romanæ Ecclesiæ Notarius, postea Abbas monasterii, quod Suppentonia vocatur (*d*), voce cælitus emissa simul cum aliis septem fratribus ex nomine nullo intervallo vocatis, de omnium morte præmonitus, ad æterna præmia invitatus fuit, quem secuti sunt cæteri eo ordine quo vocati fuerant. Cumque vox post breve silentium, & octavum fratrem vocasset, hic paucis diebus vixit, & tunc vitam finivit; ut aperte monstraretur, quia interjectum vocis silentium, parvum vivendi spatium signaverit.

Bonifacius Ferentinæ urbis Episcopatum officio tenuit, & moribus implevit (*e*). Hujus Ecclesiæ gravis valde paupertas inerat, quippe quæ nonnisi unam habebat vineam, quam grando irruens penitus ita vastavit, ut in ea paucis in vitibus vix parvi rarique racemi remanerent. Hos vir Dei suo tempore collegit, ad calcatorium detulit, ibique a parvulo puero eos calcari jussit, & quidquid vini defluebat, per cuncta dolia, & omnia cellæ vasa cœpit distribuere ita ut omnia usque ad summum impleta fuerint: & cum adhuc ex liquore vini parum aliquid in calcatorio superesse videretur, jussit pauperes adesse, ac tunc cœpit vinum in calcatorio ita cre-

(a) *Ibid. c.* 5. (b) *Ibid. c.* 6.
(c) *Ibid. c.* 7. (d) *Ibid. c.* 8.
(e) *Ibid. c.* 9.

S. GREG. M. crescere, ut omnia quæ allata fuerunt pauperum vascula impleverit. Quod tamen miraculum omnino celari voluit: ideo uni Presbytero qui hoc solus sciebat, præcepit, ne quousque ipse in corpore viveret cuiquam indicaret. Joculatoris quoque cum simia & cymbalis Missarum solemnia perturbantis imminentem mortem prædixit, quæ statim secuta est: nam ingens saxum de tecto cadens ei in verticem venit, & die altera vitam finivit. Erucas quoque hortum vastantes ab eo jussit recedere, quæ statim ad viri Dei verbum ita omnes egressæ sunt, ut ne una quidem inter spatium horti remaneret. Immo & de hoc S. Episcopo adhuc puero narrat, quod cum triticum omne quod ad totius anni alimoniam ejus mater seposuerat, pauperibus distribuisset: quamobrem mater de hoc acerbe conquereretur, ipse oratione obtinuit, ut horreum ita tritico plenum inveniretur, sicut ante fuerat. Vulpem quoque gallinas rapientem & eas restituere coegit, & morte punivit.

De Fortunato Episcopo Tudertinæ civitatis narrat primo quidem in effugandis spiritibus tam mira virtutis gratia claruisse, ut nonnunquam ab obsessis corporibus legiones dæmonum pelleret (a). Deinde cum Satanam sub peregrini specie conquerentem se a Fortunato Episcopo hospitio pulsum, quidam deceptus in domum suam recepisset, vidit parvulum ejus filium a maligno spiritu abreptum in prunas projectum & occisum; unde orbatus miser, vel quem ipse susceperit, vel quem Episcopus expulisset, agnovit. Ita autem punitum arbitratur S. Gregorius non quia hospitalitatem exercuit, sed quia de Antistitis Episcopi derogatione lætatus est. Cæco quoque visum restituisse narrat, & Gothum duos pueros auferentem, cum restituere nollet, de divina ultione admonuit, quæ paulo post secuta est: nam equo lapsus est, & ejus coxa ita fracta est, ut in duabus partibus os esset divisum. Quare ad se reversus & pueros liberavit, & ablutione aquæ a S. Fortunato benedictæ integram recuperavit sanitatem.

Narrat de Martyrio Monacho Provinciæ Valeriæ (b), quod cum Fratres panem cruce signare, ut mos erat, obliti essent, ipse panem prunis, & cineribus coopertum crucis signo contra prunas facto signavit, statimque crepitum panis dedit, & postmodum igne subtractus ea cruce signatus inventus est, quam non contactus, sed fides fecerat.

De Severo autem ejusdem Provinciæ presbytero narrat (c), quod vocatus a quodam patrefamilias in extremis constituto, cum paulisper tardasset, interim ægrotus defunctus est, quod ille audiens vehementer flere cœpit se illius interfectorem appellans, & tandiu in oratione & fletu perseveravit, donec qui defunctus fuerat animam recepit, aperte te-

(a) *Ibid. c. 10.*
(b) *Ibid. c. 11.*
(c) *Ibid. c. 12.*

te testatus se ejus precibus pœnitentiæ spatium obtinuisse, quam cum per dies septem egisset, octavo die de corpore lætus exivit. S. GREG. M.

In secundo libro totam narrat S. Benedicti vitam ab infantia usque ad mortem. Primo itaque narrat (a), liberiori genere ex provincia Nursiæ exortum liberalibus studiis Romæ operam dedisse, sed postmodum soli Deo placere desiderantem, sanctæ conversationis habitum quæsivisse, & a sæculo recessisse. Deinde ejus adhuc pueri miraculum narrat, quo capisterium (vas fictile ad purgandum triticum) fractum, oratione ad primam integritatem restituit. Postea vero deserti loci secessum petiit, cui Sublacus vocabulum est, ubi fuit omnibus ignotus, uno excepto Romano Monacho, ac tribus annis delituit, non alio usus cibo, quam pane sibi ab eodem monacho delato, & per funem immisso. Inibi cum pulsatus esset vehementi carnis tentatione, „ exutus indumento (b) nudum se in „ spinarum aculeis, & urticarum incendiis projecit; ibique diu „ volutatus, toto ex eis corpore vulneratus exiit, & per cutis „ vulnera eduxit a corpore vulnus mentis; quia voluptatem traxit „ in dolorem ". Sed celebre jam præconio eximiæ conversationis nomen ejus habebatur. Quamobrem a quibusdam Monachis Abbas licet invitus & reluctans eligitur, quos cum corrigere & emendare studeret, tractare de ejus morte cœperunt, atque venenum vino miscuerunt, sed in vas ad benedictionem oblatum, cum extensa manu crucis signum edidisset, statim confractum est, unde intellexit vir sanctus quia potum mortis habuerat: quare leviter objurgatis fratribus, iisque relictis, ad dilectæ solitudinis locum rediit. Sed cum multi ad eum accederent, duodecim monasteria construxit, in quibus statutis Patribus duodenos monachos deputavit. Cœpere etiam ad eum Romanæ urbis nobiles & religiosi concurrere, suosque ei filios omnipotenti Deo nutriendos dare, & Equitius Maurum, Tertullus vero patricius Placidum tradidit. Narrat deinde, quomodo virga monachum percutiens (c) a dæmonio liberavit, qui illum ab oratione revocabat. Aquam quoque oratione in montis vertice ab ipso eductam narrat (d); & ferrum ex profundo aquæ ad suum manubrium revocavit (e). Cumque puer Placidus in lacum lapsus esset, jussit S. Benedictus Mauro discipulo, ut puero auxiliaretur (f), qui benedictione accepta concitus perrexit, atque usque ad eum locum, quo ab unda deducebatur puer, per terram se ire existimans, super aquam cucurrit, eumque per capillos tenens, rapido quoque cursu rediit.

Dialogorum Liber Secundus.

Progreditur postea narrare, quomodo per invidiam a Florentio Presbytero vexatus (g), a quo etiam veneno infectus panis missus est, sed illum corvus de sancti viri manu abstraxit, invidiæ locum cedens,

(a) *Ibid. c.* 1. (b) *Ibid. c.* 2.
(c) *Ibid. c.* 4. (d) *Ibid. c.* 5.
(e) *Ibid. c.* 6. (f) *Ibid. c.* 7.
(g) *Ibid. c.* 8.

cedens, habitationem loci mutavit. Casinum itaque Castrum in
S. Greg. M. excelsi montis latere situm petiit, ibique cum fanum reperisset, in quo Apollo colebatur, & circum lucus succresceret, in quo sacrilegis sacrificiis populus insudabat, statim vir Dei subvertit aram, succendit lucum, & in ipso templo Apollinis, oraculum B. Martini, ubi vero ara ejusdem Apollinis erat, oraculum S. Joannis construxit, & commorantem circumquaque multitudinem prædicatione continua ad fidem vocabat. Prosequitur vero plura enarrare sancti viri miracula, scilicet de ingenti saxo (*a*) per orationem facillime levato: de fraude Satanæ, qui phantastico igne (*b*) monachos turbare tentabat: & de puero monacho parietis ruina confracto, & ejus oratione sanato (*c*): de comestione fratrum in quadam mulieris domo ab ipso detecta (*d*): quod miraculum & in fratre Valentino monacho (*e*) renovatum est.

Sed præsertim prophetiæ dono collustratum fuisse narrat, quo fraudem Totilæ detexit, qui exploraturus, num prophetiæ spiritum haberet, Riggonem spatharium suum misit regio cultu ornatum, qui se regem simularet, ac sociatum aliis comitibus qui ut regem colerent: „ quem tamen venientem (*f*) conspiciens vir sanctus, cum jam ab eo audiri potuisset, clamavit dicens: Pone, fili, pone hoc quod portas: non est tuum. Qui Riggo protinus in terram cecidit, & expavit, omnesque qui cum eo ad hominem Dei veniebant, terræ consternati sunt. Surgentes autem ad eum propinquare minime præsumpserunt, sed ad suum regem reversi, nuntiaverunt trepidi in quanta velocitate fuerant deprehensi". Ad eum postmodum venit Totila (*g*), qui ad tantum virum non ausus accedere, sese in terram dedit, ad quem accedens de terra levavit, de suis actibus increpavit, & cuncta quæ illi ventura erant prænuntiavit, scilicet Romanæ urbis ingressum, maris transitum, novem annorum Regnum, & in decimo mortem. Romam quoque prænuntiavit non quidem a gentibus exterminandam, sed tempestatibus, coruscis, turbinibus, & terræ motu fatigandam.

Narrare prosequitur (*h*), quomodo Clericum liberavit a dæmone: illi tamen præcipiens, ne imposterum carnem comederet, nec ad sacrum ordinem accedere præsumeret: quod mandatum cum post longum tempus violasset, atque ad sacros Ordines accessisset, eum iterum diabolus tenuit, ac vexare quousque animam ejus excuteret, non cessavit. Prædictam etiam narrat a S. Benedicto sui monasterii a gentibus destructionem (*i*): sicut & præcognitam absconsionem flasconis vini (*k*) sibi dono missi: & mappularum acceptio-

(a) *Ibid. c. 9.* (b) *Ibid. c. 10.*
(c) *Ibid. c. 11.* (d) *Ibid. c. 12.*
(e) *Ibid. c. 13.* (f) *Ibid. c. 14.*
(g) *Ibid. c. 15.* (h) *Ibid. c. 16.*
(i) *Ibid. c. 17.* (k) *Ibid. c. 18.*

ptionem (*a*) cujusdam monachi sibi a muliere donatarum; superbam quoque monachi cogitationem (*b*) detexit: & tempore famis ducentos farinæ modios sibi divinitus obtinuit (*c*): & quomodo per visionem fabricam monasterii Tarracinensis dispofuit (*d*). S.GREG. M.

Narrare pergit, quomodo loquaces Moniales (*e*), ut corrigerent linguam suam, monuit, comminata excommunicationis pœna; quæ nihil mutatæ post paucos dies defunctæ in Ecclesia sepultæ sunt, sed nutrix earum vidit eas, inclamante Diacono inter Missarum solemnia, ut qui non communicat det locum, de sepulcris suis progredi, & exire de Ecclesia. Qua de re servum Dei monuit, qui jussit oblationem Deo offerri pro illis: qua facta non amplius de Ecclesia exire visæ sunt. Quomodo monachum (*f*) de Claustro egredientem visione draconis illum devorare minantis ad monasterium reduxit: & puerum a morbo elephantino curavit (*g*); ac debitorem data miraculosa pecunia a sui creditoris vexatione liberavit (*h*); & alium lepra a veneno inducta emundavit (*i*): quomodo fratrem avarum correxit, projecta ampulla vitrea, & oleo plena per fenestram, quin tamen ampulla in subjectis saxis illidens frangeretur (*k*): & dolium omnino vacuum oleo, orando replevit (*l*): Monachumque a dæmonio vexatum liberavit (*m*); & rusticum ligatum vinculis solo aspectu solvit, & diri domini animum mitigavit (*n*): Mortuum quoque filium patri lacrymanti & mærenti restituit (*o*). De S. Scholastica vero S. Benedicti sorore narrat, quomodo impetrato a Deo copioso imbre impedivit, ne ad monasterium reverti posset, sed secum in sacro colloquio diutius permaneret (*p*): & quomodo ejus anima a S. Benedicto visa sit sub columbæ specie cælum penetrare (*q*); & Germani Capuani Episcopi spiritus in cælum rapi (*r*). Regulam quoque ab ipso Monachis datam appellat discretione præcipuam, sermone luculentam (*s*). Denique librum claudit ejus sancta morte narrata, & visione, qua duo monachi illius animam in cælum conscendere viderunt, & sanitate recuperata a muliere furtim in ejus specum ingressa.

Tertium librum exorditur a S. Paulini Nolanæ urbis Episcopi facto, qui se in servitutem dedit, ut viduæ filium (*t*) a captivitate liberaret, cujus sanctitatem postea dominus agnoscens, ipsum & omnes cives suos a captivitate liberos dimisit, & quomodo sancte Dialogorum Liber tertius.

(a) *Ibid. c.* 19. (b) *Ibid. c.* 20.
(c) *Ibid. c.* 21. (d) *Ibid. c.* 22.
(e) *Ibid. c.* 23. (f) *Ibid. c.* 25.
(g) *Ibid. c.* 26. (h) *Ibid. c.* 27.
(i) *Ibidem.* (k) *Ibid. c.* 28.
(l) *Ibid. c.* 29. (m) *Ibid. c.* 30.
(n) *Ibid. c.* 31. (o) *Ibid. c.* 32.
(p) *Ibid. c.* 33. (q) *Ibid. c.* 34.
(r) *Ibid. c.* 35. (s) *Ibid. c.* 36.
(t) *Ibid. c.* 1.

S.Greg. M.

cte in Domino objerit (1). Deinde narrat (*a*) equum, cui insederat Joannes Summus Pontifex, non amplius voluisse Dominæ, cujus usui inserviebat, sessionem admittere, quasi indecens reputaret post membra Pontificis corpus mulieris ferre. Et Agapitum pariter Romanum Pontificem claudum, & mutum curasse (*b*). Datium quoque Mediolanensem Episcopum a domo diabolum expulisse, qui eam terroribus inhabitabilem reddebat (*c*). De Sabino Canusinæ civitatis Episcopo narrat, spiritu prophetiæ donatum, agnovisse vinum in calice porrectum veneno fuisse infectum ab Archidiacono suo, qui ejus Episcopatui succedere meditabatur: quod tamen bibere non recusavit dicens puero ministranti scyphum: Ego bibo: sed vade & dic ei qui tibi illud dedit: Ego quidem venenum bibo, sed tu Episcopus non eris. Deinde facto signo crucis venenum bibit securus. Eademque hora in loco alio quo inerat, Archidiaconus ejus defunctus est (*d*).

De aliis narrat duobus Episcopis Cassio Narniensi, & Andrea Fundano, quorum prior Totilæ Spatharium a dæmonio liberavit (*e*), unde Regi qui de illo perverse suspicatur, ejus sanctitas innotuit. Alter vero (*f*) quomodo per visionem a Judæo habitam, fuerit a periculo cum sanctimoniali fœmina peccandi liberatus, & ipsum Judæum ad fidem traxerit.

His tres alios addit Episcopos, quorum virtutes commendat, & miracula patrata pandit. Et primum de Constantio Aquinæ civitatis Episcopo, ipsum prophetiæ dono ornatum, in extremo vitæ constitutum, duos sibi futuros successores prædixisse, quorum alter mulio foret, alter fullo (*g*). De Frigdiano vero Episcopo Lucensi narrat, fluvium a proprio alveo abstraxisse, jubens illi ut eum rastro terram signante sequeretur, cui parens flumen consuetum cursum deseruit, & ibi sibi alveum, ubi tracto per terram rastro vir Dei signum fecerat, vindicaret, & quæque essent alimentis hominum profutura sata vel plantata, ultra non læderet (*h*). Quod miraculum in Sabino Episcopo Placentino alio mirabili modo renovatum narrat. Scripsit siquidem Pado flumini in hæc verba: „ Sabinus Domini J. C. servus commonitorium Pado. Præ„ cipio tibi in nomine J. C. D. N. ut de alveo tuo in locis istis „ ulterius non exeas, nec terras Ecclesiæ lædere præsumas. Qua „ char-

(1) Hac narratione abutuntur recentiores Critici ad hos libros D. Gregorio abjudicandos, cum nonnisi diu post S. Paulini obitum Vandali Africam occupaverint, & depopulati sint, sicut Italiam: proinde S. Paulinum Nolanum in captivitatem abducere nequiverunt. Sed respondetur hic Vandalos pro Gothis esse positos; quippe qui & ex eadem gente forent orti, eisdemque uterentur legibus. Legantur Chefletius in Paulino illustrato, nec non Vindiciæ Gradonici cap. 4. Edit. Romanæ.

(a) *Ibid. c.* 2. (b) *Ibid. c.* 3.
(c) *Ibid. c.* 4. (d) *Ibid. c.* 5.
(e) *Ibid. c.* 6. (f) *Ibid. c.* 7.
(g) *Ibid. c.* 8. (h) *Ibid. c.* 9.

„ charta in flumen projecta, statim flumen obsequens se a terris Ecclesiæ compescuit (*a*). De Cerbonio vero Populonii Episcopo narrat, expositum ferocissimo urso ad devorandum, nullum sensisse a fera detrimentum, qui submisso humiliter capite cœpit Episcopi pedes lambere (*b*). S. GREG. M.

De Fulgentio vero Utriculano Episcopo narrat, coactum in arctissimo loco sub dio consistere a Totila, magna cadente pluvia, nec gutta fuisse respersum: quo miraculo commotus Rex, illius mens effera ad magnam ejus reverentiam versa est (*c*). At contra cum Herculanum Perusinæ civitatis Episcopum capite truncari jusserit, ejus corpus cum alterius pueri corpore sepultum post quadraginta dies incorruptum repertum est, licet pueri cadaver tabe foret corruptum: & præterea caput ita corpori iterum conjunctum, ac si minime fuisset abscissum (*d*).

Ab Episcopis ad servos Dei, & Monachos narrationem suam convertens: primo quidem de Isaaco servo Dei narrat fuisse in oratione assiduum, tresque integros dies ac noctes orando transegisse, paupertatem coluisse, unde oblatas sibi possessiones recusasse, occulta penetrasse, fures a furtis miraculo retraxisse, alapa percussum, percussorem suum a Dæmonio, a quo in pœnam obsessus fuerat, liberasse (*e*). Deinde de sanctis Eutychio & Florentio Dei servis narrat, primum quidem in monasterio Abbatem, monachos rexisse, & magna post mortem claruisse virtute signorum; Florentium vero in solitudine consistentem urso mandasse ut pecudes ad pascua duceret ac reduceret, & sedulo custodiret: & cum ursus per invidiam a monachis interfectus fuisset, occisoribus maledixit, sed videns illos elephantino morbo percussos misere interire, per totum vitæ suæ tempus flevit, se eorum interfectorem, & homicidam clamans. Qui etiam locum suæ cellulæ per circuitum serpentibus plenum, illis oratione interemptis, & eorum cadaveribus per aves longius delatis purgavit (*f*). De Martino vero Monacho narrat in Monte Marsico, pro cella foramen petræ quæ in semetipsa concava angustum specum fecerat, delegisse, & ex eadem petra aquæ stillam impetrasse, quæ ei in usu quotidiano sufficeret, nec plus adesset, nec necessitati deesset, & insuper cum serpente tribus annis & securus, & illæsus jacuit. Quique præterea cum sibi ferrea catena pedem ligasset, ut a cella discedere non posset, monitus a B. Benedicto illi scribente: Si servus Dei es, non teneat te catena ferri, sed catena Christi, eam abstulit, sed nunquam postmodum solutum tetendit pedem ultra locum, quo ligatus tendere consueverat; atque in tanto se spatio sine catena coercuit, in quanto & antea ligatus mansit (*g*). De alio vero monacho montis Ar-

(a) *Ibid. c.* 10. (b) *Ibid. c.* 11.
(c) *Ibid. c.* 12. (d) *Ibid. c.* 13.
(e) *Ibid. c.* 14. (f) *Ibid. c.* 15.
(g) *Ibid. c.* 16.

S. GREG. M. gentarii narrat, pulvere Altaris mortuum suscitasse (*a*). Et Benedictum monachum a Gothis primo cella ejus incensa, & in clibanum incensum postea projectum nullo modo cremari potuisse, sed ab utroque incendio liberum evasisse (*b*).

Narrat postea, quomodo Athesis flumen Veronæ excrescens, cum ad Ecclesiam B. Zenonis Martyris atque Pontificis venisset, licet januæ apertæ essent, aqua in eam minime intravit, sed paulisper excrescens usque ad fenestras Ecclesiæ pervenit, sicque stans, aqua Ecclesiæ januam clausit, ac si illud elementum liquidum in soliditatem parietis fuisset mutatum (*c*): & de virgine sanctimoniale quam, cum esset obsessa a dæmone, liberavit (*d*); ac de Presbytero defuncto, qui furem retinuit ne prædam posset secum deferre (*e*). Narrat quoque Prænestini Abbatis corpus in angusto sepulcro positum, se in latus vertisse, ut locum daret cadaveri cujusdam Presbyteri quocum sepeliri voluit (*f*): & quomodo Apostolus Petrus Conliberto custodi ejus Ecclesiæ, & luminaria ornanti apparuit (*g*): qui & puellam paralyticam ad suum sepulchrum orantem, ut sanitatem consequeretur, jussit ut ad Acontium ejusdem suæ Ecclesiæ Mansionarium confugeret, & ab eo suo nomine sanitatem peteret, & ita factum est (*h*).

Menæ monachi solitarii virtutes narrat, & præsertim altissimam ejus paupertatem, cum nihil haberet ad usum suum nisi paucula apum vascula, quæ cum quidam Longobardus rapere vellet, per malignum spiritum vexatus est, & ursos apes comedere volentes, solo baculo fugabat; oblationesque cujusdam impudici, licet cum aliis immixtas detexit, & rejecit (*i*). Martyrium quoque narrat quadraginta rusticorum a Longobardis interfectorum, quia carnes immolatas comedere recusarunt (*k*); & plurimorum captivorum pariter ab ipsis occisorum, quod capræ caput adorare noluerint (*l*): & Arianum Episcopum Catholicorum Ecclesiam sibi usurpare volentem subita cæcitate fuisse punitum (*m*). Dum e contra Arianorum Ecclesiam Catholicis restitutam, pluribus in ea factis miraculis de sua emendatione exultasse (*n*). Martyrium deinde narrat S. Hermenegildi a Patre Ariano diu vexati, & tandem ob fidei catholicæ confessionem interfecti, ad cujus sepulchrum multa facta miracula refert (*o*): & Episcopos Africanos nullum locutionis sustinuisse dispendium, licet eis ab Arianis abscissa lingua fuisset (*p*).

Eleutherium Abbatem narrat, mortuum suscitasse, & puerum a
„ dæmo-

(a) *Ibid. c.* 17.
(b) *Ibid. c.* 18.
(c) *Ibid. c.* 19.
(d) *Ibid. c.* 21.
(e) *Ibid c.* 22.
(f) *Ibid. c.* 23.
(g) *Ibid. c.* 24.
(h) *Ibid. c.* 25.
(i) *Ibid. c.* 26.
(k) *Ibid. c.* 27.
(l) *Ibid. c.* 28.
(m) *Ibid. c.* 29.
(n) *Ibid. c.* 30.
(o) *Ibid. c.* 31.
(p) *Ibid. c.* 32.

dæmone liberasse, quem ob ejusdem Abbatis jactantiam iterum invasit: iterum tamen ab ipso de sua jactantia compuncto fuit fugatus (*a*). Hinc de duplici genere compunctionis tractat, ex timore alterum, alterum ex amore consurgens. Hinc docet, lacrymarum gratiam, & summo studio petendam & custodiendam (*b*). Deinde in viam revertens miracula narrat ab Amantio Presbytero provinciæ Thusciæ patrata, qui manus impositione ægros sanabat, signo crucis serpentes enecabat, & phreneticum etiam curavit (*c*). Et de Maximiano Episcopo Syracusano narrat, quomodo se & socios a naufragio liberavit, & navim licet aqua repletam in portum deduxit (*d*). De Sanctulo quoque Presbytero narrat, quod benedictione aquam in oleum convertit, & panes multiplicavit, summoque se discrimini exposuit, ut fratrem suum a morte liberaret, nec ipsum Longobardi occidere potuerunt, licet caput obtruncare niterentur (*e*). Denique librum claudit virtutes enarrando Redempti Ferentinæ Civitatis Episcopi, qui de imminente Longobardorum in Italiam irruptione a S. Eutychio martyre, ad cujus sepulchrum orabat, certior factus est.

S. GREG. M.

Dialogorum liber quartus.

Exorditur quartum librum observando a carnalibus hominibus spiritualia minus credi, quia ea quæ audiunt, per experimentum minime cognoscunt: proinde eos assimilat (*f*) puero in carcere nato, & inter tenebras educato, cui si mater solem, lunam, stellas, montes & campos, volantes aves, currentes equos nominet ... ille cum nihil aliud quam tenebras carceris sciat, licet hæc audiat, quia ea per experimentum non novit, vera esse diffidit. Fidei necessitatem etiam in humano convictu necessariam ostendit, cum nullus sit qui proprios parentes non agnoscat, & honoret, licet certo non noverit se se ab illis prognatum (*g*). Cum vero in hoc libro eos præsertim illuminandos assumat, qui carnis resurrectionem vel inficiabantur, vel de ea dubitabant, primo ostendit, hominem medium esse inter Angelos & bruta: habet enim aliquid cum utroque commune, scilicet immortalitatem spiritus cum Angelo, mortalitatem carnis cum jumento (*h*). Explicat deinde Salomonis dictum: *Unus interitus est hominis, & jumentorum* (*i*), observans in eo libro Concionatorem agere „ qui ea per inquisitionem dicit, quæ fortassis (*k*) per tentationem impetita mens sentiat . . . unde alia sunt quæ per inquisitionem moventur, atque „ alia quæ per rationem satisfaciunt: alia quæ ex tentati profert „ animo . . . alia vero in quibus ea quæ rationis sunt, differat .... „ Ibi enim ait: *Hoc itaque mihi visum est bonum, ut comedat* „ *quis & bibat, & fruatur lætitia ex labore suo* “. Sed postea subjun-

M 2

(a) *Ibid. c.* 33. (b) *Ibid. c.* 34.
(c) *Ibid. c.* 35. (d) *Ibid. c.* 36.
(e) *Ibid. c.* 37. (f) *Ibid. c.* 1.
(g) *Ibid. c.* 2. (h) *Ibid. c.* 3.
(i) *Eccle.* 3. 19. (k) *Ibid. c.* 4.

S. GREG. M. subjungit : „ *Melius est ire ad domum luctus , quam ad domum* „ *convivii* . . . Et rursum *: Lætare juvenis in adolescentia tua :* „ Et paulo post subditur : *Adolescentia enim & voluptas vana* „ *sunt*. Ita pariter carnalis hominis mentem aperiens dicit *: Unus* „ *est interitus hominis & jumentorum*, & æqua utriusque condi- „ tio. Sed tamen ex definitione rationis cum sapiente hunc erro- „ rem corrigit dicens *: Quid habet amplius sapiens a stulto . . .* „ *nisi ut pergat illuc ubi est, vita?* . . . Quibus verbis indicat „ quia hic hominum vita non est, quam esse alibi testatur. Ha- „ bet ergo homo hoc amplius jumentis, quia ista post mortem „ non vivunt, ille vero tunc vivere inchoat, cum per mortem „ carnis hanc visibilem vitam consummavit". Ad hanc catholicam veritatem omnino certam confirmandam & rudioribus animis facile suadendam plures affert animarum apparitiones factas sive in ipsa ejus a corpore sejunctione, sive post.

Et primo quidem animam post mortem vivere probat ex miraculis, quæ ad sepulchra Martyrum operantur, scribens: „ Ad extin- „ cta (*a*) eorum corpora viventes ægri veniunt, & sanantur; per- „ juri veniunt, & dæmonio vexantur: dæmoniaci veniunt & libe- „ rantur*:* leprosi veniunt, & mundantur*:* deferuntur mortui, & „ suscitantur. Pensa itaque eorum animæ qualiter vivunt illic u- „ bi vivunt, quorum hic mortua corpora in tot miraculis vi- „ vunt". Deinde narrat S. Benedictum vidisse Germani Capuanæ urbis Episcopi animam in igneo globo ad cælum ab Angelis ferri (*b*). Et similiter Gregorium Monachum Speciosi germani sui longe a se positi animam de corpore exire conspexisse (*c*). Aliquos vero in mari navigantes vidisse cujusdam Servi Dei in Samnio inclusi animam ad cælum ferri (*d*). Spei quoque Abbatis, qui post quadraginta annorum cæcitatem visum recepit, animam viderunt Fratres qui ejus agoni adstabant ex ore ejus sub specie columbæ exire, quæ mox aperto tecto Oratorii egressa penetravit cælum (*e*). De sancto Presbytero Nursino narrat, quod morti proximus clamare cœpit (*f*): Bene veniant domini mei, . . . venio, venio; gratias ago . . . Deinde subjunxit *:* Non videtis hic concurrisse Sanctos Apostolos beatum Petrum & Paulum primos Apostolorum? . . . atque inter hæc verba animam reddidit. Sanctos quoque Juvenalem, & Eleutherium martyres Probo Reatinæ civitatis Episcopo apparuisse narrat, & secum in cælum tulisse (*g*).

A sanctis viris ad pias mulieres sermonem convertens narrat, Gallam nobilissimam puellam Symmachi Consulis & Patritii filiam amisso post annum marito, in viduali continentia pie vixisse, & mona-

(a) *Ibid. c. 6.* (b) *Ibid. c. 7.*
(c) *Ibid. c. 8.* (d) *Ibid. c. 9.*
(e) *Ibid. c. 10.* (f) *Ibid. c. 11.*
(g) *Ibid. c. 12.*

monasticam vitam fuisse amplexatam. Hæc a S. Petro de proxima sua morte fuit admonita, & de remissione suorum peccatorum certior facta: & denique in cælum recepta (*a*). Sanctam quoque mortem Romulæ eremitæ describit, quam in homilia 15. in Evangelia jam narraverat, & nos quoque indigitavimus (*b*). Subsequitur transitus S. Tharsillæ Virginis. Hæc a Felice Romano Pontifice ostensa mansione perpetuæ claritatis sic invitata fuit: Veni, quia in hac te lucis mansione suscipio. Et paulo post sursum respiciens, Jesum venientem vidit, unde cœpit clamare: Recedite, recedite, Jesus venit, & cum in eum intenderet quem videbat, sancta illa anima e corpore egressa est (*c*). Musæ quoque puellæ felicem mortem narrat. Et primo quidem illi Deiparam apparuisse cum puellis Musæ coævis in vestibus albis, & invitasse, num illorum choro adjungi vellet, cui annuenti jussit B. Virgo ut nihil ultra leve & puellare ageret, & sciret quod inter easdem virgines quas videbat, ad ejus obsequium die trigesimo veniret. Et ita revera contigit. Nam post vigesimum quintum diem febre correpta est, & die trigesimo cum hora ejus exitus propinquaret, eandem B. Dei Genitricem vidit cum puellis ad se venire, & clamare cœpit: Ecce, Domina, venio; in qua voce spiritum reddidit (*d*).

S. GREG. M.

Hisce lætis narrationibus tristem interserit historiam de puerulo trienni, qui majestatem Dei blasphemare consueverat. Nam quadam die malignos ad se venisse spiritus, trementibus oculis aspiciens cœpit clamare: Obsta, pater, obsta, pater: ac interrogatus, quid timeret, respondit; Mauri homines venerunt, qui me tollere volunt. Qui cum hoc dixisset, majestatis nomen protinus blasphemavit, & animam reddidit (*e*).

Deinde ad fausta revertens transitum narrat Stephani viri Dei, in cujus agone nonnulli Angelos viderunt, in quorum manibus excepta ejus anima ad æternam beatitatem rapta fuit (*f*). Duos quoque Valentionis Abbatis Monachos a Longobardis arbori suspensos, & defunctos, claris, ac apertis vocibus psallere cœpisse; ita ut ipsi qui eos occiderant, cum voces psallentium audirent, nimium mirati terrerentur (*g*).

De animabus vero justorum ex hac vita migrantium scribit: „ Sunt quorumdam (*h*) justorum animæ, quæ a cælesti regno „ quibusdam adhuc mansionibus differuntur. In quo dilationis da„ mno quid aliud innuitur, nisi quod de perfecta justitia aliquid „ minus habuerunt? Et tamen luce clarius constat, quia perfe„ ctorum animæ, mox ut hujus carnis claustra exeunt, in cæle„ stis regni sedibus recipiuntur". Quomodo autem beatorum glo-

(a) *Ibid. c.* 13. (b) *Ibid. c.* 15.
(c) *Ibid. c.* 16. (d) *Ibid. c.* 17.
(e) *Ibid. c.* 18. (f) *Ibid. c.* 19.
(g) *Ibid. c.* 21. (h) *Ibid. c.* 25.

S. GREG. M.

ria poſt judicii diem augenda ſit, declarat ſcribens: „ Nunc animarum ſola, poſtmodum vero etiam corporum beatitudine perfruuntur; ut in ipſa quoque carne gaudeant, in qua dolores pro „ Domino, cruciatuſque pertulerunt (*a*) “. De peccatoribus vero in peccato ſuo morientibus docet: „ Oportet (*b*) per omnia „ credere iniquorum animas eſſe in inferno: quia ex retributione „ divinæ juſtitiæ ex qua juſti jam gloriantur, neceſſe eſt per omnia ut & injuſti crucientur. Nam ſicut electos beatitudo lætificat, ita credi neceſſe eſt quod a die exitus ſui ignis reprobos „ exurat “. Quo pacto autem corporalis ignis incorporea poſſit torquere, exponit ſubdens: „ Si viventis hominis (*c*) incorporeus „ ſpiritus tenetur in corpore, cur non poſt mortem, cum incorporeus ſit ſpiritus, etiam corporeo igne teneatur “? De Purgatorii vero pœnis ſic ſcribit: „ De quibuſdam (*d*) levibus culpis eſſe ante judicium purgatorius ignis credendus eſt, pro eo quod „ Veritas dicit, quia ſi quis in ſancto Spiritu blaſphemiam dixerit, neque in hoc ſæculo remittetur ei, neque in futuro. In „ qua ſententia datur intelligi quaſdam culpas in hoc ſæculo, quaſdam vero in futuro poſſe laxari “. Quam veritatem confirmat exemplo Paſchaſii Diaconi, qui in parte Laurentii contra Symmachum ſtetit, cujus proinde anima a Germano Capuano Epiſcopo in Angulanis thermis cruciari viſa eſt, & ipſius precibus liberata fuit (*e*).

De ſede autem, ſeu loco inferni ſe nihil temere definire velle pronuntiat; arbitratur tamen ſub terra poſitum: quare ſubdit: „ Quid obſtet (*f*) non video, ut ſub terra infernus eſſe credatur “. Pœnarum vero æternitatem aperte prædicat & tuetur ſcribens: „ Conſtat, & incunctanter (*g*) verum eſt, quia ſicut finis non „ eſt gaudio bonorum, ita finis non eſt tormento malorum “. Petro vero objicienti: „ Quid ſi quis dicat: Idcirco peccantibus „ Deus æternam pœnam minatus eſt, ut eos a peccatorum perpetratione compeſceret “? reſpondet S. Gregorius: „ Si falſum „ eſt quod minatus eſt, ut ab injuſtitia corrigeret, etiam falſum „ eſt pollicitus ut ad juſtitiam provocaret. At quis hoc dicere vel „ inſanus præſumat “? Interroganti vero „ quomodo juſtum ſit, „ ut culpa, quæ cum fine perpetrata eſt, ſine fine puniatur “: Reſpondet: „ quod iniqui cum fine deliquerunt, quia cum fine „ vixerunt. Nam voluiſſent utique, ſi potuiſſent, ſine fine „ vivere, ut potuiſſent ſine fine peccare . . . . . Ad magnam ergo juſtitiam judicantis pertinet, ut nunquam careant „ ſupplicio, qui in hac vita nunquam noluerunt carere peccato. Urgenti vero, nullum juſtum crudelitate paſci, & delin-

„ quen-

(a) *Ibidem*. (b) *Ibid. c.* 28.
(c) *Ibid. c.* 29. (d) *Ibid. c.* 39.
(e) *Ibid. c.* 40. (f) *Ibid. c.* 42.
(c) *Ibid. c.* 44.

„ quentem servum a justo Domino idcirco cædi, ut emendari debeat: iniqui autem gehennæ ignibus traditi, si ad correctionem non perveniunt, quo fine semper ardebunt? Reponit, quod „ Deus quia pius est, miserorum cruciatu non pascitur: quia vero „ justus est, ab iniquorum ultione in perpetuum non sedatur . . . „ ideo autem ardebunt, ut justi omnes & in Deo videant gaudia „ quæ percipiunt, & in illis respiciant supplicia quæ evaserunt". Cur autem justi pro damnatis non orent, causam reddit scribens: „ Non orant Sancti pro infidelibus impiis defunctis: quippe „ quia . . . eorum mentes per hoc quod justissimo judici inhærent, „ omnino eis non libet quidquid ab illius æternæ regulæ subtilitate discordat".

S.GREG. M.

Quærit, an prosit animabus, si mortuorum corpora in Ecclesia fuerint sepulta, & prodesse dicit illis „ quos gravia peccata non „ deprimunt (a), eo quod eorum proximi, quoties ad eadem sacra loca conveniunt, suorum quorum sepulchra conspiciunt recordantur, & pro eis Domino preces fundunt". At Altaris sacrificium multum defunctis prodesse docet, ac pluribus confirmat exemplis (b). Denique librum claudit ad sacræ Eucharistiæ frequentem sumptionem exhortans, scribens: „ Debemus . . . quotidiana Deo lacrymarum sacrificia, quotidianas (c) carnis ejus & „ sanguinis hostias immolare. Hæc namque singulariter victima ab „ æterno interitu animam salvat . . . Ejus quippe ibi corpus sumitur, ejus caro in populi salutem partitur, ejus sanguis . . . „ in ora fidelium infunditur . . . Hinc ergo pensemus quale sit „ pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem unigeniti filii semper imitatur. Quis enim fidelium habere „ dubium possit, in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cælos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cælestibus jungi, unumque ex „ visibilibus atque invisibilibus fieri"?

Clarissimorum virorum epistolæ merito præferuntur aliis eorum scriptis, & operibus: quippe quia in illis apertius, clarius, & luculentius eorum ingenium, animi dotes, & studia apparent & elucescunt. Revera in suis epistolis ita se prodit D. Gregorius, ut ejus imago ab Historicis ejus vitæ delineata pulchre clarescat. Cernuntur siquidem in illis mira ejus in Ecclesiæ gubernio prudentia, zelus caritatis, animi magnitudo in adversis misericordia erga egenos & afflictos, fortitudo animi in sacris custodiendis conciliorum legibus & Canonibus, profunda humilitas; uno verbo omnes ejus virtutes in ipsis coruscant, quæ ipsum in omnibus admirabilem ostendunt. Epistolarum Registrum nonnisi eas complectitur, quæ in ipso Pontificatu scripsit. In quatuordecim libros sunt distributæ: quorum

De Epistolis S. Gregorii generales animadversiones T. 7. Edit. Ven.

(a) *Ibid. c.* 50.
(b) *Ibid. c.* 55. *& seq.*
(c) *Ibid. c.* 58.

S.GREG. M. rum quilibet omnes unius anni epistolas complectitur, postremo excepto, qui nonnisi postremorum sex mensium sui Pontificatus & vitæ epistolas exhibet. Primus itaque liber epistolas continet datas anno 590. Alter datas anno insequenti 591. & hoc ordine cæteri prosequuntur libri usque quarto Idus martii anni 604. unde exurgunt anni tredecim, & menses sex, initium sumendo a mense Septembris anni 590. in quo Pontifex consecratus fuit usque ad duodecimam Martii anni 604. in quo beato fine quievit. Indictionibus signantur, qui modus signandi licet & D. Ambrosii temporibus (a), & etiam antea in usu fuerit, tamen D. Gregorius primus fuit inter Pontifices, qui in suis epistolis morem hunc signandi adhibuerit, sicut & primus Romanorum Pontificum, qui ea usus sit formula: *Servus Servorum Dei* (b); quam constanter ejus humilitatem imitantes subsequentes omnes Pontifices custodiere: immo & legitur adhibita etiam in aliquibus suis epistolis a SS. Augustino & Fulgentio.

Cum vero plurimæ sint S. Gregorii epistolæ, enumerantur enim supra octingentæ, illas dumtaxat delibabimus, & indicabimus, quæ utilioris, majorisque momenti videbuntur.

Primi libri epistolæ. Primi libri epistolæ omnes datæ sunt Indictione nona, idest anno 590. Mos erat Pontificum Romanorum Vicarium in Sicilia (cujus Ecclesiæ speciali jure ad Sedem Apostolicam pertinebant, ut pote inter suburbicarias enumeratæ, & in sexto Nicæni Concilii Canone, Romani Episcopi gubernio addictæ) constituere. Hanc itaque custodiens consuetudinem S. Gregorius, in sua prima epistola suum constituit Vicarium Petrum Subdiaconum, hujusque electionis certiores facit omnes Siciliæ Episcopos, ad quos literæ hæ datæ sunt, mandans, „ ut semel per annum (c) ad Syracusanam, „ sive Catanensium civitatem, universaliter honore, quo dignum „ est, sicut eidem jussimus, conveniant, quatenus quæ ad utilita„ tem ipsius Provinciæ Ecclesiarum pertinent, sive ad necessitatem „ pauperum, oppressorumque sublevandam . . . congrua cum eo„ dem Petro Subdiacono Sedis nostræ debeant moderatione dispo„ nere “. Hinc videtur, nullum tunc in Sicilia fuisse constitutum Metropolitanum: quod confirmat etiam ejusdem S. Pontificis epistola 24. lib. 2. qua ordinandos pro Sicilia Episcopos Romam venire jubet. Episcoporum autem conventui præfatus Subdiaconus Petrus, ceu Sedis Apostolicæ Legatus præsidebat, donec Maximinum Syracusanum Episcopum, suum & Sedis Apostolicæ Vicarium instituit, ut ex aliis epistolis constabit.

Præerat tunc in temporalibus Siciliæ Justinus, cui demandatum erat annonam frumenti necessariam mittere. Verum imminente jam hyeme, cum nondum missam rescivisset consuetam frumenti copiam, scribit

(a) *Ambr. Epist. 23. 1. Classis n. 16.*
(b) *Joan. Diac. lib. 2. n. 1.*
(c) *Epist. 1.*

scribit secunda epistola ad ipsum Justinum Siciliæ Prætorem, monens ut „ ea de re (a) curam gerat: quia si quid minus huc „ transmittitur, non unus quilibet homo, sed cunctus simul populus trucidatur". Quia, ut narrat Gregorius Turonensis lib. 10. c. 1. Ecclesiæ horrea subverterat anno superiore Tiberis exundans, & nonnulla tritici modiorum millia perierant. S.GREG. M.

In epistolis vero sequentibus usque ad 5. conqueritur 1. cum Paulo Scholastico (b), quod de honore Sacerdotalis officii gratuletur, & non potius doleat, quia optata quiete, ut maluisset, frui non fuisset sibi concessum; 2. cum Joanne Episcopo (c) Constantinopolitano, quia electionem suam ab Imperatore potius confirmari sollicitaverit, & non potius ne Episcopatus pondus sibi imponeretur, obstiterit; 3. cum Theoctista Imperatoris sorore (d), quia „ sub colore Episcopatus ad sæculum sit reductus, & tantis curis „ cogitur inservire, quantis se in vita laica nunquam deserviisse recordabatur. Alta enim (scribit) quietis meæ gaudia perdidi, „ & intus corruens, ascendisse exterius videor . . . a rerum vertice tentationis hujus turbine impulsus, ad timores pavoresque „ corrui: quia etsi mihi nil timeo, eis tamen qui mihi commissi „ sunt, valde formido". Epistolam vero in hæc verba claudit: „ Ecce Serenissimus Dominus Imperator fieri simiam leonem jussit. Et quidem pro jussione illius vocari leo potest, fieri autem „ leo non potest. Unde necesse est, ut omnes culpas ac negligentias meas non mihi, sed suæ pietati deputet, qui virtutis ministerium infirmo commisit".

In sequentibus vero epistolis Narsæ Patritio, & Anastasio Antiocheno Episcopo (e) datis eorum gratulatoriis literis respondet, semper tamen conquestus de sua elevatione, per quam a contemplationis delectatione se dejectum lamentatur; & Anastasio præterea addit: „ Quod me os Domini, quod lucernam dicitis, quod multis prodesse perhibetis, hoc quoque mihi ad iniquitatum mearum cumulum accidit, ut, cum vindicari in me iniquitas debuit, laudes pro vindicta recipiam. Quibus autem hoc loco „ terrenarum rerum tumultibus premor, explere verbis nequeo".

Supplicaverunt Hebræi Tarracinæ degentes, ut locum quem Synagogæ hactenus habuerunt, Pontificis auctoritate eum habendi licentia concederetur. Scribit itaque hac de re S. Gregorius Bacaudæ, & Agnello Episcopis mandans, ut (f) aspiciant, num verum sit quod alii detulerant, scilicet, quod locus Synagogæ sic vicinus esset Ecclesiæ, ut etiam ad eam vox psallentium perveniret; & si revera aliquid Ecclesiæ ipsi videretur obesse, alium locum intra ipsum Castellum providerent, ubi præfati Hebræi con-

(a) *Epist.* 2. (b) *Epist.* 3.
(c) *Epist.* 4. (d) *Epist.* 5.
(e) *Ibid. epist.* 6. 7.
(f) *Epist.* 10.

S. Greg. M. conveniant, quo possint suas sine impedimento cæremonias celebrare . . . eis tamen christiana mancipia habere non liceat.

In epistola decimaquarta scribit Demetrio Episcopo Neapolitano (*a*) illi mandans, ut quemdam Stephanum, aliosque de fide dubitantes, & jam catholicam fidem repetentes in communionem recipiat, eos quantum potest de tenebris ad lucem veritatis revocando. Balbino vero (*b*) Episcopo Rosellano jubet, ut Populonensem Ecclesiam, quam audierat ita Sacerdotis officio destitutam, ut nec pœnitentia decedentibus ibidem, nec baptisma possit præstari infantibus, apostolica auctoritate munitus visitet, & unum Cardinalem Presbyterum & duos Diaconos illic ordinet. In Parochiis vero tres similiter Presbyteros ordinet, & constituat. Cardinales autem Presbyteri, sicut & Diaconi tunc temporis illi dicebantur, qui erant in cardine, idest qui primi erant sui ordinis hoc titulo perpetuo alicui Ecclesiæ affixi ad differentiam illorum, qui munus vel ex commissione vel ad tempus exercebant.

Schisma ob trium Capitulorum causam fovebat maxime (1) Severus Episcopus Aquilejensis. Illi itaque scribit D. Gregorius 1. dicens (*c*): Quod sicut ante gaudebat quia erat in unitate Ecclesiæ, ita abundantius nunc doleat cum audiat a catholica societate dissociatum. 2. Jubet, ut cum suis sequacibus ad B. Petri Apostoli limina veniat, ubi auctore Deo ab aggregata Synodo de ea quæ inter illos vertitur dubitatione, judicetur.

Anthemio Subdiacono, & ecclesiastici Patrimonii in Italia Œconomo plures dedit epistolas D. Gregorius, queis illi mandat, ut ingravescentibus (*d*) publicis calamitatibus, pluribus indigentibus pecuniam distribuat ad eorum levandam inopiam. Et 1. quidem ut quibusdam Ancillis Dei, Nolam civitatem incolentibus quadraginta in auro eis solidos dare debeat, & deinceps succedentibus Indictionibus annuos viginti solidos ministrare, in suis deinde rationibus computandos. Præterea Paulino Presbytero (*e*) Monasterii S. Erasmi & duobus Monachis in oratorio S. Archangeli servientibus, binos in præsenti solidos impertiatur. Item ut Pateriæ (*f*) thiæ suæ offerat ad calciarium puerorum solidos quadraginta, & tritici modios quadringentos, & Domnæ Palatinæ relictæ Urbici, solidos viginti, & tritici modios trecentos: & Domnæ Vivianæ relictæ Feli-

---

(a) *Ibid. epist.* 14. (b) *Epist.* 15.

(1) Tria Capitula, quæ Schismati ansam præbuere, hæc erant: Scripta Theodori Mopsuesteni, Ibæ Episcopi Edesseni epistola ad Marim Persam, & Theodoreti Episcopi Cirensis scripta adversus S. Cyrilli duodenos anathematismos. Damnata hæc fuere in quinto Concilio anno 553. Cui damnationi subscribere noluerunt plures Episcopi, quippe qui arbitrabantur ea damnatione labefactari fidem, & lædi Synodi Chalcedonensis auctoritatem. Habiti tamen fuere tamquam schismatici.

(c) *Epist.* 16. (d) *Epist.* 24.

(e) *Ibidem.* (f) *Epist.* 39.

S.GREG. M.

Felicis solidos viginti, & tritici modios trecentos largiatur. Item ut Palatinæ fœminæ illustri, continua hostilitate pluribus necessitatibus subjectæ, pro ejus sustentatione annuos triginta solidos dare non differat. Item ut titulatam Petronii domum Theodoræ ejus relictæ sine mora restituat. Mandat præterea ut Monachos (*a*) minime permittat de monasterio in monasterium migrare... „ Sed „ si quilibet hoc præsumpserit, in monasterio in quo ab initio „ conversatus est, & sui Abbatis sub regula de qua fugerat, cum „ competenti coercitione reddatur ". Item ne sinat aut toleret Clericos ad monachismum conversos, „ ad eamdem, vel aliam „ Ecclesiam, quarum pridem milites fuerant, sua voluntate de- „ nuo remeare: nisi talis vitæ monachus fuerit, ut Episcopus cui „ antea militaverat, sacerdotio dignum præviderit ". Item mandat, ne cum monachis (*b*) permittat habitare mulieres, ne quidem obtentu necessitatis fugiendi barbaricam incursionem, sed refugium sibi provideant monachi in locis vicinis ubi maluerint. Prohibet præterea, ne pueri in monasteriis ante decem & octo annorum tempora suscipiantur. Denique jubet ut Felici Abbati mille quingentas plumbi libras, de quo egere dignoverat, dare non differat.

Coegerat D. Gregorius Romæ anno 591. mense Februario Concilium, in quo epistolam (*c*) dedit encyclicam Patriarchis Orientalibus. Quinque in titulo recensentur: licet enim Gregorius sedem jam teneret Antiochenam, adhuc tamen Anastasium e sua Sede ejectum a Justiniano, quod adversus ejus deliria de corporis Christi incorruptibilitate doctrinam orthodoxam strenue propugnaret, tamquam Patriarcham habebat: unde illum Expatriarcham appellat. Alii vero sunt Joannes Constantinopolitanus, Eulogius Alexandrinus, & Joannes Hierosolymitanus. Et primo quidem in hac epistola mœrorem suum, & tristitiam declarat ob onus pastorale sibi impositum: quippe qui humiliter se tantæ dignitati imparem dignosceret, & ad munia rite obeunda minus idoneum. Hæc munia deinde exponit, eo ferme modo quo in sua Pastorali Regula. Deinde juxta tunc temporis obtinentem consuetudinem, suæ fidei professionem emittit, in qua sicut sancti Evangelii quatuor libros, ita & quatuor Concilia se suscipere, & venerari profitetur. Quibus & quintum adjungit, „ in quo epistola (*d*) quæ Ibæ dicitur, er- „ roris plena, reprobatur. Theodorus personam Mediatoris Dei „ & hominum in duabus subsistentiis separans, ad impietatis perfi- „ diam cecidisse convincitur. Scripta quoque Theodoreti, per quæ „ B. Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementiæ prolata refutantur "; addens: „ Cunctas vero quas præfata veneranda Concilia personas „ re-

(a) *Epist.* 42.
(b) *Epist.* 50. (c) *Epist.* 25.
(d) *Ibid. prop. fin.*

S. GREG. M.

„ respuunt, respuo; quas venerantur amplector, . . . Quisquis „ ergo aliud sapit, anathema sit. Quisquis vero prædictarum Synodorum fidem tenet, pax ei sit a Deo Patre per Jesum Christum Filium ejus, qui cum eo vivit & regnat consubstantialiter Deus in unitate Spiritus Sancti, per omnia sæcula sæculorum ".

Sacra etiam dona illustribus Viris mittere solebat sanctissimus Pontifex. Hinc Andreæ illustri viro scribit, se illi dono mittere (*a*) „ sacratissimam clavem a S. Petri Apostoli corpore, quæ „ super ægros multis solet miraculis coruscare: nam etiam de ejus „ catenis interius habetur. Eædem igitur catenæ quæ illa sancta „ colla tenuerunt, suspensæ colla vestra sanctificent ". Quo dono etiam Joannem Exconsulem, Patricium, & Quæstorem honestavit, ut ex sequenti trigesima prima epistola innotescit.

Binas quoque epistolas dedit Venantio Patritio Syracusano, qui monastico habitu dimisso uxorem duxerat, & hortatur, ut quantocius resipiscat, & ad monasterium redeat, scribens: „ Si Ananias „ (*b*) mortis periculo dignus fuit, qui eos quos dederat nummos „ Deo abstulit; considera quanto periculo in divino judicio dignus „ eris, qui non nummos, sed temetipsum Deo omnipotenti, cui re „ sub monachico habitu devoveras, subtraxisti ". Addit: „ Si au„ tem fortasse in causa Dei nimius credor, & pro zeli mei ardore „ suspectus sum, cunctam simul Ecclesiam in consilio hujus disce„ ptationis adhibeo; & quidquid omnibus fieri salubriter placet, „ ego in nullo contradico, sed quod in commune decernitur, læ„ tus impleo, & subscribo ". Non resipuisse Venantius videtur, quippe quia alia ad eum habetur epistola lib. 11. Ind. 6. n. 30. in qua rursus D. Gregorius arrepta occasione podagræ tam se, quam ipsum Venantium vexantis, hortatur „ ut in ipsis verberibus Dei „ revocet ad memoriam & ejus munera, & nostri reatus da„ mna. Pensemus quanta bona super nostram malitiam fecerit „ Dominus; & quanta mala sub ejus bonitate commisimus . . . . „ judicemur modo in nostra cogitatione cum Deo, ne districte post„ modum judicemur a Deo . . . . Quisquis ergo festinat evadere „ districtionem sententiæ judicii sequentis, per amaritudinem pœ„ nitentiæ omnem sibi dulcedinem interimat vitæ præsentis ". Verum cum adhuc in sæculari statu permaneret Venantius jam morti proximus, aliam dedit epistolam Joanni Syracusano Episcopo (*c*) in qua primo dolorem suum de desperato Venantii morbo testatur: deinde eum hortatur, „ ut de anima ejus cogitare „ debeat, exhortando, rogando, Dei judicium terribile proponen„ do, ineffabilem ejus misericordiam promittendo, ut ad habitum

„ suum

(a) *Epist. 30. al. 29.*
(b) *Epist. 34.*
(c) *Lib. 11. epist. 36.*

„ suum redire vel in extremis debeat, ne ei tantæ culpæ reatus
„ in æterno judicio obsistat (1) “. S.GREG. M.

Conquestus fuerat quidam (*a*) Judæus apud S. Gregorium, quod Petrus Episcopus Tarracinensis, Judæos de loco in quo convenire consueverant pro colendis suis festivitatibus, expulisset. Sanctissimus Pontifex Episcopo rescribit, ut ad locum quem ut congregarentur adepti fuerant, reducat, & eis sicut mos fuit, liceat convenire. „ Nam, (subdit) eos, qui a religione christiana discordant, „ mansuetudine, benignitate, admonendo, suadendo, ad unitatem „ fidei necesse est congregare: ne quos dulcedo prædicationis, & „ præventus futuri judicis terror, ad credendum invitare poterat, „ minis & terroribus repellantur “.

Cum Petrum Subdiaconum suum constituisset in Sicilia Vicarium, Capitulare seu Instructionem illi dedit, quam (*b*) assidue ab eo relegendam in hac epistola monet; nonnullaque alia addit monita. Et 1. quidem ut illi sit cura maxima de Episcopis, ne in causis sæcularibus misceantur, nisi in quantum necessitas defendendorum pauperum cogit. 2. Invigilet, ne a ministris Romanæ Ecclesiæ sæcularibus violentia inferatur: conquesti enim quidam fuerant fines suos violenter invasos, mancipia abstracta, res etiam mobiles, manu, non judicio aliquo ablatas. 3. Quidquid invenerit violenter ablatum, vel sub nomine Ecclesiæ injuste detineri, hoc ei cujus esse cognoverit, confestim restituat. 4. Ut mancipia injuste detenta vel liberet, vel suis dominis reddat. 5. Caveat ne unquam quod juste etiam conspexerit juri ecclesiastico posse competere, unquam hoc

(1) Cancellarii in Italia dignitatem Venantio tribuit Scriptor Gallus. Verum si Notas animadvertisset, hæc ibi legisset. De Cancellarii dignitate, quam ei gratis conferunt Editores, in omnibus MSS. tam epistolarum, quam Joannis Diaconi in vita S. Gregorii altum est silentium: unde resecandam duximus Gussanvillæi notam ad vocem *Cancellario*. Immo observat tum titulum *Exmonachi*, tum *Patricii* adscititium esse. Primus quidem quia odiosus cum sit, non a S. Pontifice positus, sed aliena manu additus fuit. Alter vero, quia in epistolis ad Venantium nullibi *Gloriæ*, aut *Excellentiæ* tituli occurrunt, quibus tamen semper utitur S. Gregorius ad Patricios scribens. Cæterum Sanctum Pontificem de salute Venantii desperasse, nisi a conjugio recederet, & Monachus rursum fieret, ex prima epistola apparet luculenter. Cur autem D. Gregorius Venantium excommunicationi latæ per Concilium Chalcedonense can. 16. contra Monachos uxorem ducentes, obnoxium non declaraverit, nec a communione Ecclesiæ separaverit, illud fortassis in causa fuit, quia non fuit ex Monachis Monasterio votoque addictis, sed habitu tantum. Hinc verba quæ leguntur in data epistola: *Considera judicium Dei, quid mereatur, qui semetipsum Deo vovit, continuoque mundi desideriis irretitus mentitus est, quid vovit*, notant Maurini abesse a MSS. & ex margine in textum irrepsisse putandum.

(a) *Lib.* 1. *epist.* 35.
(b) *Epist.* 36.

S. Greg. M.

hoc manu studeat defendere, sed quidquid ratione pauperibus competit, ratione etiam debeat defendi. 6. Studeat „ ut laici nobiles „ vel vir gloriosus pro humilitate eum diligant, non pro superbia „ perhorrescant, sed illis obsistat, si forte injuste agere contra inopes velint, ut & bene agentibus subditus, & male agentibus „ adversarius existat “: ita tamen ut nec humilitas remissa sit, nec auctoritas rigida, quatenus & humilitatem rectitudo condiat, & ipsam rectitudinem humilibus blandam reddat. 7. Denique „ cum „ moris sit ad natalem Pontificis Episcopos convenire, prohibet „ Episcopos ad ordinationis suæ diem venire, quia vana & stulta „ superfluitas non delectat. Sed si eos convenire necesse est, in „ beati Petri Apostolorum Principis natalem conveniant, ut ei, „ ex cujus largitate pastores sunt, gratiarum actiones solvant “. In alia vero epistola (*a*) plura contra jus facta emendari jubet; & præsertim cum coloni solerent aliquid solvere dominis, ut liceret ipsis nubere, indicit „ ut omnia commoda nuptiarum unius solidi „ summam nullatenus excedant, sed qui sunt pauperes etiam minus „ dare debeant: qui autem divites, præfati solidi summam nullatenus „ transgrediantur “. Deinde de Subdiaconorum cœlibatu sic decernit, ut qui ante Decretum, quo Subdiaconi omnium Ecclesiarum Siciliæ prohibiti fuerant, ut more Romano nullatenus suis uxoribus misceantur, non compellantur a sua uxore separari; sed deinceps Episcopi nullum Subdiaconum facere præsumant, nisi qui se victurum caste promiserit, quatenus & præterita quæ per propositum mentis appetita non sunt, violenter non exigantur, & futura caute caveantur. Qui vero post præfatum Decretum continenter cum suis uxoribus vixerint, laudandi, atque remunerandi sunt: qui vero post prohibitionem factam, se a suis uxoribus continere noluerint, nolumus pervenire ad sacrum ordinem (Diaconatus); quia nullus debet ad ministerium altaris accedere, nisi cujus castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata. Præterea nonnulla alia provide decernit circa hæredes, & pœnas reis infligendas, quia mos erat, ut si quis ex familia culpam fecerit, non in ipso, sed in ejus substantia vindicetur, quam consuetudinem aboleri jubet, præcipiendo, „ ut quisquis culpam fecerit, in ipso quidem, ut dignum „ est, vindicetur. A commodo autem ejus omnino abstineatur: „ nisi forte parum aliquid quod in usum exsecutoris qui ad eum „ transmissus fuerit, proficere possit “. Jubet etiam illata damna resarciri. Denique nonnullas largitiones loco eleemosynæ fieri præcipit. In alia vero epistola (*b*) mandat „ ut Godiscalchi viri di- „ gnissimi filio, non solum amissione visus, sed etiam inopia vi- „ ctus egestatem patienti annis singulis viginti modios tritici, fabæ „ quoque modios duodecim, & vini decimatas viginti pro susten-

„ tatione

(a) *Epist.* 44.
(b) *Epist.* 46.

„ tatione vitæ debeat ministrare “. Rursum alia epistola (*a*) jubet, ut Pastori visus imbecillitate laboranti, & egestate presso, cum conjuge & duobus mancipiis, pro eorum sustentatione annuos tritici modios trecentos, nec non fabæ modios totidem elargiatur. Iterum in alia ad eumdem epistola (*b*) illi præcipit, ut pro dedicatione Oratorii Beatæ Mariæ in Cella Fratrum constructi, ubi Marinianus Abbas præest, ad eam festivitatem celebrandam dare debeat ad erogandum pauperibus in auro solidos decem, vini amphoras triginta, agnos ducentos, olei orcas duas, berbices duodecim, gallinas centum. Alia MSS. habent, *annonæ trecenta sextaria . . . gallinas trecentas*. Ex qua varietate pronum est colligere, in hujusmodi dedicationibus consuevisse pauperibus dapes distribui, queis Agapes antiquo Ecclesiæ more instituerent. Rursum in alia epistola mandat (*c*), ut negotia monasterii Joannis Abbatis commendet Fausto, qui Romani viri magnifici ex prætore cancellarius fuerat, cujus si pronam ad hanc rem compererit voluntatem, ei monasterii ipsius generaliter debeat, constituto salario, commendare negotia. „ Expedit enim (subdit) parvo incommo-„ do a strepitu caussarum servos Dei quietos existere; ut & utili-„ tates cellæ per negligentiam non pereant, & Servorum Dei men-„ tes ad opus Dominicum liberiores existant “. Item (*d*) illi commendat Cyriacum, & Joannam conjugem ejus ex Judæa Christianam factam, quatenus a nullo eos contra justitiam opprimi, vel gravari permittat. Rursum præcipit, ut impediat (*e*) Episcopos Siciliæ, ne ante hyemem Romam veniant, ne nimium fatigentur, sed solum Gregorium Agrigentinum, & Leonem Catanensem, & Victorem Panormitanum per omnia curet ante hyemem proficisci. Præterea, ut nova frumenta ab extraneis comparet, & Romam mittat, „ quia tantum fuit (scribit) hic Romæ parva nativitas, „ ut, nisi auxiliante Deo frumenta de Sicilia congregentur, fames „ vehementer immineat “. Denique alia epistola (*f*) præcipit, ut domos, vel fines, atque possessiones Taurominitanæ juri Ecclesiæ pertinentes, si ab actionariis Romanæ Ecclesiæ contra rationis ordinem occupatas deprehenderit, in ante fatæ Ecclesiæ jura restituat.

S.GREG. M.

Cum vero hostilis furor plures Episcopos e suis locis expulisset, qui refugii locum usque in Illyricum fugientes quæsiverant, S. Gregorius ad universos per Illyricum Episcopos dedit epistolam (*g*), qua eos paterne hortatur, ut fratres Coepiscopos, quos captivitatis, diversarumque necessitatum angustiæ comprimunt, consolandos convivendosque secum in ecclesiasticis sustentationibus libenter suscipiant. Monet tamen nullam eis in eorum Ecclesiis auctoritatem tribue-

(a) *Epist.* 67. (b) *Epist.* 56.
(c) *Epist.* 69. (d) *Epist.* 71.
(e) *Epist.* 72. (f) *Epist.* 73.
(g) *Epist.* 45.

S. GREG. M. tribuere, ne per communionem episcopalis Throni dignitas dividatur, sed ut solum ab Ecclesia juxta possibilitatem sufficientia alimenta percipiant. Monachis vero Montis Christi in mari Tyrrheno sitis jubet (*a*), ut Horosium Abbatem suscipiant, & omnem ei obedientiam præbeant, & quidquid disposuerit, veluti a se dispositum cum debita reverentia custodiant.

Symmacho defensori tria jubet S. Gregorius (*b*). Primo quidem „ ut pro incertitudine temporis locum provideat, qui aut „ situs dispositione munitus existat, aut certe non magno labore „ muniri valeat, ut illuc monachos transmittat. 2. ut Horosium „ Abbatem in Gorgoniam insulam pergentem comitetur, & mala „ omnia quæ illic admissa sunt, ambo ita vindicent, ut per ul„ tionem eorum præfata insula etiam imposterum maneat corre„ cta. 3. Denique ut Sacerdotibus in Corsica commorantibus pro„ hibeat, ne cum mulieribus conversentur, exceptis dumtaxat ma„ tre, sorore, vel uxore quæ caste regenda est". Hic tamen notandum, quod licet Galliæ Concilia hoc sæculo congregata, Sacerdotes, Diaconos, & Subdiaconos post conjugium ordinatos, vetuerant cum uxoribus suis conversari; nondum tamen in Italia id vetitum erat, modo turpis abesset suspicio, ut innuit S. Gregorius tum hic, tum epistola 59. lib. 9. & 4. Dialogorum cap. 2.

Cum vero Hebræi conquererentur (*c*) Massiliæ vi magis ad fontem Baptismi quam prædicatione perduci, S. Gregorius Virgilio Arelatensi, & Theodoro Massiliensi Episcopis scribit: „ In„ tentionem vestram, & laude dignam censeo, & de Domini no„ stri dilectione descendere profiteor. Sed hanc eamdem intentio„ nem nisi competens Scripturæ Sacræ comitetur effectus, timeo „ ne aut mercedis opus exinde non proveniat, aut juxta aliquid „ animarum quas eripi volumus, quod absit, dispendia subsequan„ tur. Dum enim quispiam ad baptismatis fontem non prædica„ tionis suavitate, sed necessitate pervenerit, ad pristinam supersti„ tionem remeans, inde deterius moritur, unde renatus esse vide„ batur . . . Adhibendus ergo est illis sermo, qui & errorum in „ ipsis spinas urere debeat, & prædicando quod in his tenebrescit „ illuminet; ut pro his admonitione frequenti mercedem fraterni„ tas vestra capiat, & eos quantum Deus donaverit, ad novæ re„ generationem vitæ perducat".

Quantum a quocumque lucro abhorruerit D. Gregorius, patet ex ejus epistola (*d*) ad Felicem Episcopum Messanensem, cui sic scribit: „ Consuetudines quæ Ecclesiis gravamen noscuntur inducere, „ nostra nos decet consideratione remittere . . . Clericorum siqui„ dem vel aliorum consuetudinem te oportet illibatam servare, „ eisque annis singulis quæ sunt consueta transmittere. Nobis au„ tem de cætero, ne quid transmittere debeas, inhibemus. Et „ quo-

(a) *Epist.* 51. (b) *Epist.* 52.
(c) *Epist.* 47. (d) *Epist.* 66.

„ quoniam non delectamur xeniis, Palmatianas (vestes scilicet „ palmis intextas opere, ut vocant, plumario, vel phrygio con- S.GREG. M. „ cinnatas) quas tua direxit fraternitas, cum gratiarum actione „ suscepimus; sed eas ne quod exinde potuisses sentire dispendium, „ digno fecimus pretio venundari, & id fraternitati tuæ transmi- „ simus singillatim. Sed quia caritatem tuam ad nos venire velle „ cognovimus, scriptis præsentibus admonemus, ut ad veniendum non „ debeas laborem assumere; sed ora pro nobis, ut quanto nos iti- „ neris intervalla dissociant, tanto animis nostris ad invicem Chri- „ sto adjuvante simus in caritate conjuncti ".

Sequuntur libri secundi epistolæ scriptæ decima Indictione inci- Liber Secundus. piente Mense Septembris anni 591. idest anno sui Pontificatus secundo. Et in prima quidem (a) epistola, Petro Notario mandat, ut Monachis Monasterii S. Archangeli, quod Tropæis est constitutum, ad victum necessaria suppeditet. Episcopo vero Urbis (b) veteris scribit, non esse addendam afflictionem afflictis, proinde non esse neganda Clerico Calumnioso ægrotanti subsidia, quæ sano dabantur „ quia diversis in Ecclesia militantibus, varia, „ sicut nosti, sepe contingit infirmitas. Et si hoc fuerint exemplo „ deterriti, nullus de cætero qui Ecclesiæ militet, poterit inveni- „ ri, sed secundum loci ejus ordinem quæque ei, si sanus esset, „ poterant ministrari . . . ægrotanti præbere non desinas.

Sedis Episcopalis translationes fieri quandoque posse contendit, dum Joanni Episcopo Velitrano (c) concedit, ut Sedem suam in locum Harenata dictum, ad Sanctum Andream, valeat transmigrare: quatenus ab hostilitatis incursu liberior existat. Sicut & alterius Ecclesiæ (d) visitationem posse alieno Episcopo committi probat, dum scribit Paulino Liparitanæ Ecclesiæ Episcopo, ut Ecclesiam Taurianensem, quoties opportunum tempus crediderit, visitet. Ita pariter epistola vigesima quinta (e) Cumanæ Ecclesiæ visitationem Benenato Episcopo, & Nepesinæ Joanni (f) Misenati committit. Ad Romanum Pontificem pertinere aliorum Episcoporum correctionem, & punitionem manifestat epistola data ad Antoninum Subdiaconum, in qua 1. Natalem Episcopum Salonitanum hortatur, ut Honoratum Archidiaconum suo statim loco suscipiat. 2. Si hoc facere contumaciter forte distulerit, usum ei pallii, quod ab Apostolica Romana Sede concessum est, eadem auctoritate illi interdicat. 3. Quod si etiam amisso pallio, adhuc in eadem pertinacia perseverare perspexerit, Dominici quoque corporis ac sanguinis participatione privet. Episcoporum quoque confirmationem Romano Pontifici esse tribuendam ostendit epistola (g) ad universos Episcopos Illyrici, quibus sic scribit: „ Cum in per-

(a) *Epist.* 1. (b) *Epist.* 8.
(c) *Epist.* 14. (d) *Epist.* 17.
(e) *Epist.* 25. (f) *Epist.* 26.
(g) *Epist.* 22.

S. GREG. M.

„ ſona Joannis fratris, & coepiſcopi noſtri conſenſum omnium ve„ ſtrum, & Sereniſſimi Principis conveniſſe cognovimus, magna „ nos exultatio habuit . . . proinde juxta poſtulationis veſtræ deſi„ derium, prædictum fratrem, & coepiſcopum noſtrum, in eo „ quo eſt ſacerdotii ordine conſtitutus, noſtri aſſenſus auctoritate „ firmamus: ratamque nos ejus conſecrationem habere . . . . indi„ camus ". In ſequenti vero epiſtola (*a*) præfato Joanni electo Epiſcopo primæ Juſtinianæ gratulatur, quod unanimi conſenſu, & Sereniſſimi Principis voluntate accedente, fuerit ad Epiſcopalem Sedem evectus. Pallium deinde illi ex more tranſmittit, & vices Apoſtolicæ Sedis agere concedit, hortatus, ut circa ſubjectos ita ſe debeat exhibere, ut ad illius dilectionem provocentur potius quam ad timorem. Hortatur deinde ut ſumma prudentia & caritate paſtorale munus impleat, atque attendat: „ Paſtoris nomen „ non ad quietem, ſed ad laborem eſſe ſuſcipiendum . . . Sicut „ igitur laborantes, & circa animarum ſalutem ſolicitos hoc no„ men ante Deum æternam ducit ad gloriam: ita deſides ac tor„ pentes vergit ad pœnam ". Monet etiam, „ ne unquam ordi„ nationes facere tentet illicitas; ſed ſi quos ad Clericatus ordi„ nem, vel potiorem forte gradum promoveri contigerit, non præ„ miis aut precibus, ſed meritis ordinentur ". Denique epiſtolam claudit dicens: „ Xenia autem veſtræ ſanctitatis ſuſcipere o„ mnino nolueram . . . ſed Reſponſales veſtri alio me argumento „ vicerunt, ad eum illa deferentes, a quo non poſſent oblationes „ veſtræ fraternitatis repelli ": procul dubio ad Confeſſionem S. Petri oblata fuiſſe ea xenia credendum eſt.

Monachos ſui ſtatus deſertores eſſe retrudendos docet in epiſtola Gregorio Chartulario data, ſcribens: „ Inſinuatum nobis eſt (*b*), „ duos monachos refugiſſe a Monaſterio S. Georgii, & unum qui„ dem ex eis conjugem accepiſſe, alium autem laicum effectum ſe„ culariter vivere . . . Unde hortor, ut habita judicis æterni con„ ſideratione, monachos ipſos retrudi ſine dilatione faciatis, ne „ eorum exemplo, cum veſtro, quod abſit, peccato, cæterorum „ monaſteriorum diſtrictio diſſipetur, ſed magis ut magnitudinis „ veſtræ ſolatio aliis monachis ſpes gerendi talia ſubmoveatur ". Monet etiam, ne Abbati permittat novas imponere conſuetudines, quæ ex tempore conditi monaſterii per triennale tempus hactenus non fuerunt. Quomodo eligi debeant Epiſcopi, & ordinari, oſtendit epiſtola (*c*) ad Benenatum Epiſcopum Miſenatem, illi ſic ſcribens: „ Caritas tua ad Cumanam Eccleſiam ire properabit, „ & aſſiduis adhortationibus clerum, plebemque ejuſdem Eccleſiæ „ admonere te volumus, ut remoto ſtudio (diverſarum partium) „ uno eodemque conſenſu expetant Sacerdotem, qui & tanto mi„ niſterio dignus valeat reperiri, & a venerandis canonibus nulla-

„ tenus

(a) *Epiſt.* 23. (b) *Epiſt.* 28.
(c) *Epiſt.* 25.

„ tenus respuatur. Qui dum fuerit postulatus, cum solemnitate „ decreti omnium subscriptionibus roborati, & dilectionis tuæ te- „ stimonio ad nos sacrandus occurrat. Commonemus etiam fra- „ ternitatem tuam, ut nullum de altera eligi permittas Ecclesia, „ nisi forte inter Civitatis ipsius Clericos . . . nullus ad Episco- „ patum dignus . . . potuerit inveniri ".

S. GREG. M.

Militibus obedientiæ Tribuno suo præstandæ debitum inculcat in epistola (*a*) ad cunctos milites Neapolitanos data, scribens, „ Scriptis vos præsentibus curavimus admonendos, ut Constantio „ viro magnifico Tribuno, sicut & fecistis, omnem debeatis pro „ Serenissimorum Dominorum utilitate, vel conservanda civitate „ exhibere; quatenus quidquid a vobis hactenus bene gestum a- „ gnoscitur, per præsentis temporis vigilantiam ac solicitudinem „ augmentetis ".

Pastoralis solicitudo omnium Ecclesiarum luculentissime appa- ret in omnibus epistolis D. Gregorii, quas si hic recensere vel- lem, maximam profecto partem exscribere opus esset. Satis pro- inde erit nonnullas indicare, & quidem non ex sola hac indictio- ne, seu anno sui Pontificatus secundo, sed etiam ex subsequenti- bus. Primo itaque occurrit hujus secundi libri epistola (*b*) ad Joannem Episcopum Ravennatem, in qua illi curam commendat Episcoporum Siciliæ, scribens: „ De Episcopis vero ad nos per- „ tinentibus, qui tamen huc pro interpositione hostium venire non „ possunt, curam vestra fraternitas gerat. Ita tamen ut pro cau- „ sis suis ad Ravennatem urbem nullatenus revocentur, ne eos „ hoc tempore vexare aut fatigare in aliquo videamur ". Episto- la (*c*) vero ad Joannem Episcopum Squillacinum illi concedit quidem, ut Squillacinum Episcopatum adeat, ea tamen lege, ut ad suam Lissitanam Ecclesiam revertatur, si illam ab hostibus li- beram fieri contigerit. Ad Castorium vero Episcopum mandat (*d*), ne ipse aut ejus successores ob mortem Abbatis Ariminensis, res monasterii aut describant, aut administrent: nec alium constituant Abbatem, nisi quem Monachorum Congregatio postulaverit; & prohibet, ne in eo cœnobio Missas publicas faciat. In epistola (*e*) ad Benenatum Episcopum scribit, unitas a se Cumanam & Misenatem Ecclesias, & utriusque curam illi committere. Ad Dominicum Carthaginensem Episcopum (*f*) scribit, se quidem ita Romanæ Ecclesiæ privilegia defendere, ut singulis Ecclesiis sua ju- ra illibata conservet. In epistola (*g*) ad Columbum illi jubet, ut si constet, Maximinianum Pudentianæ Ecclesiæ Antistitem pecu- nia corruptum, Donatistam Episcopum in sua civitate fieri permi- serit, coacto Concilio, deponat. Conqueritur Donatistarum hæ-

N 2 resim

(a) *Epist.* 31. (b) *Epist.* 35.
(c) *Epist.* 37. (d) *Epist.* 41.
(e) *Epist.* 45. (f) *Epist.* 47.
(g) *Epist.* 48.

resim dilatari, proinde ne ad illam catholici deficiant, solerter attendat. Epistola ad universos Episcopos (*a*) dicit, schismaticos frustra de persecutione gloriari. Ob damnationem trium Capitulorum, nullam esse in fide immutationem inductam, quod ut ostendat illis, Pelagii Papæ librum mittit, quem, scribit, si puro vigilantique corde sæpius relegere voluerint, eum illos per omnia secuturos, & ad unitatem reversuros (1).

S.GREG. M.

Liber tertius. Libro tertio indictione undecima Joannem Episcopum (*b*) primæ Justinianæ, quæ nunc Locrida dicitur, sacra communione privat ob injustam damnationem Hadriani Episcopi Thebanæ civitatis, eumque in locum & ordinem suum restituit. Et Joanni Episcopo Larisseo (*c*) nuntiat, iniquam præfati Hadriani damnationem fuisse iniquis artibus, & machinationibus Joannis Metropolitani procuratam: proinde illi mandat, ut imposterum ab omni in illum jurisdictione abstineat; minatus, nisi paruerit, sacræ communionis privationem. Natali quoque Episcopo Salonitano (*d*) jubet, ut Florentium Epidauritanæ civitatis Episcopum, absque Concilii judicio depositum, ex eodem, in quo detrusus est, ejici faciat exilio, causamque ejus episcopali disceptatione perquiri. Et si in his in quibus accusatus est, canonica probatione fuerit convictus, canonica proculdubio est ultione plectendus. Quod si innocens repertus fuerit, in ipso innocentiæ suæ serventur illibata suffragia. Causam Agrigentini Episcopi ad se revocat, & Maximiano Episcopo mandat (*e*), ut accusatores, & cætera documenta, idest gesta, & petitiones, quæ data sunt, transmittere festinet. Agnello vero Tarracinensi Ecclesiæ (*f*) ita præesse jubet, ut tamen supra Fundensem Ecclesiam jura, potestatemque minime amittat. S. Anthemii Ecclesiam Numentanæ Ecclesiæ unitam declarat in epistola (*g*) ad Gratiosum Episcopum Numentanum, quem utrarumque Ecclesiarum Sacerdotem constituit, & ei permittit ut de ejus patrimonio vel Cleri ordinatione & promotione possit disponere. Magnum presbyterum Ecclesiæ Mediolanensis (*h*) ab Episcopo injuste communione privatum, in officium suum, & ad communionem restituit in epistola ad eum data. Occasione electionis Constantii Diaconi in Episcopum Mediolanensem, Presbyteris, & Clero Mediolanensi scribens (*i*) quales esse debeant eligentium affectus & animi, egregie depingit. Deinde Joanni Subdiacono mandat,

---

(a) *Epist.* 51.

(1) Ideo Histriæ Episcopi trium Capitulorum damnationi subscribere renuebant, quippe qui falso credebant ea a Chalcedonensi Concilio fuisse adprobata; cum tamen præfatum Concilium non de scriptis, sed de eorum auctoribus tantum tulerit judicium.

(b) *Epist.* 6. (c) *Epist.* 7.
(d) *Epist.* 8. (e) *Epist.* 12.
(f) *Epist.* 13. (g) *Epist.* 20.
(h) *Epist.* 26. (i) *Epist.* 29.

dat, ut Mediolanensium (*a*) scrutetur vota; quæ si in Constantium consentiunt, illum a propriis Episcopis consecrari faciat. De criminibus accusatos Januarium Episcopum, & Epiphanium Presbyterum, ut Romam perducat (*b*), mandat Sabino defensori Sardiniæ. Columbo Numidiæ Episcopo (*c*) jubet, ne pueros ad sacros ordines admittat, ne tanto periculosius cadant, quanto ad altiora citius conscendere festinant; & ne ulla sit in ordinatione venalitas, sicut nulla sit vel supplicatio, vel potentia Personarum, quæ contra præfata decreta aliquid obtineant. Joanni Patriarchæ Constantinopolitano (*d*), qui & Jejunator dicebatur, scribens, instat acerrime, ut causam Anastasii, & Joannis Presbyterorum juxta canones cognoscat, & finiat, atque eos in suis ordinibus suscipiat, eisque quietem præbeat: aut si hoc fortasse noluerit, omni altercatione postposita de eorum causa statuta majorum, & canonum terminos custodiat. Si vero neutrum facere noluerit, ipse quidem rixam minime inferet, sed ad se venientes non devitabit. Joannem Ravennatem Episcopum (*e*) reprehendit, qui extra Missarum solemnia in Litaniis, & Processionibus Pallium contra Ecclesiæ universalis consuetudinem ferre præsumpserit, unde scribit: „ Quomodo fieri potest, ut illud cineris, atque cilicii tempore „ per plateas, inter populorum strepitus agas licite, quod te agere „ in conventu pauperum, nobilium, & in secretario Ecclesiæ velut „ illicitum excusasti?.. Illud tibi non putamus ignotum, quod pene de nullo Metropolita in quibuslibet mundi partibus sit auditum, „ extra Missarum tempus usum sibi pallii vindicasse... Aut ergo „ mos omnium Metropolitanorum etiam a tua est Fraternitate servandus, aut si tuæ Ecclesiæ aliquid specialiter dicis esse concessum, præceptum a prioribus Romanæ urbis Pontificibus, quo „ hæc Ravennati Ecclesiæ sint concessa, a vobis oportet ostendi ". Illi tamen concedit, ut Pallio uti possit in Litaniis quatuor dumtaxat anni diebus, scilicet in natalitiis SS. Joannis Baptistæ, Petri Apostoli, Apollinaris, & ordinationis suæ, lib. 5. ep. 11. Denique primis Ravennatis Ecclesiæ Diaconibus Mappularum, sive Manipulorum usum concedit. S.GREG. M.

Sub anathematis pœna, & de beati Petri Principis Apostolorum auctoritate, præcipit universis Episcopis Dalmatiæ, ne absque consensu & permissu suo, ullum Salonæ Episcopum ordinent (*f*). Illis tamen concedit, ut si in aliquem alium, excepta dumtaxat persona Maximi, de qua ad eum multa perlata fuerunt, ita omnium consensus accesserit, ut auctore Deo, dignus sit, & non sit, qui ab ejus ordinatione dissentiat, possint illum consecrare. Ad Gregorii judicium confugerat Adeodatus Presbyter, qui cum pro suis ordinandis negotiis, & ægritudinis causa per duorum mensium spatium Liber Quartus Indictione duodecima.

N 3 suæ

(a) *Epist.* 30. (b) *Epist.* 36.
(c) *Epist.* 48. (d) *Epist.* 53.
(e) *Epist.* 56. (f) *Epist.* 10.

S. GREG. M.

ſuæ defuerit Eccleſiæ, & a Quintiano Epiſcopo a ſuo fuerat dimotus officio, & alius Presbyter ſuo loco ordinatus (*a*). Mandat itaque SS. Pontifex Clementio Epiſcopo Primati Byzaceno, ut cauſam ejus ſolicite, diſtrićteque perquirat; & quidquid ſibi ſecundum Deum viſum fuerit, juvante Domino, ita ſtudeat decernere, ut nulla de hac re quæſtio ad eum ulterius revertatur. Ambitum ſeveriſſima canonum diſtrićtione damnatum (*b*) reprimere volens, Maximum Præſumtorem in Epiſcopatu intruſum, obtentu juſſionis, ſeu nominationis Sereniſſimorum Principum, ordinatoreſque ſuos ab omni ſacerdotali officio ſuſpendit uſque dum dominicis vel Reſponſalis Romani apicibus cognoverit non ſubreptitia, ſed vera fuiſſe juſſione ordinatum. Subleſtæ autem fidei juſſionem Imperatoris ſibi videri dicit S. Gregorius, qui ſcribit: „ quia Sereniſſimi Imperatoris animum non ignoramus, quod ſe in cauſis ſacerdotalibus „ miſcere non ſoleat, ne noſtris in aliquo peccatis gravetur ". Nobiles, ac Poſſeſſores in Sardinia (*c*) objurgat, quia cum ruſticos in ſuis poſſeſſionibus idololatriæ deditos habeant, illos ab idolorum cultu, & ad veri Dei agnitionem adducere non ſtudeant, quod ſi agere vel nolint, vel non valeant, Felici Epiſcopo, & Cyriaco ad hoc opus miſſis, auxilium ſaltem, & opem ferant. Plura egregie ſtatuit in epiſtola (*d*) ad Joannem Caralitanum Epiſcopum: & 1. quidem monet, ut Eccleſiam ſtrenue regat, diſciplinam Clericis tenere ſtudeat, Archidiaconum, cui vetuerat, ne cum mulieribus habitaret, & ſua juſſa ſpreverat, ſacro ordine privet. 2. Reprehendit, quia ruſticos quos habet Eccleſia, in infidelitate remanere, ſua negligentia permittat. 3. Clericos poſt acceptum ſacrum ordinem, in peccatum carnis lapſos, etiam poſt peractam pœnitentiam a ſacro ordine ita repellendos, ut ad Altaris miniſterium ulterius non accedant, ſed ſolum communionem accipiant inter laicos, ut confirmat epiſtola 3. lib. 5. Quod ſi ad priſtinum miniſterium præſumpſerint accedere, ita ſacra communione priventur, & uſque ad diem obitus in excommunicatione permaneant, nec niſi exitus ſui tempore viaticum percipiant; in epiſtola 7. lib. 5. 4. Circa ordinationes ſtatuit: „ Ne umquam ii qui ordinati „ ſunt, pereant, provideri debet, quales ordinentur, ut prius aſpi„ ciatur, ſi vita eorum continens in annis plurimis fuit, ſi ſtudium „ lećtionis, & orationis, ſi eleemoſynæ amorem habuerunt. Quæ„ rendum ... ne forte bigamus fuerit . . . ne ſine litteris . . . ne „ obnoxius curiæ ". 5. Cum vetuiſſet Presbyteris Sardiniæ, ne baptizatos in fronte ungerent, ideſt Confirmationis conferrent ſacramentum, quod Epiſcopis erat reſervatum, hic tamen illis concedit, ut ubi Epiſcopi deſint, etiam in frontibus baptizandos chriſmate tangere debeant, ad tollendum aliquorum ſcandalum, qui de tali interdićto contriſtabantur. Ex quo patet, olim conceſſam fuiſſe,

---

(a) *Epiſt.* 13. (b) *Epiſt.* 20.
(c) *Epiſt.* 25. (d) *Epiſt.* 26.

fuisse, & modo concedi posse Presbyteris Sacramenti Confirmationis administrationem, quæ concessio & modo in Ecclesia Græca locum obtinet, in qua cum hæc duo Sacramenta Baptismus & Confirmatio minime disjungantur, utrumque ab eodem confertur ministro. Quanto zelo canonum urgeret observantiam, patet ex epistola ad Narsem Patricium (*a*), in qua dicit, se adversarium habere Joannem Patriarcham Constantinopolitanum, qui dicebat quidem in causa, quam cum suis Presbyteris habebat, se velle Canones custodire: at inquiebat S. Gregorius: „ Si videro Sedi A- „ postolicæ canones non servari, dabit omnipotens Deus quid con- „ tra contemptores ejus faciam “. Clericos ad aliam Diœcesim confugientes, ad suum Episcopum, sub quo clericali militiæ inservire cœperant, remittendos jubet in epistola ad Maximianum Episcopum Syracusanum (*b*). **S. Greg. M.**

In libro quinto indictione decima tertia scriptæ epistolæ recensentur. In quibus 1. jubet, ne Clerici (*c*) Ecclesiis deservientes Monasteriis præponantur, quia inquit: „ Nemo potest & Eccle- „ siasticis obsequiis deservire, & in monachica regula ordinate persi- „ stere; ut ipse monasterio districtionem teneat, qui quotidie in „ ministerio ecclesiastico cogitur permanere “. Joannem Ravennatem Episcopum (*d*) de superbia & arrogantia graviter objurgat, & ad mores mutandos vehementer urget, in hæc verba epistolam claudens: „ Ad hæc autem mihi non verbis, sed moribus re- „ sponde “. At acrius Joannem Jejunatorem ob assumptum Œcumenici Patriarchæ titulum reprehendit. Quæ egerit ejus Prædecessor Pelagius, *ut a tam nefando elationis vocabulo absterreret*, enarrat. Acta Synodi ob eam causam rescissa, Missarum solemnia cum ipso celebrare tum Apocrisario Pelagii, tum Sabiniano Apocrisario suo, vetitum. Deinde iterum (*e*) ut ab eo abstineat, enixius rogat, multisque argumentis urget scribens: „ Eo tempore „ quo Fraternitas Vestra in sacerdotalem honorem provecta est, „ quantam Ecclesiarum pacem atque concordiam invenerit, reco- „ lit. Sed quo ausu, quove tumore nescio, novum sibi conata „ est nomen arripere, unde omnium Fratrum corda potuissent ad „ scandalum pervenire. Qua in re vehementer admiror, quia ne „ ad Episcopatum venire potuisses, fugisse velle te memini. Quem „ tamen adeptum ita exercere desideras, ac si ad eum ambitioso „ desiderio cucurrisses. Qui enim indignum te esse fatebaris, ut „ Episcopus dici debuisses, ad hoc quandoque perductus es, ut de- „ spectis Fratribus, Episcopus appetas solus vocari. Et quidem „ hac de re sanctæ memoriæ decessoris mei Pelagii gravia ad San- „ ctitatem vestram scripta transmissa sunt. In quibus Synodi, „ quæ apud vos de fratris quondam & coepiscopi nostri Gregorii **Liber quintus.**

(a) *Epist.* 32. (b) *Epist.* 44.
(c) *Epist.* 1. (d) *Epist.* 15.
(e) *Epist.* 18.

S. GREG. M. „ causa congregata est, propter nefandum elationis vocabulum, „ acta dissolvit: & Archidiaconum, quem juxta morem ad vestigia Dominorum transmiserat, Missarum vobiscum solemnia celebrare prohibuit. Post ejus vero obitum, cum indignus ego ad „ Ecclesiæ regimen adductus sum, & ante per alios Responsales „ meos, & nunc per communem filium Sabinianum Diaconum „ alloqui Fraternitatem vestram, ut a tali se præsumptione compesceret, non equidem scripto, sed nudo sermone curavi. Et si „ emendare nolles, eum Missarum solemnia cum Fraternitate vestra delebrare prohibui . . . Et quia resecanda vulnera prius leni manu palpanda sunt: rogo, deprecor, & quanta possum dulcedine exposco, ut Fraternitas vestra cunctis sibi adulantibus, „ atque erroris nomen deferentibus contradicat, nec stulto ac superbo vocabulo appellari consentiat. Vere enim & flens dico, „ atque ex intimo viscerum dolore peccatis meis deputo, quod ille „ meus Frater nuncusque ad humilitatem reduci non valuit, qui „ ad hoc in Episcopatus gradu constitutus est, ut aliorum animas „ ad humilitatem reducat ". Ostendit deinde, hac sua vanitate Ecclesiam turbare, Christi membra dividere, & talem titulum sibi usurpare „ quando Sancti ante Legem, Sancti sub Lege, Sancti sub gratia . . . perficientes Corpus Christi . . . nemo se unquam universalem vocari voluit ". Et denique sic adhortationem suam claudit: „ Ego per Responsales meos semel, & bis „ verbis humilibus hoc quod in tota Ecclesia peccatur, corripere „ studui. Quidquid facere humiliter debui, non omisi. Sed si in „ mea correptione despicior, restat ut Ecclesiam debeam adhibere ". In sequenti vero epistola (a) ad Sabinianum Diaconum Apocrisarium suum mandat, ut superiorem epistolam in gratiam Imperatoris suavitate respersam illi reddat. Ejus illi calliditatem exponit, qua Imperatorem rogaverat, ut ipsi Sabiniano committeret scribendum S. Gregorio, ut cum Joanne pacem haberet. „ Idcirco enim hoc ille fecit, ut aut audiretur Domnus Imperator, „ & ille in sua vanitate confirmatus esse videretur: aut non a me „ audiretur, & ejus animus contra me irritaretur ". Se vero dicit, nullo pacto posse a veritate & fide defendenda impediri: „ Postquam enim (scribit) pro amore Reipublicæ, argentum, „ aurum, mancipia, vestes perdidimus, nimis ignominiosum est, „ ut per eos etiam fidem perdamus. In isto enim scelesto vocabulo consentire, nihil est aliud quam fidem perdere ". Quæ verba indicant, quo sensu Œcumenici titulum intelligeret S. Gregorius, videlicet significare unum tantum in Ecclesia Episcopum, quasi cæteri Ecclesiæ Episcopi ejus forent Vicarii: quo profecto in sensu ne summo quidem Pontifici convenire potest, cum certo certius sit Episcopos esse a Spiritu sancto positos regere Ecclesiam Dei (1). In

(a) *Epist. 19.*
(1) Revera in Chalcedonensi Synodo act. 3. referuntur libelli supplices

In epiſtola (*a*) vero ad Mauricium Imperatorem, iterum Joannis vanitatem illi oſtendit ſcribens: „ Oſſa jejuniis atteruntur, & „ mente turgemus. Corpus deſpectis veſtibus tegitur, & elatione „ cordis purpuram ſuperamus . . . Doctores humilium, duces ſu- „ perbiæ, ovina facie lupinos dentes abſcondimus . . . Ecce claves „ regni cæleſtis (Petrus) accepit, poteſtas ei ligandi ac ſolvendi „ tribuitur, cura ei totius Eccleſiæ committitur, & tamen univer- „ ſalis Apoſtolus non vocatur . . . Ecce cuncta in Europæ parti- „ bus Barbarorum juri ſunt tradita, deſtructæ urbes, everſa ca- „ ſtra, depopulatæ provinciæ, nullus terram cultor inhabitat: ſæ- „ viunt & dominantur quotidie in necem fidelium cultores idolo- „ rum; & tamen Sacerdotes, qui in pavimento & cinere flentes „ jacere debuerunt, vanitatis ſibi nomina expetunt . . . Nunquid „ ego hac in re, piiſſime Domine, propriam cauſam defendo? „ Nunquid ſpecialem injuriam vindico? cauſam omnipotentis Dei, „ cauſam univerſalis Eccleſiæ . . . Et certe multos Conſtantino- „ politanæ Eccleſiæ in hæreſeos voraginem incidiſſe novimus Sa- „ cerdotes, & non ſolum hæreticos, ſed etiam hæreſiarchas factos. „ Inde quippe Neſtorius . . . inde Macedonius . . . . Si igitur „ illud nomen in ea Eccleſia ſibi quiſpiam arripit, quod apud bo- „ norum omnium judicium fecit: univerſa ergo Eccleſia, quod „ abſit, a ſtatu ſuo corruit, quando is qui appellatur univerſalis „ cadit . . . Ego cunctorum Sacerdotum ſervus ſum, in quantum „ ipſi ſacerdotaliter vivunt. Nam qui contra omnipotentem Domi- „ num per inanis gloriæ tumorem, atque contra ſtatuta Patrum „ ſuam cervicem erigit . . . meam ſibi nec cum gladiis flectit . . . „ Cogitet ergo Dominorum Pietas . . . ac ſecundum petitionem Sa- „ biniani Diaconi . . . ipſum dignetur judicare negotium, aut Joan- „ nem, ut ab hac tandem intentione ceſſet, inflectere . . . Ego „ autem Dominorum juſſionibus obedientiam præbens, prædicto con- „ ſacerdoti meo & dulciter ſcripſi, & humiliter, ut ab hac inanis „ gloriæ appetitione ſe ſe emendet, admonui. Si igitur me audire „ voluerit, habet devotum Fratrem. Si vero in ſuperbia perſiſtit, „ illum ſibi adverſarium invenit, de quo ſcriptum eſt: *Deus ſuper-* „ *bis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam* (*b*). S. GREG. M.

Ad Conſtantinam quoque Auguſtam ſcribens, eam hortatur, „ ut (*c*) nullius contra veritatem prævalere hypocriſim permit- „ tat". Hanc autem Joannis hypocriſim egregie pingit ſcribens: „ Qui veſte quidem deſpecti ſunt, ſed corde tument. Et quaſi in „ hoc mundo cuncta deſpiciunt, & cuncta ſimul adipiſci quærunt. Qui

ces Romano Pontifici oblati, in quibus Œcumenicus, ſeu univerſalis dicitur; quem tamen titulum Concilium minime reprobavit. Idem dicendum de oratione Paſchaſini in ea actione recitata, in qua Romanum Pontificem Œcumenici titulo exornat.

(a) *Epiſt.* 20. (b) *Jac.* 4. 6.
(c) *Epiſt.* 21.

S.Greg. M.

„ Qui indignos ſe omnibus hominibus fatentur . . . ſed illud appe-
„ tunt, unde omnibus digniores eſſe videantur ... Triſte enim val-
„ de eſt, ut patienter feratur, quatenus deſpectis omnibus, prædi-
„ ctus frater, & coepiſcopus meus conetur ſolus appellari Epiſcopus.
„ Sed in hac ejus ſuperbia quid aliud niſi propinqua jam Anti-
„ chriſti eſſe tempora deſignatur? . . . . Unde per omnipotentem
„ Deum rogo, ne pietatis veſtræ tempora permittatis unius homi-
„ nis elatione maculari, neque tam perverſo vocabulo ullum quo-
„ quo modo præbeatis aſſenſum, atque hac in cauſa nequa-
„ quam me Pietas veſtra deſpiciat: quia etſi peccata Gregorii tan-
„ ta ſint, ut veſtris temporibus pati talia debeat, Petri tamen
„ Apoſtoli peccata nulla ſunt, ut veſtris temporibus pati iſta me-
„ reatur ".

Cum vero Sanctus Pontifex arbitraretur, novo a Patriarcha Conſtantinopolitano uſurpato titulo, cæteris quoque Orientis Patriarchis injuriam inferri, communem ſcripſit epiſtolam (*a*) & Eulogio Alexandrino, & Anaſtaſio Antiocheno Patriarchis, in qua primo exponit ſtudia, & curas tum Prædeceſſoris ſui Pelagii, tum ſuas ut Joannem ab aſſumpto tumido honoris vocabulo revocarent. Deinde eos hortatur, ut una mente inſequantur in homine malum ſuperbiæ . . . Proinde ſcribit: „ Propterea Sanctitas veſtra in
„ ſuis epiſtolis neminem unquam univerſalem nominet, ne ſibi de-
„ bitum detrahat, cum alteri honorem offert indebitum. Nec hac
„ in re de ſereniſſimis Dominis animum veſtrum mordeat ſini-
„ ſtra ſuſpicio: quia omnipotentem Dominum metuit, & con-
„ tra ſtatuta Evangelica, & contra ſacratiſſimos canones agere ali-
„ quid nullo modo conſentit. Ego vero quamvis a vobis per
„ longa terrarum atque maris intervalla disjunctus ſim, ſum ta-
„ men omnino vobis corde conjunctus, . . . Unica ergo mente
„ inſequamur in homine malum ſuperbiæ, ut ab hoſte ſuo, vide-
„ licet errore, prius homo ipſe liberetur . . . Si hoc enim dici
„ licenter permittitur, honor Patriarcharum omnium negatur. Et
„ cum fortaſſe is in errore perit, qui univerſalis dicitur, nullus
„ jam Epiſcopus remanſiſſe in ſtatu veritatis invenitur. . . Omnes
„ Epiſcopos curæ veſtræ ſubjectos ab hujus elationis inquinatione
„ prohibete; ut univerſa vos Eccleſia Patriarchas, non ſolum in
„ bonis operibus, ſed etiam in veritatis auctoritate cognoſcat (1).

„ Si

(a) *Epiſt.* 43.

(1) Nihil profecit cum Joanne Gregorius, qui titulum uſque ad mortem retinuit. Obiit vero hoc ipſo anno 595. Ipſum vero Sanctiſſimus Pontifex nunquam communione privavit, nam in epiſtola ad Mauricium Imperatorem data pro electione Cyriaci in ejus locum ſuffecti, ſanctæ memoriæ Epiſcopum appellat. Immo & præfati Cyriaci Synodicam epiſtolam, in qua eundem titulum uſurpabat, ne unitatem ſcinderet, recepit: admonuit tamen, ut profanum nomen deponeret. Licet vero ejus ſucceſſor in

Ro-

„ Si qua autem forsan adversa subsequuntur, unanimiter persisten- S. GREG. M.
„ tes, etiam moriendo debemus ostendere, quia in damno generalitatis nostrum specialiter aliquid non amamus . . . Mihi enim „ credite, quia honorem, quem pro prædicanda veritate suscepimus, si necessitatis causa exigat, securius pro eadem veritate „ relinquimus, quam tenemus". Apparent & in aliis epistolis universalis omnium Ecclesiarum solicitudo, & suprema in omnes Episcopos Romani Pontificis jurisdictio, & auctoritas. Omnia argumenta ex epistolis proferre nimis longum foret. Satis erit in sequentibus recensendis epistolis Indictionem indigitare. Ad semitam itaque revertamus.

Rusticianæ Patriciæ fœminæ nobilissimæ dedit epistolas S. Gregorius, in quarum prima (*a*) eam reprehendit, quia cum invisendi loca sancta piam concepisset intentionem, eam implere nimium differat: nam inquit: „ Callidus insidiator animum irretire nititur, „ & subinde impedimenta suggerit, quibus ad effectum minime desideria sua mens occupationibus debilitata perducat". In altera vero (*b*), quod pium votum impleverit, laudat; sed arguit, quia festine nimium e monte Sina redierit, nec Patres, ac Religiosos viderit, eorumque virtutes, & pietatis opera non satis accurate inspexerit. „ Si enim vidissetis, scribit, tam celeriter ad „ Constantinopolitanam urbem redire minime poteratis". In tertia (*c*) eam, ut Romam ad Principis Apostolorum revisenda limina venire festinet, hortatur. Addit, se decem auri libras in redemptionem captivorum sibi missas, accepisse. „ Sed peto (sub„ dit), ut superna gratia, quæ vobis concessit, eas pro animæ „ vestræ mercede tribuere, mihi etiam concedat sine aliquo peccati „ contagio dispensare; ne unde vos peccata detergitis, nos inde „ maculemur". In quarta (*d*) vero eam rogat, ne se illius ancillam in sua epistola dicat. „ Ego enim (scribit eximia humi„ litate) qui per Episcopatus onera servus sum omnium factus, „ qua ratione se illa mihi dicit ancillam, cujus ante susceptum „ Episcopatum, proprius (idest vel Vassallus, vel Cliens) fui"? Vela ab ea ex purissimo sincerissimoque corde B. Petro Apostolorum Principi transmissa, se suscepisse dicit, & præsente omni Clero illic suspensa fuisse. De eleemosyna vero, quam beati Andreæ Apostoli monasterio fecerat, scribit; „ Quid necesse est aliquid me „ dicere, cum scriptum sit: *Absconde elemosynam in sinu paupe-* „ *ris*,

Romana Sede Bonifacius tertius a Phoca Imperatore legem impetraverit, qua & Cyriaco, & aliis deinceps Constantinopolitanis Patriarchis vetabatur, ne ulterius Œcumenici titulum sibi usurparent, tamen hæc lex non multum viguit: nam in Synodis generalibus Sexta & Septima hoc titulo non minus ac Romani Pontifices insigniuntur, illumque sibi attribuit Constantinopolitanus Patriarcha.

(a) *Lib.* 2. *epist.* 27. (b) *Lib.* 4. *epist.* 46.
(c) *Lib.* 8. *epist.* 22. (d) *Lib.* 11. *epist.* 44.

[redacted] „ *ris*, *& hæc pro te exorabit* (*a*)? Si ergo apud secretas aures
S. GREG. M. „ Dei habet ipsa bona operatio vocem suam: sive nos clamemus, „ sive taceamus, hoc ipsum quod bene egistis, clamat “.

De conversione Judæorum, qui (*b*) in terris Ecclesiæ degebant, ipsique serviebant, solicitus scribit Petro Subdiacono Patrimonii Ecclesiæ in Sicilia Rectori, ut Judæis notum faciat, quod si qui ex eis Christiani voluerint fieri, aliquantulum pensi sibi relaxabitur. Porro hanc relaxationem ita faciendam præscripsit in epistola ad Cyprianum Diaconum (*c*), „ ut si solidi pensionem habet, „ tremissis ei relaxari debeat: si tres vel quatuor, unus solidus relaxetur . . . Nec hoc (subdit) inutiliter facimus, si pro levandis pensionum oneribus, eos ad Christi gratiam perducamus, „ quia & si ipsi minus fideliter veniunt, hi tamen qui de eis nati „ fuerint, jam fidelius baptizantur. Aut ipsos ergo, aut eorum filios lucramur (1).

Liber tertius Epistolarum. Hujus libri epistolæ datæ sunt Indictione undecima, idest anno 592. In epistola (*d*) ad Joannem Abbatem se lætari dicit de inventione tunicæ S. Joannis, & sic illi scribit: „ Studeat dilectio tua „ mihi ipsam tunicam, aut quod melius est, eumdem Episcopum, qui „ eam habet, cum Clericis suis, & cum ipsa ad me transmittere: „ quatenus & benedictione tunicæ perfruamur, & de eodem Episcopo vel Clericis mercedem habere valeamus “. Hanc tunicam fuisse S. Joannis Evangelistæ, & positam Romæ in Basilica Constantiniana, & pluribus coruscasse miraculis narrat Joannes Diaconus in vita S. Gregorii lib. 3. cap. 59.

Elegerant sibi Neapolitani in Episcopum Florentium Subdiaconum, qui ex humilitate eam ordinationem lacrymabiliter evitavit. Jubet igitur Scholastico Judici, „ ut convocans (*e*) priores, vel populum „ civitatis de electione alterius cogitent, qui dignus possit cum „ Christi solatio ad Sacerdotium promoveri . . . . Si autem non „ inveniunt in quam possint consentire personam; saltem tres viros rectos ac sapientes eligant, quos ad hanc Urbem generalitatis vice mittantur, quorum & judicio plebs tota consentiat. „ Forsitan huc venientes . . . talem reperient, qui illis Antistes „ irreprehensibiliter ordinetur “. Habetur hic exemplum electionis per compromissum.

Cum Ecclesiæ bona esse pauperum probe nosset S. Gregorius, scri-

---

(a) *Eccle.* 19. 12. (b) *Lib.* 2. *epist.* 32.
(c) *Lib.* 5. *epist.* 8.
(1) Nemo putet Judæos ad baptismum admissos, quos ministri scirent minus fideliter venire. Non is unquam fuit Ecclesiæ sensus, in qua, ut inquit S. Augustinus, Catechumeni exorcizantur, scrutantur quanta vigilantia conveniant, quo studio serveant, qua cura pendeant, & ideo scrutinia habeantur septies repetita, ut videre est apud Rupertum, Alcuinum, Amalarium Fortunatum, aliosque.
(d) *Epist.* 3. (e) *Epist.* 15.

scribens Paschali, Demetiano, atque Castorio Orphanis, pecuniam, quam (*a*) eorum parens Urbicus jam defunctus, & qui Sabinense patrimonium Ecclesiæ Romanæ administraverat, pro cujus administratione totam suam substantiam obligaverat, debebat, illis condonat, & concedit, ut patris sui substantiam sibi adhuc habeant, & possideant, quia, inquit, „ officii nostri est orbatis ita parentibus ferre consultum, quatenus aliquid de his „ quæ juste debentur Ecclesiæ relaxantes, eorum possimus subveni- „ re miseriis “. S. GREG. M.

Justitiam misericordiæ jungebat: quamobrem Pantaleoni Notario mandat, ut sua (*b*) auctoritate suffultus ad Sipontinam civitatem proficiscatur, cogatque Felicem virginis stupratorem, „ ut „ aut uxorem factis nuptialibus instrumentis accipiat, aut corporaliter castigatum in monasterium eum privatum communione detrudat; ita ut nulla exinde ei sit quoquomodo egrediendi licentia “. Cumque defloratæ virginis frater, qui conquestus fuerat, esset Evangelus Diaconus, qui de hostibus se redemerat, ac proinde debitum contraxerat, jubet Felici Episcopo, ut ejus pretium de Ecclesia dare non differat, quatenus Diaconus a debiti necessitate, cujus est suppositus, liberari possit.

Legem tulerat Mauritius Imperator, qua sanxerat, ut quisquis (*c*) publicis administrationibus fuerit implicatus, ei ad ecclesiasticum officium venire non liceat. Et præterea nulli qui in manu signatus est, in monasterium converti non liceat. Signabantur autem in manibus servi, & milites, ut internoscerentur. Hanc Legem Longinus Strator D. Gregorio publicandam nomine Imperatoris attulerat. Mauritio itaque Augusto scribit; & primo quidem dicit se priorem legis partem laudasse, „ evidentissime sciens, „ quia qui sæcularem habitum deferens, ad ecclesiastica officia ve- „ nire festinat, mutare vult sæculum, non relinquere “. At de altera legis parte se dicit, „ vehementer expavisse: quia per eam „ cælorum via multis clauditur, & quod nuncusque licuit, ne li- „ ceat, prohibetur. Multi enim sunt, qui possunt religiosam vi- „ tam etiam cum sæculari habitu ducere. Et plerique sunt, qui „ nisi omnia reliquerint, salvari apud Deum nullatenus possunt... „ Ad hoc autem potestas super omnes homines, Dominorum meo- „ rum pietati cælitus data est, ut qui bona appetunt, adjuven- „ tur, ut cælorum via largius pateat, ut terrestre regnum cælesti „ regno famuletur. Et ecce aperta voce dicitur, ut ei qui semel „ in terrena militia signatus fuerit, nisi aut expleta militia, aut „ pro debilitate corporis repulsus, Domino Jesu Christo militare „ non liceat. Ad hæc ecce per me servum ultimum suum, & „ vestrum respondebit Christus, dicens: Ego te de Notario Comi- „ tem excubitorum, de Comite excubitorum Cæsarem, de Cæsare „ Im-

(a) *Epist.* 21. (b) *Epist.* 41.
(c) *Epist.* 65.

S. GREG. M. „ Imperatorem, nec solum hoc, sed etiam patrem Imperatorum „ feci. Sacerdotes meos tuæ manui commisi, & tu a meo servitio „ milites tuos subtrahis? Responde rogo, . . . quid venienti, & „ hæc dicenti responsurus es in judicio Domino tuo? Sed fortasse „ creditur, quia nullus eorum puro animo convertatur. Ego indi- „ gnus famulus vester scio, quanti his diebus in monasterio mili- „ tes conversi miracula fecerunt, signa & virtutes operati sunt. „ Sed per hanc legem jam ne quisquam talium converti debeat, „ prohibetur. Requirat rogo . . . . quis prior Imperator talem „ legem dederit, & subtilius æstimet si debuit dari. Et quidem „ considerandum valde est, quia eo jam tempore prohibentur qui- „ que relinquere sæculum, quo appropinquavit finis ipse sæculo- „ rum ". Denique Augustum „ per tremendum judicem depreca- „ tur, ut . . . aut interpretando, aut immutando vigorem ejusdem „ legis inflectat: quia tunc magis Dominorum exercitus contra „ hostes crescit, quando Dei exercitus ad orationem creverit ". Denique sic epistolam claudit: „ Ego quidem jussioni subjectus „ eamdem legem per diversas terrarum partes transmitti feci, & „ quia lex ipsa omnipotenti Deo minime concordat, ecce per sug- „ gestionis meæ paginam Serenissimis Dominis nuntiavi. Utrobique „ ergo quæ debui exsolvi, qui & Imperatori obedientiam præbui, „ & pro Deo quod sensi minime tacui ".

Non Imperatori solum, sed & Aulicis ejus scripsit, ut Augustum ad revocandam legem hortarentur. Scripsit (*a*) itaque Theodoro Imperatoris Archiatro: ei iniquitatem latæ legis ostendit, & primum qui similem tulerit legem dicit esse Julianum, de quo omnes norunt, quantum Domino adversus fuerit. Sed Imperatoris Apostatæ exemplum ad se trahere non poterat pius Imperator. Addit, se noluisse epistolam suam per Responsalem suum publice dari, sed illi mittere ut opportuno tempore secrete ei offerat, quia (inquit) „ vos qui ei familiarius servitis, loqui ei liberius & „ apertius potestis, quæ pro ejus sunt anima . . . Tu ergo . . . „ pro Christo loquere. Si auditus fueris, lucrum est animæ „ prædicti domini tui, & tuæ ". Utrum operam suam præstiterit Theodorus, ut lex emolliretur, ignoratur. Illud tamen certum est, temperatam a Mauritio legem, & concessum militibus monasticam vitam amplecti, præmissa triennali probatione, ut idem testatur S. Gregorius ad plures Metropolitas scribens: „ Qua „ de re etiam Serenissimus & Christianissimus Imperator, mihi cre- „ dite, omni modo placatur, & libenter eorum conversionem susci- „ pit, quos in rationibus publicis implicitos non agnoscit ". Immo sunt qui putant cum Cardinali Baronio, ab ipso Gregorio hoc imperatorium edictum temperatum fuisse, antequam illud promulgaret, & ad Metropolitas transmitteret, usus videlicet potestate Præfecti prætorio, penes quem erat civiles leges ad se ob publicationem missas

(a) *Epist. 66.*

missas vel aliquatenus immutare, vel suspendere, donec de emendatione, vel suspensione per epistolas, vel per seipsos admonuissent. Verba tamen S. Gregorii nimis aperta sunt, & huic opinioni non omnino faventia. S.Greg. M.

In quarto libro epistolæ recensentur datæ indictione duodecima. In hoc plures habentur epistolæ de trium Capitulorum damnatione. In secunda itaque epistola (a) Constantio Episcopo Mediolanensi scribit, Prædecessorem suum Laurentium districtissimam cautionem emisisse, in qua viri nobilissimi, & legitimo numero subscripserunt. Porro hæc cautio erat juratoria, & scripto exarata, qua subscribentes pollicebantur se damnationi trium Capitulorum deinceps consensuros, nec unquam reluctaturos. De hac cautione loquitur in suis epistolis Gregorius. Cum vero ob suspicionem hujus cautionis a Constantio Mediolanensi datæ Theodelinda Regina, & aliqui Episcopi ab ejus communione recessissent, ipsum consolatur Gregorius scribens, se sperare præfatam Reginam & Episcopos susceptis suis epistolis ad ejus communionem reversuros. In epistola (b) vero Theodelindæ scripta dolet quod a Constantii communione se suspenderit, & hortatur, ut ab eius Ecclesiæ communione in nullo separetur. Nam scribit: „ Teste conscientia, fatemur de fide „ sancti Chalcedonensis Concilii nihil motum, nihil esse violatum: „ sed quidquid Justiniani temporibus actum est, ita actum est, ut „ fides Chalcedonensis Concilii in nullo relaxetur ". Quod & repetit epistola 38. ad eamdem. Et in sequenti trigesima nona (c) ad Constantium Mediolanensem Episcopum scribit, ne Brixianorum petitioni consentiat, qua illum urgebant, ut eis epistolam transmitteret, in qua juraret se tria Capitula minime damnasse, sed sufficere, si eis rescribat confitens „ sub anathematis interpo„ sitione, neque se aliquid de fide Chalcedonensis Synodi immi„ nuere, neque eos qui imminuunt recipere, & quoscumque da„ mnavit damnare, & quoscumque absolvit absolvere. Nam re„ vera (subdit) in ea (Synodo Constantinopolitana) de personis „ tantummodo, non autem de fide aliquid gestum est, & de his „ personis, de quibus in Chalcedonensi Concilio nihil continetur: „ sed post expressos canones facta contentio & extrema actio de „ personis ventilata est ". Cum vero constet de Theodoro, & Iba expressis verbis actum esse actione 8. 9. & 10. dicendum est, S. Gregorium aut non satis attendisse, aut inter Acta Concilii non nisi primas Actiones, in quibus fidei definitiones, & Canones continentur, admisisse. Monet etiam data occasione, ne in Missarum solemniis Episcopum Ravennatem nominet nisi id vel ferat consuetudo, aut ab illo soleat vicissim nominari. Passim occurrit in antiquis monumentis ista nominum inter Missarum solemnia recitatio,

Liber quartus.

(a) *Epist.* 2. (b) *Epist.* 4.
(c) *Epist.* 39.

S.GREG. M. tio, eaque ratione Episcopi suam invicem communionem testabantur.

Mos erat in Ecclesia Romana ecclesiasticos reditus in quatuor partes dividere, scilicet in Episcopum, Clerum, pauperes, & sarta tecta, ut patet ex pluribus epistolis S. Gregorii. Mos & in Sicilia custodiebatur, sed solum de antiquis reditibus Ecclesiæ: nova vero acquisita sibi Episcopi retinebant, Quamobrem S. Gregorius Maximiano Syracusano Episcopo sic scribit: „ Pravam (a) „ subintroductamque consuetudinem Fraternitas tua vivaciter emen„ dare festinet: ut sive de præteritis reditibus, sive de iis quæ „ nunc obvenerunt vel obvenerint, quartæ secundum distributionem „ canonicam dispensentur. Incongruum namque est unam eamdem„ que Ecclesiæ substantiam duplici quodammodo jure censeri, idest „ usurpationis & canonum “.

Cum Constantina Augusta in honorem S. Pauli in palatio ædificasset Ecclesiam, a S. Gregorio efflagitavit, ut caput ejusdem S. Pauli, aut aliud quid de corpore ipsius transmitteret. Illi vero respondet, „ se (b) mœstitia teneri, quod illa præciperet se facere „ nec posse, nec audere. Nam corpora Sanctorum Petri & Pauli „ Apostolorum tantis in Ecclesiis suis coruscant miraculis atque „ terroribus, ut neque ad orandum sine magno illuc timore possit „ accedi. Denique dum beatæ recordationis decessor meus, quia „ argentum, quod supra sacratissimum corpus beati Petri Apostoli „ erat, longe tamen ab eodem corpore fere quindecim pedibus „ mutare voluit, signum ei non parvi terroris apparuit. Sed & „ ego aliquid similiter ad sacratissimum corpus sancti Pauli Apo„ stoli meliorare volui: & quia necesse erat ut juxta sepulcrum „ ejus effodi altius debuisset, præpositus loci ipsius ossa aliqua „ non quidem eidem sepulchro conjuncta reperit. Quæ quoniam „ levare præsumpsit, atque in alium locum transponere, apparen„ tibus quibusdam tristibus signis, subita morte defunctus est. „ Præter hæc autem sanctæ memoriæ decessor meus, itidem ad „ corpus sancti Laurentii martyris quædam meliorare desiderans, „ dum nescitur ubi venerabile corpus esset collocatum, effoditur „ exquirendo, & subito sepulcrum ipsius ignoranter apertum est: „ & ii qui præsentes erant atque laborabant, Monachi & Mansio„ narii, qui corpus ejusdem martyris viderunt, quod quidem mi„ nime tangere præsumpserunt, omnes intra decem dies defuncti „ sunt . . . Cognoscat autem Domina, quia Romanis consuetudo „ non est, quando Sanctorum reliquias dant, ut quidquam tange„ re præsumant: sed tantummodo in pyxide brandeum (idest pan„ num, vel velum) mittitur, atque ad sacratissima corpora San„ ctorum ponitur. Quod levatum, in Ecclesia, quæ est dedi„ canda,

(a) *Epist.* 11.
(b) *Epist.* 30.

S. Greg. M.

„ canda, debita cum veneratione reconditur: & tantæ per hoc
„ ibidem virtutes fiunt, ac si illuc specialiter eorum corpora defe-
„ rantur. Unde contigit ut beatæ recordationis Leonis Papæ tem-
„ poribus, sicut a majoribus traditur, dum quidam Græci de tali-
„ bus reliquiis dubitarent, prædictus Pontifex hoc ipsum bran-
„ deum ellatis forficibus inciderit, & ex ipsa incisione sanguis efflu-
„ xerit. In Romanis namque vel totius Occidentis partibus omnino
„ intolerabile est atque sacrilegum, si Sanctorum corpora tangere
„ quisquam fortasse voluerit... Quis ergo, Serenissima Domina, tam
„ temerarius possit existere, ut hæc sciens eorum corpora non di-
„ co tangere, sed vel aliquatenus præsumat inspicere? Dum igitur
„ talia mihi a vobis præcepta sunt, de quibus parere nullatenus
„ potuissem, quantum invenio, non vestrum est; sed quidam ho-
„ mines contra me Pietatem vestram excitare voluerunt, ut mihi
„ (quod absit), voluntatis vestræ gratiam subtraherent . . . Su-
„ darium vero, quod similiter transmitti jussistis, cum corpore ejus
„ est, quod ita tangi non potest, sicut nec ad corpus illius acce-
„ di. Sed quia Serenissimæ Dominæ tam religiosum desiderium
„ esse vacuum non debet, de catenis quas ipse S. Paulus Aposto-
„ lus in collo, & in manibus gestavit, ex quibus multa miracula
„ in populo demonstrantur, partem aliquam vobis transmittere fe-
„ stinabo, si tamen hanc tollere limando prævaluero; quia dum
„ frequenter ex catenis eisdem multi petunt . . . assistit Sacerdos,
„ & aliquibus petentibus ita concite aliquid de catenis ipsis excu-
„ titur, ut mora nulla sit. Quibusdam vero petentibus, diu per
„ catenas ipsas ducitur lima, & tamen ut aliquid exinde exeat,
„ non obtinetur (1).

(1) Eruditissimi Editores in notis ad hanc epistolam scribunt lit. I. *Negare non possumus, Gregorium dum ad Constantinam scriberet, aliquando memoria lapsum.* Sed quare? Quia, inquiunt, corpora SS. Apostolorum Petri & Pauli eodem loco remansisse scribit, quo fuerunt prius condita, cum tamen certo constet ex veteri Kalendario ex Ruinarto, & Pagio eorum translationem factam fuisse anno 258. ipso die, quo eorum festivitas agebatur. At si quis attente legat præfatam ad Constantinam epistolam, nedum reperiet minime dictum a S. Gregorio eodem loco remansisse, quo prius condita sunt, idest in Catacumbis, quin immo inde translata aperte testatur: Sic enim scribit: „ De corporibus vero beatorum
„ Apostolorum constat, quia eo tempore quo passi sunt, ex Oriente fideles
„ venerunt, qui eorum corpora sicut civium suorum repeterent. Quæ
„ ducta usque ad secundum urbis milliarium in loco, qui dicitur Cata-
„ cumbas, collocata sunt. Sed dum ea exinde levare omnis eorum multitu-
„ do conveniens niteretur, ita eos vis tonitrui atque fulguris nimio me-
„ tu terruit atque dispersit, ut talia denuo nullatenus attentare præsume-
„ rent. Tunc autem exeuntes Romani eorum corpora, qui hoc ex Do-
„ mini pietate meruerunt, levaverunt, & in locis, quibus *nunc sunt con-*
„ *dita*, posuerunt ". En igitur quomodo S. Pontifex corpora SS. Apostolorum e loco suo Catacumbis scilicet a Romanis levata dicat, & in locum, ubi suo tempore erant, condita. Nullus est igitur in S. Gregorio memoriæ lapsus.

Veræ amicitiæ exemplum præbet D. Gregorius in epiſtola ad
S.Greg. M. Theodorum Auguſti Archiatrum, cui primum gratias agit de tranſmiſſis pecuniis in redemptionem captivorum; deinde ſic ſubdit: „ Habeo (*a*) aliquam querelam de te, quia donum ingenii, donum verum, donum miſericordiæ atque caritatis a ſancta Trinitate percepiſti: ſed tamen ſæcularibus indeſinenter cauſis adſtringeris, aſſiduis proceſſionibus occuparis, & quotidie legere negligis verba Redemptoris tui. Quid eſt autem Scriptura Sacra, niſi quædam epiſtola omnipotentis Dei ad Creaturam ſuam? Et certe ſicubi eſſet Gloria veſtra alibi conſtituta, & ſcripta terreni Imperatoris acciperet, non ceſſaret, non quieſceret, ſomnum oculis non daret, niſi prius quid ſibi Imperator terrenus ſcripſiſſet, agnoviſſet. Imperator cæli Dominus hominum & Angelorum pro vita tua tibi ſuas epiſtolas tranſmiſit: & tamen .... eas epiſtolas ardenter legere negligis. Stude ergo, quæſo, & quotidie Creatoris tui verba meditare ".

Liber quintus. Complectitur quintus hic liber epiſtolas indictionis decimæ tertiæ, ideſt anni 594. & Pontificatus S. Gregorii 5. Nonnullas ex his epiſtolis dedimus ſuperius, ubi de S. Pontificis ſolicitudine omnium Eccleſiarum ſermonem habuimus. Nonnullas hic addimus. In epiſtola (*b*) ad Dominicum Carthaginenſem ejus zelum commendat, „ quia ita ſtuduit Africanam ſervare provinciam (a Donatiſtarum peſte) ut nullatenus devias hæreticorum ſectas cum fervore ſacerdotali coercere negligeret ". Addit tamen, ſe probare non poſſe ſeveriorem ſententiam Africani Concilii, „ quia dum pro inveſtigandis illis hæreticis Epiſcopos monetis, ſubintuliſtis eos qui negligunt, ſubſtantiarum dignitatumque privatione plectendos. Nam (ſubdit) optimum eſt ut in his quæ foris corrigenda ſunt, prius caritas interna ſervetur, & ſimus mente ſubjecti . . . etiam perſonis dignitate minoribus ". Mortuo Maximiano Syracuſano Epiſcopo, de ejus ſucceſſore eligendo non conveniebant Electores, qui proinde ejus electionem S. Pontificis arbitrio commiſerunt. Ad Nobiles itaque Syracuſanos ſcribit (*c*) eos laudans quod electionis onus ſapienter declinaſſent, & ſuo conſtituiſſent arbitrio. Addit proinde: „ Sed quia a Clero, & plebe Eccleſiæ Syracuſanæ Agatho, ab aliquibus autem alter eligitur: hunc qui a clero, & plebe electus eſt, ad nos iterum venire neceſſe eſt; ut utriſque cominus conſtitutis, ille qui Deo placuerit, & utilior viſus fuerit ordinetur ".

Caſtorio Notario (*d*) ſcribit, ut vacante Ravennatenſi epiſcopali Sede curet „ ut Eccleſiæ ipſi Sacerdos ſine mora, Chriſto auctore, ordinetur: eapropter Clerum, & populum ſtudeat adhortari, ut conſecrandum ſibi non differant eligere Sacerdotem. Quos tamen & præ omnibus admonere te volumus, ut in generali

---

(a) *Epiſt.* 31. (b) *Epiſt.* 5.
(c) *Epiſt.* 22. (d) *Epiſt.* 23.

„ nerali causa utilitates proprias non attendant. Nulla ergo sit
„ in hac electione venalitas . . . specialiter enim & absolute co- S.Greg. M.
„ gnoscant, quia non solum indignus est sacerdotio, sed & aliis
„ profecto erit culpis obnoxius, quisquis Dei donum pretii præ-
„ sumpserit venalitate mercari. Non itaque largus præmiis, sed
„ dignus meritis eligatur “.

Miserat Imperator Mauritius S. Gregorio triginta auri libras. Illi itaque scribit: „ Triginta libras Busa consamulus meus (*a*) ....
„ Scribo, Sacerdotibus, egenisque, & aliis fideliter erogavit. Et
„ quia quædam in hanc urbem sanctimoniales fœminæ ex diversis
„ provinciis venerunt, post captivitatem fugientes, ex quibus quan-
„ tum locorum possibilitas recipit, aliquæ in monasteriis datæ
„ sunt: quæ vero in eis minime capi potuerunt, singulariter de-
„ gentes inopem vitam ducunt: placuit ut hoc quod cæcis, trun-
„ cis, aliisque debilibus superesse posset, eis erogari debuisset:
„ dummodo non solum Dominorum misericordiam indigentes indi-
„ genæ, sed advenientes etiam peregrini susciperent “. Addit:
„ Rogæ quoque militum ita per prædictum consamulum meum
„ Scribonem, præsente quoque glorioso Castro magistro militum fa-
„ ctæ sunt, ut dona Dominorum cuncti sub disciplina debitas gra-
„ tias agendo susciperent “. Cum vero Mauritius S. Gregorium *fatuum* minus urbane appellasset in epistola ad eum data, quia scripserat Ariulphum toto corde ad Rempublicam venire (idest concordiam cum Imperatore inire) paratum esse, mansuete, humiliterque hac epistola respondet. „ Et quidem si terræ meæ (*b*)
„ captivitas per quotidiana momenta non excresceret, de despe-
„ ctione mea atque irrisione lætus tacerem. Sed hoc me vehemen-
„ ter affligit; quia ego unde crimen falsitatis tolero, inde Italia
„ quotidie ducitur sub Longobardorum jugo captiva. Dumque
„ meis suggestionibus in nullo creditur, vires hostium immaniter
„ excrescunt. Hoc tamen piissimo Domino suggero, ut de me ma-
„ la omnia quælibet existimet, de utilitate vero Reipublicæ &
„ causa ereptionis Italiæ non quibuslibet facile pias aures præ-
„ beat, sed plus rebus quam verbis credat. Sacerdotibus autem
„ non ex terrena potestate Dominus noster citius indignetur; sed
„ excellenti consideratione propter eum cujus servi sunt, eis ita
„ dominetur, ut etiam debitam reverentiam impendat. Nam in
„ divinis eloquiis aliquando Sacerdotes Dii, aliquando Angeli vo-
„ cantur “. Exemplum illi objicit; scribit enim: „ Cum Constan-
„ tino Principi scripto oblatæ accusationes contra Episcopos fuissent,
„ libellos quidem accusationis accepit, sed eosdem, qui accusati
„ fuerant, Episcopos convocans, in eorum conspectu libellos, quos
„ acceperat, incendit, dicens: *Vos Dii estis, a vero Deo constitu-
„ ti. Ite & inter vos causas vestras disponite: quia dignum non*

O 2 „ *est ut*

(a) *Epist.* 30.
(b) *Epist.* 40.

S. GREG. M. „ *est ut nos judicemus Deos* “. Addit præterea: „ Quid ergo „ mirum si Christianus Imperator veri Dei Sacerdotes dignetur „ honorare, dum pagani, qui verum Deum nescientes, Deos li- „ gneos & lapideos colebant, tamen eorum Sacerdotibus hono- „ rem maximum tribuebant “? Ejus vero uxori Constantinæ (*a*) scribens, eam hortatur, ut suggerat Imperatori, Corsos „ tanta „ nimietate exigentium, & gravamine premi exactionum, ut ipsi „ qui in illa sunt, eadem quæ exiguntur complere vix filios suos „ vendendo sufficiant “, In Sicilia vero Stephanum (Augusti Ministrum) „ tanta præjudicia, tantasque oppressiones operari ... ut si „ velim acta ejus singula, quæ ad me pervenerunt, dicere, magno „ volumine hic explere non possim “. Rogat itaque, „ ut Serenissi- „ ma Domina solerter aspiciat, & oppressorum gemitus compescat “.

Quanto studio Dei dignos ministros seligeret, ostendit S. Gregorius in epistola (*b*) ad Andream Scholasticum, in qua sic scribit: „ Quia valde periculosum est animæ temere cuiquam manum „ imponere, proinde quoniam multa inventa sunt in persona Do- „ nati Archidiaconi . . . . quæ eum procul ab Episcopatu remo- „ vent, Dei judicium metuentes, in ordinando eo non prævi- „ dimus consentire. Sed nec Joannem Presbyterum Psalmorum „ nescium præsumimus ordinare, quia hæc eum res minus sui „ profecto habere studium demonstrabat “. Romam vero venire invitat (*c*) Petrum, & Providentium Histriæ Episcopos, promittens nullam illis esse inferendam molestiam, sed se illis satisfacturum circa trium Capitulorum controversiam. Nam subdit: „ Illa quæ sanctissimæ quatuor Synodi sapuerunt atque definierunt, „ sicuti prædecessor noster sanctissimus Leo Papa, ita & nos sapi- „ mus, ac tenemus, nec ab earum fide aliquo modo dissentimus “. Deinde sic epistolam claudit: „ Sed quia plus persona præsens, „ quam epistola facit, hortor vos ad me venire . . . . dummodo „ ratione percepta a concordia sanctæ universalis Ecclesiæ dissensio „ vos nulla dissociet “.

Duo invaluerant in Galliis & Germania pravi abusus, Simonia scilicet, & Neophytorum ordinationes. Ad utrumque itaque convellendum S. Gregorius Virgilio Arelatensi Episcopo vices suas, & pallium illi concedit (*d*). Deinde hortatur, ut simoniacam labem adeo vigentem, ut, in Galliarum vel Germaniæ partibus nullus ad sacrum Ordinem sine commodi datione perveniat, compescere studeat. „ Nam (scribit) cum prima simoniaca hæresis „ sit contra sanctam Ecclesiam exorta, cur non perpenditur, cur „ non videtur, quia eum quem quis cum pretio ordinat, provehendo agit ut hæreticus fiat “? Similiter vetat, ne quis ex laico habitu fiat subito Sacerdos. „ Cum enim (scribit) ad sacros „ ordines Paulus Apostolus neophytum venire prohibeat, sciendum „ nobis

(a) *Epist.* 41. (b) *Epist.* 48.
(c) *Epist.* 51. (d) *Epist.* 53.

„ nobis est, quia sicut neophytus tunc vocabatur, qui adhuc no- [redacted]
„ viter erat plantatus in fide: ita nunc inter neophytos deputamus, S.GREG. M.
„ qui adhuc novus est in sancta conversatione". Ut vero utramque pravam consuetudinem efficacius evellat, suggerit, ut „ præcellen„ tissimum filium nostrum Childebertum regem admonere studeat, „ ut hujus peccati maculam a regno suo funditus repellat". Qua de re ipsi Childeberto Regi scribit (*a*), ob oculos illi ponens, quam absurdum sit & neophytos & simoniacos fieri Episcopos, scribens: „ Certum est, non vos ante exercitui ducem præponere, „ nisi vobis labor ejus fidesque constiterit, nisi cum anteactæ vitæ „ virtus & solicitudo aptum esse monstraverit. Si vero non aliis, „ nisi hujusmodi viris committitur gubernandus exercitus, qualis „ dux esse debeat animarum, ex istius bene rei comparatione colli„ gitur . . . Simul autem quia pestiferum nimis est, & sanctæ „ Ecclesiæ universali contrarium, in sacrum quempiam ordinem „ non meritis, sed pretio collocari, hortamur ut tam detestabile „ facinus de regno suo Excellentia vestra prohiberi præcipiat". Ideo autem Gallias & Germaniam in his epistolis S. Gregorius jungit, quia Germaniæ provinciæ ultra Rhenum Austrasiarum Regi subjiciebantur.

Datæ sunt hujus libri epistolæ Indictione decima quarta, anno ab Liber sexordinatione S. Pontificis sexto, Christi vero 595. In earum prima tus. (*b*) Mariniano Episcopo Ravennatensi data testamentum rescindit Prædecessoris sui Joannis, in quo diversa in Ecclesiæ suæ gravamen scripserat, & sic statuit, „ ut ea quæ de Ecclesiæ suæ vel „ de acquisitis in Episcopatu rebus, contra legum fieri statuta dis„ posuit, Fraternitas vestra nec auctoritatem præbeat, nec aliqua „ in his ratione consentiat. Si quid autem de propriis rebus, quas „ ante Episcopatum habuit, quod quidem prius Ecclesiæ suæ non „ contulit, fieri voluit, vel decrevit, firmum per omnia robur ob„ tinere necesse est; nec quisquam Ecclesiasticorum id contra ra„ tionem tentet qualibet excusatione convellere. Quia vero (sub„ dit) dum viveret, sæpius a nobis expetiit, ut ea quæ in mo„ nasterio illo contulerat, quod juxta Ecclesiam S. Apollinaris i„ pse construxerat, nostra debuissemus auctoritate firmare, & nos „ facturos hoc esse promisimus: Fraternitatem vestram necessario „ prævidimus adhortandam, ut nihil de his quæ illic contulit atque „ constituit, aliquo modo patiatur imminui, sed omnia firma studeat „ stabilitate servari". Ex hac epistola patet, non secus ac ex Agathensi Concilio anni 506. can. 51. & Epaonensi anni 517. can. 17. Veteres consuevisse Clericorum res proprias a rebus Ecclesiæ, quæ eis quasi Clericis competebant, distinguere. Quidquid in Clericatu de Ecclesiæ bonis acquirebant, non sibi nec hæredibus cedebat, sed Ecclesiæ cujus erant ministri. Optime utique statutum, ne Ecclesiæ bonis ditescerent, aut hæredes ditarent, spretis pauperibus.

O 3 Mit-

(a) *Epist.* 55. (b) *Epist.* 1.

[redacted]

S. GREG. M. Mittens S. Gregorius in Galliam Candidum Presbyterum, ut Ecclesiæ patrimonium in ea constitutum administraret, opportunum censuit illum Brunichildæ Reginæ commendare. Sic (*a*) itaque illi scribit: ,, Excellentiam vestram .... paterno salutantes affe- ,, ctu, quæsumus ut propter amorem beati Petri Apostolorum ,, Principis, quem toto vos scimus corde diligere, dilectissimum fi- ,, lium nostrum Candidum Presbyterum, præsentium portitorem, ,, una cum patrimoniolo, ad cujus eum gubernationem transmisi- ,, mus, auxilio vestri patrocinii foveatis ". Hinc quasi occasionem nactus eam laudat de optima Filii sui Childeberti educatione, ,, cui ,, (scribit) non solum incolumem rerum temporalium gloriam ,, provida solicitudine conservastis, verum etiam æternæ vitæ præ- ,, mia providistis, dum mentem ipsius in radice veræ fidei mater- ,, na, ut decuit, & laudabili institutione plantastis .... Sed ut ,, laudabilius in eo fides cum operibus enitescat, adhortationis ve- ,, stræ eum verba succendant: quatenus sicut sublimem illum inter ,, homines potentia regalis ostendit, ita ante Deum magnum fa- ,, ciat bonitas actionum ". In sequenti vero epistola (*b*) ad ipsum Regem Childebertum data, primo illum monet: ,, Esse ,, Regem, quia sunt & alii, non mirum est, sed esse catholicum, ,, quod alii non merentur, hoc satis est ... Quidquid autem re- ,, ges se cæteri gloriantur habere, habetis. Sed ipsi in hac re ,, vehementius superantur, quoniam hoc principale bonum non ha- ,, bent, quod habetis. Ut ergo sicut fide, ita & actione vincan- ,, tur, benignam se Excellentia vestra suis subjectis semper exhi- ,, beat. Et si qua sunt, quæ ejus animum offendere valeant, ,, ea indiscussa non puniat ". Deinde & illi Candidum Presbyterum commendat petens, ,, ut si aliquod illic fortasse præjudicium ,, factum est, aut res ejusdem patrimonioli ab aliquo detinentur, ,, potestatis suæ justitia corrigatur ". Denique illi scribit, se dono mittere ,, Claves sancti Petri, in quibus de vinculis catenarum ,, ejus inclusum est, quas collo suspensas deferens, a malis omni- ,, bus eum tueantur ". Ipsi vero Candido, epistola (*c*) sequenti jubet, ut ex patrimonio Ecclesiæ ,, quod est in Galliis gubernan- ,, dum, dilectio tua, ex solidis quos acceperit, vestimenta pau- ,, perum, vel pueros Anglos, qui sunt ab annis decem & se- ,, ptem, vel decem & octo, ut in monasteriis dati Deo proficiant, ,, comparet .... sed quia pagani sunt qui illic inveniri pos- ,, sunt, volo ut cum eis Presbyter transmittatur, ne quid ægri- ,, tudinis contingat in via; ut quos morituros conspexerit, debeat ,, baptizare ". Hos pueros Anglos ad Anglorum conversionem jam tunc præparabat.

Postulaverat Joannes Patriarcha Constantinopolitanus Athanasium Presbyterum, & monachum in monasterio S. Nili in Isauria,

(a) *Epist.* 5. (b) *Epist.* 6.
(c) *Epist.* 7.

S.Greg. M.

ria, seu ut melius alii censent, in Lycaonia, & concellitas suos de crimine hæresis, quasi aliquid docuissent adversum canonibus Concilii Ephesini; quod ut probaret, librum miserat in cella ipsius Athanasii repertum, & epistolam, in qua eorum dicta tamquam hæretica arguebat. S. Gregorius librum accurate expendit, & in sua ad Narsetem epistola (*a*), dicit se comperisse illius auctorem in Manichæi dogma cecidisse. Sed addit, in censura doctrinæ Monachorum ipsum Joannem in hæresim Pelagianam impegisse, quippe qui propositionem ceu hæreticam traducebat, & in Ephesina Synodo damnatam ajebat, quæ plane catholica erat, & errori Pelagianorum adversa. Propositio autem hæc erat: *Cum peccavit Adam, anima ejus mortua est*, de qua sic pronunciat: „ Hoc quisquis negat, catholicus non est. Deus enim dixerat: *Qua hora comederitis, morte moriemini* (*b*). Cum ergo comedit de ligno „ vetito Adam, quia in corpore mortuus non est, novimus . . . Si „ itaque in anima mortuus non est, quod dici nefas est, ipse mentitus est, qui hunc prædixit, die qua peccasset moriturum. Sed „ sciendum est, quia mors duobus accidit modis, aut absentia vivendi, aut a qualitate vivendi. In hoc ergo quod comedendo „ vetitum, ejus anima dicitur mortua, non absentia vivendi, sed „ a qualitate vivendi, ut postmodum viveret in pœna, qui ad hoc „ creatus fuerat, ut beate viveret in lætitia . . . . Pelagius vero „ qui in Ephesina Synodo damnatus est, ea intentione hoc dixit, „ ut ostenderet nos a Christo vacue redemptos “. De Ephesina autem Synodo hæc subdit: „ Eam Synodum purscrutantes, de Adelphio & Sava, & cæteris aliis, qui illic dicuntur esse damnati, omnino nihil invenimus: & existimamus, quia sicut „ Chalcedonensis Synodus in uno loco ab Ecclesia Constantinopolitana falsata est, sic aliquid in Ephesina Synodo factum est. „ Caritas ergo vestra vetustos omnino codices ejusdem Synodi requirat, & illic inde videat si quid tale invenitur, mihique eumdem codicem quem invenerit, transmittat. Novis enim codicibus passim non credat . . . Romani autem codices multo veriores sunt Græcis: quia non vestra sicut non acumina, ita nec imposturas habemus “. Pari pacto de imperitia redarguit in epistola sequenti (*c*) ad Joannem Constantinopolitanum Patriarcham accusatores Joannis Presbyteri, qui illi Marcionitarum hæresim improperabant. Nam interrogati quænam esset hæc hæresis Marcionitica „ nescire se manifesta professione responderunt “: proinde ipsum Joannem, qui libellum ad ipsum delegatis a Pontifice obtulerat ceu veræ fidei omnino conformem ab iniqua damnatione absolvit, ac insontem & catholicum declarat. De hac eadem re epistolas dedit (*d*) & Imperatori Mauritio, & Theoctisto Imperatoris

(a) *Epist.* 14. (b) *Gen.* 2. 17.
(c) *Epist.* 15. (d) *Epist.* 16. 17.

S. GREG. M. toris cognato, illos rogans, ut præfatum Joannem ab ulteriori molestia protegant, & tueantur.

Anthemio Subdiacono & Defensori, idest Pontificis Ministro, in pauperum tutelam scribit (a), ut Pimenium Episcopum Amalphitanum, qui in sua Ecclesia minime residebat, sed foris vagabatur cum aliorum scandalo, qui ejus imitabantur exemplum, severe objurget, & præcipiat „ quatenus hoc de cætero facere non præ„ sumat, sed in Ecclesia sua sacerdotali more resideat. Quem si „ forte non emendari post talem interminationem cognoverit, in „ monasterio eum deputet “. Candido vero Episcopo de Urbe veteri majore scribens licentiam (b) concedit „ monachos de mona„ steriis in sua parochia positis, cum consensu Abbatis sui tollere, „ & Presbyteros ordinare “. Monet tamen „ ut vitam, actus„ que eorum, qui in hoc sunt officio constituendi, subtiliter inqui„ rat, & tunc eos, si digni fuerint, ordinet “. Mariniano vero Episcopo Ravennati vetat (c) „ ne monasteria quæ sub eo sunt „ constituta, Clericorum importunitatibus & diversis eorum mole„ stiis prægraventur . . . quatenus monachis illic degentibus, libe„ re in Dei laudibus liceat exultare “. Secundum vero servum Dei Ravennæ rogat (d) „ ut sit solicitus, & omni modo immi„ neat, ut pacem cum Agilulpho Rege habere possit “. Sibi vero cognitam dicit Mariniani Episcopi avaritiam, „ qui cum vestes „ habeat, argentum habeat, cellaria habeat, quod pauperibus de„ bet dare non habeat “: proinde suo nomine illum corrigat, & moneat „ ut mentem mutet. Nec sibi credat solam lectionem & „ orationem sufficere, ut remotus studeat sedere, & de manu mi„ nime fructificare; sed largam manum habeat, necessitatem pa„ tientibus succurrat, alienam inopiam suam credat; quia si hæc „ non habet, vacuum Episcopi nomen tenet “. Cum quidam ignotus maligni spiritus consilio contra Castorium Responsalem Apostolicum in quodam civitatis loco contestationem, idest libellum famosum posuisset, Episcopo Ravennati, cæteris Fratribus Coepiscopis, Sacerdotibus, Levitis, Clero, Nobilibus, populo, militibus Ravennæ consistentibus scribit (e) „ ut ille qui hoc agere „ præsumpsit, vel consensum in tantæ iniquitatis consilio præ„ buit . . . sancti Jesu Christi corporis, & sanguinis participatio„ ne privatus sit. Si vero quia latet, & quoniam nescitur, teneri „ a disciplina non valet tanti mali conscius, & jam prohibitus „ corpus & sanguinem percipere præsumpserit, anathematis ultione „ percussus sit, & ut fallax ac pestifer a Sanctæ Ecclesiæ corpore „ divisus “.

Urbico Abbati monasterii S. Hermetis Panormi quemdam pium virum commendat, ut illum in Monasterio suscipiat, atque ad æternam

(a) *Epist.* 23. (b) *Epist.* 28. (c) *Epist.* 29.
(d) *Epist.* 30. (e) *Epist.* 31.

nam vitam ejus desiderium assidua (*a*) adhortatione succendat. Verum cum uxorem haberet, monet, ne aliter ipsum suscipiat, nisi & uxor ejus similiter converti voluerit. „ Nam dum unum „ utrorumque corpus conjugii copulatione sit factum, incongruum „ est partem converti, & partem in sæculo remanere ". Construxerat Palladius Episcopus Santonis in Gallia Templum, in quo tredecim altaria collocaverat, cum illud dedicasset in honorem SS. Petri & Pauli, nec non Laurentii atque Pancratii martyrum, eorumdem Sanctorum reliquias illi mittit (*b*), ut in dedicatione illas cum reverentia suscipiat & collocet, sed ante omnia provideat, ut servientibus ibidem non desint alimentorum suffragia. Brunichildæ quoque Francorum Reginæ (*c*) reliquias SS. Apostolorum Petri & Pauli dono mittit per Leuparicum ad hoc a Regina Romam missum. S.Greg. M.

Iter arripuerant in Angliam profecturi Augustinus, aliique Monachi mense Julio anni 596. Verum itineris labore, & timore non proficiendi perterriti, de reditu ad monasterium cogitabant: ideo Augustinum Romam ad sanctum Gregorium miserunt, rogantes ut illos ab itinere & missione in Angliam revocaret. Verum Sanctus Gregorius primo in bono proposito confirmat (*d*), ostendens minus malum esse bona non incipere, quam ab his quæ cœpta sunt, cogitatione retrorsum redire. Deinde hortatur, ne velint labore itineris, aut maledicorum linguis deterreri, sed omni instantia, omnique fervore, quæ incœperant, Deo auctore, prosequantur, scientes quod laborem magna æternæ retributionis gloria sequitur. Denique ipsum Augustinum ad illos remittit, eorum Abbatem ab ipso constitutum, cui proinde jubet, ut in omnibus humiliter obediant. De eodem argumento alias septem dedit ad ipsorum monachorum commendationem epistolas Episcopis Galliarum, videlicet Pelagio Turonensi, Sereno Massiliensi, Virgilio Arelatensi, Desiderio Viennensi, Syagrio Augustodunensi, Protasio Aquensi, nec non Stephano Abbati Lirinensi, quem commendat pro bono ordine & prudenti regimine sui cœnobii, illique gratias agit pro cochlearibus, & circulis, idest patinis, quos dono miserat.

Complectitur liber septimus epistolas a D. Gregorio conscriptas anno sui Pontificatus septimo, indictione decima quinta, & Christi 596. Post obitum Joannis dicti Jejunatoris Patriarchæ Constantinopolitani suffectus est in ejus sedem Cyriacus, qui suam Synodalem epistolam suæ fidei, ut moris erat, professionem complectentem D. Gregorio mittit, cui pariter scripsere de eadem electione Mauritius Imperator, qui eam procuraverat, & Petrus Domitianus, & Elpidius ejus Ordinatores. Latæ sunt hæ litteræ per Georgium Presbyterum, & Theodorum Diaconum, quos D. Gregorius Liber septimus.

(a) *Epist.* 48. (b) *Epist.* 49.
(c) *Epist.* 50. (d) *Epist.* 51.

S.GREG. M. gorius benigne excepit, & diu apud se detinuit, & diutius detinuisset, nisi hyeme instante eos dimittere consultius judicasset. Binas autem illis dedit epistolas pro Cyriaco, aliam publicam Synodali epistolæ respondentem, aliam privatam plane & familiarem in amicitiæ argumentum, quam dudum contraxerat, cum esset Apostolicæ Sedis Apocrisarius in regia urbe. In priori itaque illum consolatur (*a*), quia dum quietem requirebat, fuerit ad pastoralem solicitudinem raptus, scribens: „ Quies quidem nobis & ex „ corde appetenda est, & tamen pro multorum lucro aliquando „ postponenda. Nam sicut toto desiderio debemus occupationem „ fugere, ita si desit qui prædicet, occupationis onus libenti necesse est humero subire ": Idem dicit, & sentiendum de serenitate mentis, & tranquillitate animi, quas dicit se nescire quomodo in Episcopatu constitutus possit pervenire; nam scribit: „ Qui regendam navem suscepit, tanto amplius necesse est vigilet, quanto „ amplius littus relinquit: ut aliquando futuras procellas ex signis „ prævideat: aliquando venientes, aut directo clavo, si parvæ „ sint, superet; aut si vehementer intumescunt, dato in obliquum „ latere, irruentes declinet; & sæpe solus vigilet, cum cuncti illi, „ quibus nulla navis cura commissa est, quiescunt . . . Sed magnopere semper providendum est, ne hæc eadem cura modum „ transeat . . . Illius ergo nobis virtus quærenda est, & gratia „ postulanda, sine quo nusquam absque culpa, cum quo nusquam „ sine justitia ". Deinde ejus fidei professionem laudat & adprobat, sed ad pacem conservandam hortatur, ut titulum Œcumenici, quem in hac ipsa epistola objicit, relinquat, & „ repulsa vanitate verborum, sanctitatis locum cum sancta humilitate teneat. Ecce enim in nefandi appellatione nominis scandalizati „ sumus, & non minimas querelas servamus in mente & promimus in voce ". Cum vero inter hæreticos quemdam Eudoxium recensuisset, quem dicebat per sanctissimas Synodos generales damnatum, illi respondet, „ hujus nomen in latina lingua neque in Synodis, neque in libris beatæ memoriæ Episcoporum „ Epiphanii, Augustini, & Philastrii, quos contra hæreticos præcipue disputasse novimus, positum reperimus. Quod si quis eum „ veraciter de catholicis Patribus damnat, ejus proculdubio sententiam sequimur ". Sed iterum de hoc argumento ad Eulogium Episcopum Alexandrinum (*b*) scribens subdit: „ Canones quidem „ Constantinopolitani Concilii Eudoxianos damnant, sed quis fuerit eorum auctor Eudoxius, minime dicunt. Romana autem „ Ecclesia eosdem canones vel gesta Synodi illius hactenus non „ habet, nec accepit: in hoc autem eamdem Synodum accepit, „ quod est per eam contra Macedonium definitum . . . . Caritas „ ergo

(a) *Epist.* 4.
(b) *Epist.* 34.

„ ergo vestra, si quis apud Græcos probatorum Patrum de eo sermonem fecit, suis mihi epistolis innotescat (1). In alia vero epistola (a) familiari, illi commendat Joannem Chalcedonensem Presbyterum, & Athanasium monachum, „ ut nullus (scribit) „ vobis contra eos falsidica locutione surrepat; quia eorum fidem „ subtiliter discussi, eosque rectos in suis confessionibus, quæ & „ scripto datæ sunt, inveni “. Mauritio vero Augusto gratulatur de optima electione Cyriaci (b) in Episcopum regiæ urbis. In eadem epistola Joannem Jejunatorem, sanctæ memoriæ Episcopum appellat, qua assumptione ostendit, ut superius notavimus, eum a communione minime sejunctum habuisse, & pium virum existimasse. Episcopis vero Cyriaci ordinatoribus rescribens, illos reprehendit (c), quia in ejus consecratione clamaverint: *Hæc dies quam fecit Dominus*: cum in psalmo dicta sint verba illa de Christo Domino; unde scribit: „ In creaturæ laudem vox illa dari non debuit, quæ soli convenit Creatori “. Illos tamen excusat „ quia „ eorum caritas magnam lætitiam genuit, quam mentis lætitiam „ in favore lingua secuta est. Quod cum ita sit, laus ista culpa „ jam dici non potest, quam caritas invenit “.

S. GREG. M.

Dum vero Georgius Presbyter, & Theodorus Diaconus Legati Cyriaci Romæ commorabantur (d), docuerunt Christum Dominum in suo descensu ad Inferos „ omnes illos, qui illic confiterentur eum Deum esse, salvasse, & a pœnis liberasse “. Hoc non innotuit Gregorio nisi post illorum discessum. Georgio itaque Presbytero scribit, hunc ejus errorem corrigens, docens, & ostendens „ solos illos per suam gratiam liberasse, qui eum & venturum esse „ crediderunt, & præcepta ejus vivendo tenuerunt “. Quod confirmat testimoniis sacræ Scripturæ dicentis: *Fides sine operibus mortua est* (e). Unde subdit: „ Si ergo fideles nunc sine bonis „ operibus non salvantur, & infideles ac reprobi sine bona actione „ Domino ad inferos descendente salvati sunt, melior illorum fors „ fuit, qui incarnationem Domini minime viderunt, quam horum „ qui post incarnationis ejus mysterium nati sunt “. Addit, S. Philastrium in suo de hæresibus libro sic scripsisse: „ Sunt hæretici „ qui dicunt Dominum in Infernum descendisse, & omnibus post „ mor-

(1) S. Gregorio satisfecit Eulogius, ut videre est in epistola 30. lib. 8. ostendens Eudoxium a Basilio, Gregorio, atque Epiphanio damnatum fuisse. Fuit autem iste Eudoxius Episcopus Germaniciæ, & postea Antiochenam Sedem invasit; ac demum fraudibus suis & Constantinopolitanum Thronum conscendit. Ejus doctrina cum Ariana conveniebat. Ab eo dicti Eudoxiani, tum Eunomiani in Constantinopolitano I. Concilio damnati. De eo narrat Theodoretus lib. 4. hist. cap. 12. Valentem Imperatorem ab eo baptizatum jurejurando obstrinxisse, ut in Ariano dogmate perseveraret.

(a) *Epist.* 5. (b) *Epist.* 6.
(c) *Epist.* 7. (d) *Epist.* 15.
(e) *Jac.* 2. 29.

S. GREG. M. „ mortem jam ibidem se nuntiasse, ut confitentes ibidem salvarentur; cum hoc sit contrarium dicenti Prophetæ David: In inferno autem quis confitebitur tibi (*a*)? . . . Cujus verbis beatus „ quoque Augustinus in eo libro concordat, quem de hæresibus „ scripsit “.

Gregoria Augustæ cubicularia post suorum peccatorum confessionem, de illorum remissione anxia scripserat Gregorio, se illi importunam futuram, quoadusque scripserit sibi fuisse a Domino revelatum, quia erant illi peccata dimissa. Illi itaque (*b*) respondens, primo eam consolari studet exemplo Magdalenæ, quam Marthæ Sororem appellat, cui dicit *dimissa fuisse peccata multa*, *quia dilexerat multum*, cujus amorem & fervorem ut imitari studeat, hortatur. Deinde revelationem de peccatorum concessa remissione & difficilem dicit, & inutilem. „ Difficilem (scribit), quia „ ego indignus sum, cui revelatio fieri debeat: inutilem, quia se„ cura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cum jam in die vitæ „ tuæ ultimo plangere eadem peccata minime valebis. Quæ dies „ quousque veniat, semper suspecta, semper trepida metuere cul„ pas debes, atque eas quotidianis fletibus lavare . . . Perpende, „ quia mater negligentiæ solet esse securitas. Habere ergo in hac „ vita non debes securitatem, per quam negligens reddaris . . . . „ In pauco ergo hujus vitæ tempore mentem vestram necesse est „ ut tremor teneat, quatenus per securitatis gaudium sine fine „ postmodum exultet “.

Theoctistæ Patriciæ scribit (*c*) S. Gregorius. Et primo quidem gratulatur, & Deo gratias agit, quia licet in tumultu Aulæ imperialis constituta „ sacri verbi ubertate plena sit, atque ad æ„ terna incessanter gaudia suspiret . . . & ad amorem cælestis pa„ triæ interius revocetur “. Donum quoque lacrymarum sibi datum gaudet, in quo tamen subdit „ investigare debet utrum adhuc „ ex timore, an jam ex amore compungatur. Duo quippe sunt „ compunctionis genera . . . Unum quod æternas pœnas metuit, „ aliud quod de cælestibus præmiis suspirat; quia Deum sitiens a„ nima prius timore compungitur, post amore . . . Et qui prius „ flebat ne induceretur ad supplicium, postmodum flere amarissime „ incipit, quia differtur a regno . . . . sicque fit ut perfecta com„ punctio formidinis trahat animum ad compunctionem dilectio„ nis “. Deinde eam hortatur „ ut parvulos Dominos quos nu„ triebat, præcipue moribus instruere curet, & gloriosos eunuchos „ qui eis deputati sunt, admoneat, ut ea illis loqui debeant, quæ „ eorum mentes in caritate circa se invicem, & erga subjectos in „ mansuetudine compungant “. Denique triginta auri libras sibi ab ipsa transmissas se accepisse dicit a Sabiniano Diacono, quarum dicit „ dimidiam partem in redemptionem captivorum misis„ se “:

(a) *Psal. 6. 6.* (b) *Epist. 25.*
(c) *Epist. 26.*

„ se “: de alia vero medietate scribit: „ Ancillis Dei, quas vos „ Græca lingua monastrias dicitis, lectisternia emere disposui, quia S. Greg. M. „ in lectis suis gravi nuditate in hujus hyemis vehementissimo fri- „ gore laborant . . . Harum vero vita talis est, atque in tantum „ lacrymis & abstinentia districta, ut credamus quia si ipsæ non „ essent, nullus nostrum jam per tot annos in loco hoc subsistere „ inter Longobardorum gladios potuisset “. Clavem postremo illi dono mittit a sacratissimo corpore sancti Petri Apostoli acceptam, in qua hoc miraculum patratum narrat. „ Quidam Longobardo- „ rum civitatem ingressus, cum eam invenisset, quia clavis esset „ sancti Petri despiciens: sed pro eo quod auream vidit, facere sibi „ ex illa aliquid aliud volens, eduxit cultellum, ut eam incideret. „ Qui mox cultellum, cum quo eam per partes mittere voluit, ar- „ reptus per spiritum, sibi in gutture defixit, eademque hora ex- „ tinctus cecidit. Et dum illic Rex Longobardorum Autharith, „ atque alii multi ejus homines adessent . . . . factus est omnibus „ vehementissimus timor, ut eamdem clavem de terra levare nul- „ lus præsumeret. Tunc quidam Longobardus catholicus, qui „ sciebatur orationi, & eleemosynis deditus, Minulfus nomine, „ vocatus est, atque ipse hanc levavit de terra. Autharith vero „ pro eodem miraculo aliam clavem auream fecit, atque cum ea „ pariter ad sanctæ memoriæ decessorem meum transmisit, indi- „ cans quale per eam miraculum contigisset “. Similem clavem a corpore sancti Petri scribit in sequenti epistola (a) se mittere Theodoro Imperatoris medico, a quo eleemosynas in captivorum & pauperum levamen missas non semel acceperat.

Primatum Sedis S. Petri ostendit scribens Eulogio Episcopo A- lexandrino, qui multa in epistola sua (b) de sancti Petri Aposto- li Cathedra locutus fuerat dicens „ quod ipse in ea nunc us- „ que in suis successoribus sedet “. Quod dictum laudans scri- bit: „ Quis nesciat sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis „ soliditate firmatam, qui firmitatem mentis traxit in nomine, ut „ Petrus a petra vocaretur? . . Itaque cum multi sint Apostoli, „ pro ipso tamen principatu sola Apostolorum principis Sedes in „ auctoritate convaluit, quæ in tribus locis unius est. Ipse enim „ sublimavit Sedem, in qua etiam quiescere & præsentem vitam „ finire dignatus est. Ipse decoravit Sedem, in quam Evangelistam „ discipulum misit. Ipse firmavit Sedem, in qua septem annis, „ quamvis discessurus, sedit. Cum ergo unius atque una sit Se- „ des, cui ex auctoritate divina tres tunc Episcopi præsident, „ quidquid ego de vobis boni audio, hoc mihi imputo “. Episto- lam claudit scribens: „ Ligna transmittere volui: sed Beatitu- „ do vestra si essent necessaria non indicavit, & majora multo mit- „ tere possumus, sed nequaquam talis navis huc mittitur, quæ „ hæc

(a) *Epist.* 28.
(b) *Epist.* 40.

[redacted] „ hæc capere valeat. Minora autem mittere verecundum puto. S.GREG. M. „ Beatitudo veſtra ſuis mihi epiſtolis innoteſcat “.

Liber octavus T. 6. Liber octavus epiſtolas anni 597. Indictionis primæ complectitur. In prima ad Petrum Epiſcopum Corſicæ data (*a*) primo quidem ſe „ magnas gratias egiſſe, ſcribit, omnipotenti Deo: quia de „ congregatione multarum animarum nos dignatus eſt relevare “. Proinde illum hortatur, „ ut ſollicite ſtudeat opus quod cœpit, au„ xiliante Domino, ad perfectionem deducere. Et ſive eos, qui „ aliquando fideles fuerunt, ſed ad cultum idolorum, negligentia „ aut neceſſitate faciente, reverſi ſunt, feſtinet cum indicta pœni„ tentia aliquantorum dierum ad fidem reducere, ut reatum ſuum „ plangere debeant, & tanto firmius teneant hoc ad quod, Deo „ adjuvante, revertuntur, quanto illud perfecte defleverint unde „ diſcedunt: ſive eos qui necdum baptizandi ſunt admonendo, ro„ gando, ... rationem quoque reddendo, quia ligna & lapi„ des colere non debent “. Deinde ſubdit, ſe illi tranſmiſiſſe quinquaginta ſolidos ad veſtimenta eorum qui ſunt baptizandi comparanda. Mos ſiquidem erat, baptizandos ſuis veſtibus omni ex parte olim nudatos, ac poſt emerſionem atque unctionem candida veſte, quæ totum corpus tegeret, induere . . . In epiſtola (*b*) ſecunda ad Anaſtaſium Epiſcopum Antiochenum conquerentem ſe in ſenectute multis tribulationibus laborare, ſcribit: „ Per„ pendat cujus Sedem teneat. Numquid non illius, cui voce Ve„ ritatis dictum eſt: *Cum ſenueris, alius te cinget, & ducet quo* „ *tu non vis* (*c*) “? Vires etiam addit & roborat, ut prælietur ſtrenue, dum „ nova hæreticorum bella inſurgunt . . . itaut Pro„ phetas, Evangelia, & dicta Patrum omnia evacuare moliantur. „ Sed permanente vita veſtræ Sanctitatis, in protectoris noſtri gra„ tia ſperamus quod eorum ora citius obmuteſcant, quæ contra „ ſoliditatem veritatis aperta ſunt; quia & quamlibet acuti gladii „ immittantur, cum ſaxum feriunt, fracti reſiliunt “. Prohibet vero Dono Epiſcopo Maſſilienſi, ne loca humandi corporis pretio vendat (*d*). „ Nam ſi gentiles, ut arbitramur, viri Sichimitæ „ Abrahæ pro Sara mortua, atque in loco proprio humanda ſe„ pulturam gratis obtulerunt . . . nos qui Epiſcopi dicimur, de „ humandis fidelium corporibus penſa facere quid debemus “? Venantio Lunenſi Epiſcopo conſecrandi monaſterii poteſtatem facit (*e*); caveat tamen „ ne ullum corpus ibidem conſtet humatum “: & prætera omnia neceſſaria provideat, & præſertim calicem argenteum unum habentem uncias ſex, patenam argenteam habentem libras duas. Certe oportebat primis ſæculis patenam eſſe grandem, quæ plures oblationum coronas continerent, non tenuiſſimas ut nunc, ſed longe ſpiſſiores, & ad panis communis formam accedentes.

(a) *Epiſt.* 1. (b) *Epiſt.* 2.
(c) *Joan.* 21. 18. (d) *Epiſt.* 3.
(e) *Epiſt.* 4.

tes. Mariniano Episcopo Ravennati scribens (*a*), multa privilegia concedit Monasterio Classensi beatorum Joannis & Stephani, quæ privilegia postea ad omnia monasteria extendit in Concilio Romæ habito apud Lateranum Indict. 4. Agnello autem Tarracinensi Episcopo (*b*) jubet primo, ut idolorum cultores severe puniat: deinde mandat, ut solicitus sit, ne quis se a murorum vigiliis eximat, sed omnes generaliter compellat, licet Ecclesiæ nomen dederint. S.GREG. M.

Postulaverat Eulogius Episcopus Alexandrinus a S. Gregorio, ut illi „ cunctorum Martyrum gesta, quæ piæ memoriæ (*c*) Constan„ tini temporibus ab Eusebio Cæsariensi collecta sunt, transmitte„ ret “: cui petitioni respondens sic scribit: „ Ago gratias, quia „ sanctissimæ vestræ doctrinæ scriptis eruditus, cœpi scire quod „ nesciebam. Præter illa enim quæ in ejusdem Eusebii libris de ge„ stis sanctorum martyrum continentur, nulla in archivio hujus „ nostræ Ecclesiæ, vel in Romanæ urbis bibliothecis esse cognovi, „ nisi pauca quædam in unius codicis volumine collecta (1). Nos „ autem pene omnium martyrum distinctis per dies singulos passio„ nibus collecta in uno codice nomina habemus, atque quotidianis „ diebus in eorum veneratione Missarum solemnia agimus. Non „ tamen in eodem volumine quis qualiter sit passus indicatur “ Indigitatur hic a S. Gregorio Martyrologium, quod sub S. Hieronymi nomine editum est, quod tamen aut ab ipso Hieronymo collectum, aut ex Eusebio translatum non satis adhuc liquet. Deinde epistola sequenti narrat (*d*) Anglorum conversionem ad fidem S. Augustini & Monachorum prædicatione, & miraculis perfectam, ita ut „ in solemnitate Dominicæ nativitatis . . . plus quam de„ cem millia Angli fuerint baptizati “. Deinde cum laudat quod egregie errores in Constantinopolitana Ecclesia vigentes suis responsionibus confutasset. Sed conqueritur, quia cum hortatus esset ne Patriarchæ Constantinopolitani superbiam foveret, ac ut illi Patriarchæ Œcumenici titulum denegaret, respondere se fecisse quod illi *jusserat*, scribens: „ Quod verbum jussionis, peto, a meo auditu removete, „ quia scio qui sum, qui estis. Loco enim mihi fratres estis, „ mori-

(a) *Epist.* 15. (b) *Epist.* 18.
(c) *Epist.* 29.
(1) Præter ea, quæ de sanctis Martyribus in historia Ecclesiastica refert Eusebius, duos de illorum gestis singulares libros edidit. Prior veterum Martyrum acta genuina complectitur, quantum ex iis quæ de hoc libro in historia habet lib. 4. c.15. colligi potest, ubi loquens de epistola Ecclesiæ Smyrnensi S. Polycarpi martyrium enarrante subdit: *quam nos in opere de priscis martyribus, quorum passiones collegimus, ordine suo inseruimus*. In posteriori autem quem de Martyribus Palæstinæ inscripsit, narrat ea quæ de suæ Provinciæ Martyribus ipse rebus gestis præsens viderat, & audierat. Hunc Eusebii librum habemus post ejus Ecclesiast. hist. lib. 8. At prior si penitus non excidit, omnino latet.
(d) *Epist.* 30.

S. GREG. M. „ moribus patres. Non ergo jussi, sed quæ utilia visa sunt, in„ dicare curavi. Non tamen invenio vestram Beatitudinem hoc „ ipsum quod memoriæ vestræ intuli, perfecte retinere voluisse. „ Nam dixi, nec mihi vos, nec cuiquam alteri tale aliquid scri„ bere debere: & ecce in præfatione epistolæ quam ad me ipsum „ qui prohibui direxistis, superbæ appellationis verbum, universa„ lem me Papam dicentes, imprimere curastis. Quod peto dul„ cissima mihi Sanctitas vestra ultra non faciat: quia vobis sub„ trahitur, quod alteri plusquam ratio exigit, præbetur.

Liber nonus. Indictionis secundæ anni 598. epistolas continet liber nonus. In prima epistola (*a*) ad Januarium Caralitanum Episcopum data de violenta ejus ira & indignatione edoctus a Cyriaco Abbate ipsum acriter objurgat scribens: „ Dictum est mihi, quod Dominico die „ priusquam Missarum solemnia celebrares, ad exarandam messem „ cujusdam perrexisti, & post exarationem ejus Missarum solemnia „ celebrasti. Post Missarum solemnia etiam terminos possessionis „ illius eradicare minime timuisti. Quod factum quæ pœna de„ beat insequi, omnes qui audiunt, sciunt... Et quia adhuc ca„ nis tuis parcimus, hortamur aliquando resipisce, senex, atque a „ tanta te levitate morum & operum perversitate compescas... „ Et quidem pœnæ sententia in te fuerat jaculanda: sed quia sim„ plicitatem tuam cum senectute novimus, interim tacemus. Eos „ vero, quorum consilio hæc egisti, in duobus mensibus excom„ municatos esse decernimus". Hujus vero sententiæ executionem mandat Vitali Defensori epistola sequenti (*b*). In tertia iterum præfato Episcopo Caralitano scribens, jubet (*c*), ne quid pro sepulturæ loco accipiat, „ sed si quando aliquem in Ecclesia „ vestra sepeliri conceditis, siquidem parentes ipsius, proximi vel „ hæredes pro luminaribus sponte quid offerre voluerint, accipere „ non vetamus. Peti vero, aut aliquid exigi, omnino prohibemus". Cum vero de commisso errore pœnituisset, ipsum S. Gregorius confortat dicens: „ Hoc autem (*d*) quod objurgo, vel increpo, non „ ex asperitate, sed ex fraterna scito dilectione descendere". Hortatur vero, „ ut officium quod gerit, solicita mente consideret, & „ quidquid gravare potest aut opinionem suam, aut animam, o„ mnino refugiat, & se committere illud nullius suasione consen„ tiat. Nam non terrenarum rerum curam, sed animarum duca„ tum Episcopus suscipit. Ibi ergo cor figere, ibi solicitudinem, „ ibi totum studium debet adhibere, atque de eorum lucro dili„ gentius cogitare". Iterum vero eidem scribit (*e*), quod „ au„ disset quemdam Judæum recenter baptizatum Petri nomine as„ sumpto, adhibitis sibi quibusdam indisciplinatis, sequenti die ba„ ptismatis sui, Synagogam Judæorum occupasse, atque imaginem „ illic

(a) *Epist.* 1. (b) *Epist.* 2.
(c) *Epist.* 3. (d) *Epist.* 4.
(e) *Epist.* 6.

„ illic genitricis Dei Dominique nostri, ac venerandam crucem, „ & birrum album, quo de fonte resurgens indutus fuerat, po- „ suisse ", Quare primo ipsum laudat, quia ne hoc auderet Petro prohibuisset, quia sic revera bonum decuit Sacerdotem. Deinde hortatur, „ ut sublata exinde cum ea qua dignum est veneratione „ imagine atque cruce, debeat quod violenter ablatum est reformare; quia sicut legalis definitio Judæos novas non patitur erigere Synagogas, ita quoque eos sine inquietudine veteres habere „ permittit ". S. GREG. M.

Brunichildæ Francorum Reginæ scribens (*a*) dicit se ad ejus postulationem Syagrio Episcopo pallium concedere, cum hoc noverit etiam Serenissimo Imperatori gratum facturum, ac præterea ipse Syagrius se hoc honore dignum reddiderit & vitæ sanctitate, & caritate qua usus est erga Augustinum in Angliam a S. Gregorio missum. Nonnulla tamen occurisse, quæ non statim pallii missionem permittunt. 1. Quia, scribit, „ is, qui eo uti desiderat, di- „ recta ad nos hoc sibi largiri speciali petitione poposcerat . . . . „ cum prisca consuetudo obtineat, ut honor pallii nisi exigentibus „ causarum meritis, & fortiter postulanti dari non debeat. 2. Quia „ is qui pallium ipsum venerat accepturus, Schismaticorum tene- „ tur errore implicitus. 3. Quod nec ex ipsius Reginæ petitione, „ sed ex transmisso nuntio cognoverit ". Quibus tamen defectibus ut obviet, dicit se pallium mittere Candido Presbytero, a quo Syagrius cum aliquantis suis Episcopis petat, & ab eo postea accipiat. Deinde Reginam admonet, „ ne ullum qui sub regno „ suo sit ad sacrum ordinem ex datione pecuniæ, vel quarumlibet „ patrocinio personarum, seu proximitatis jure patiatur accedere: „ sicut nec ullum ex laico Episcopum consecrari ". Hortatur vero, „ ut eos quos ab unitate Ecclesiæ Schismaticorum error disso- „ ciat, ad unitatem studeat revocare concordiæ. Nam non ob „ aliud (scribit) in ignorantiæ suæ hactenus cæcitate volvuntur, „ nisi ut ecclesiasticam fugiant disciplinam, & perverse habeant, „ ut voluerint, vivendi licentiam . . . & ita illos erroris labes „ imbibit, ut ignorantiæ suæ credentes universam Ecclesiam, at- „ que omnes quatuor Patriarchas non ratione, sed malitiosa men- „ te tantummodo refugiant ". Gratias vero illi agit propter caritatem, quam erga Augustinum Episcopum in Angliam pergentem impenderat.

Joanni Episcopo Syracusano scribit (*b*): „ Veniens quidam de „ Sicilia mihi dixit quod aliqui amici ejus vel Græci vel Latini, „ nescio, quasi sub zelo sanctæ Romanæ Ecclesiæ de meis disposi- „ tionibus murmurarent, dicentes: Quomodo Ecclesiam Constanti- „ nopolitanam disponit comprimere, qui ejus consuetudinem per „ omnia sequitur? Cui cum dicerem: Quas consuetudines ejus se- „ qui-

(a) *Epist.* 11.
(b) *Epist.* 12.

S. GREG. M.

„ quimur? Respondit: Quia alleluja dici ad Missas extra Pentecostes tempora fecistis; quia Subdiaconos spoliatos procedere, quia Kyrie eleison dici, quia orationem Dominicam mox post canonem dici statuistis. Cui ego respondi: quia in nullo eorum aliam Ecclesiam secuti sumus. Nam ut alleluja hic diceretur, de Jerosolymorum Ecclesia ex beati Hieronymi traditione tempore beatæ memoriæ Damasi Papæ traditur tractum: & ideo magis in hac re illam consuetudinem amputavimus, quæ hic a Græcis fuit tradita": videlicet fortasse de canendo alleluja tempore quadragesimæ, & in exequiis defunctorum. „ Subdiaconos autem ut spoliatos procedere facerem, antiqua consuetudo Ecclesiæ fuit. Sed placuit cuidam nostro Pontifici, nescio cui, qui eos vestitos procedere præcepit. Nam vestræ Ecclesiæ numquid traditionem a Græcis acceperunt? Unde habent ergo hodie, ut Subdiaconi lineis in tunicis procedant, nisi quia hoc a matre sua Romana Ecclesia perceperunt? Kyrie eleison autem nos neque diximus, neque dicimus sicut a Græcis dicitur: quia in Græcis simul omnes dicunt, apud nos autem a Clericis dicitur, & a populo respondetur, & totidem vicibus etiam Christe eleison dicitur, quod apud Græcos nullo modo dicitur. In quotidianis autem Missis aliqua quæ dici solent tacemus, tantummodo Kyrie eleison & Christe eleison dicimus, ut in his deprecationis vocibus paulo diutius occupemur. Orationem vero Dominicam idcirco mox post precem dicimus: quia mos Apostolorum fuit ut ad ipsam solummodo orationem oblationis hostiam consecrarent. Et valde mihi inconveniens visum est, ut precem quam Scholasticus composuerat, super oblationem diceremus, & ipsam traditionem quam Redemptor noster composuit, super ejus corpus & sanguinem non diceremus (1).... Ergo vestra Caritas cum occasio dederit ut ad Catanensem civitatem pergat, vel in Syracusana Ecclesia, eos quos credit aut intelligit quia de hac re murmurare potuerunt, facta collatione doceat... Nam de Constantinopolitana Ecclesia quod dicunt, quis eam dubitet Sedi Apostolicæ esse subjectam? Quod & piissimus

---

(1) Ex omnibus liturgiis constat, morem fuisse Ecclesiæ universæ etiam ante Gregorii ævum, ut oratio Dominica in Missa diceretur, ut testatur Cyrillus Catech. mystagog. 5. Nil aliud itaque fuit a S. Gregorio constitutum, quam ut oratio Dominica in Missa congruentiori loco diceretur. Dum vero dicit, morem Apostolorum fuisse, ut ad ipsam orationem Dominicam hostiam consecrarent, solum alias orationes excludit, non vero evangelica verba. Immo a temporibus apostolicis longas preces fuisse in liturgiæ celebratione recitatas testatur S. Justinus mart. Apolog. 2. in fine, scribens: *Eucharistiam prolixe exequitur, atque ubi ille preces & gratiarum actiones absolvit, populus qui adest omnis fausta approbatione acclamat dicens, Amen.... Præses vero,* (Episcopus) *postquam gratiarum actionem perfecit* (Eucharistiam)*.... qui apud nos vocantur Diaconi atque ministri distribuunt.*

S.GREG. M.

„ simus domnus Imperator & Frater noster ejusdem Civitatis E-
„ piscopus assidue profitentur. Tamen si quid boni vel ipsa vel
„ altera Ecclesia habet, ego & minores meos quos ab illicitis pro-
„ hibeo, in bono imitari paratus sum ".

Plura habentur in epistola (a) ad Secundinum inclusa salubria documenta. Et primo quidem eum fortiter ad pugnam cum spirituali hoste habendam, hortatur; cum ille eos potissimum aggrediatur, qui ad perfectiorem vitam anhelant. „ Vos (scribit)
„ autem qui solitariam vitam ducitis, quid aliud quam monomachos
„ dixerim, qui fervore virtutis etiam ante aciem exire festinatis?
„ Cur ergo eum non singulariter hostis impetat, a quo se impeti
„ singulariter spectat? ... Vos qui viam vitæ præsentis extra homi-
„ num frequentiam ducitis, tanto majora certamina pati necesse est,
„ quanto ad vos ipse tentationum magister accedit". Deinde monet omnes Orientales Ecclesias integram sequi S. Leonis, & Chalcedonensis Concilii fidem; unde scribit: „ Certam dilectionem tuam
„ esse desidero, quia sanctissimæ Orientales Ecclesiæ uno sensu,
„ una doctrina fidem sanctæ memoriæ Leonis tenet, sanctamque
„ Chalcedonensem Synodum ita nobiscum custodiunt atque vene-
„ rantur, ut nullus esse Episcopus reputetur, qui ejusdem fidei
„ defensor sectatorque non fuerit". Hinc quasi occasionem nactus, sic contra defensores trium Capitulorum invehitur: „ Per-
„ versi autem homines, qui trium Capitulorum occasione reperta,
„ Ecclesiasticam disciplinam fugiunt, de suis carnalibus actibus re-
„ prehendi pertimescunt, subesse Sedis Apostolicæ præceptis nolunt,
„ & nos quasi de fide reprehendunt, quam nesciunt". Ibæ vero epistolam catholicæ doctrinæ, & sanctæ Synodi definitioni adversari ostendit. Clericos in Crimina lapsos, post peractam pœnitentiam, posse in pristinum gradum restitui, pluribus adductis testimoniis ostendit. Illum etiam instruit circa peccati originalis doctrinam sic scribens: „ De origine animæ inter sanctos Patres requisitio non
„ parva versata est, sed utrum ipsa ab Adamo descenderit, an cer-
„ te singulis detur, incertum remansit: eamque in hac vita in-
„ solubilem fassi sunt esse quæstionem .... Sed cum hoc sit in-
„ certum, illud incertum non est: quia nisi sacri baptismatis gra-
„ tia fuerit renatus homo, omnis anima originalis peccati vinculis
„ est obstricta". Denique illi imagines Salvatoris, & sanctæ Dei Genitricis Mariæ, beatorum Apostolorum Petri & Pauli, quas petierat, mittens, sic illum instruit: „ Scio quidem quod
„ imaginem Salvatoris nostri non ideo petis, ut quasi Deum co-
„ las, sed ob recordationem Filii Dei in ejus amore recalescas,
„ cujus te imaginem videre desideras. Et nos quidem non quasi
„ ante divinitatem ante illam prosternimus, sed illum adoramus
„ quem per imaginem, aut natum, aut passum, sed & in throno

 „ seden-

(a) *Epist.* 52.

S. Greg. M.

„ ſedentem recordamur. Et dum nobis ipſa pictura quaſi ſcriptura „ ad memoriam Filium Dei reducit, animum noſtrum aut de reſurrectione lætificat, aut de paſſione demulcet “.

„ In quodam (*a*) crimine (ſcribit S. Gregorius) Byzacenus „ Primas fuerat accuſatus, & piiſſimus Imperator eum juxta ſtatuta canonica per nos voluit judicari. Sed acceptis decem auri „ libris, tunc Theodorus magiſter militum obſtitit, ut minime „ fieret. Tamen piiſſimus Imperator admonuit ut tranſmitteremus, & quidquid eſſet canonicum faceremus. Sed videntes contrarietates hominum, eamdem cauſam finire noluimus“. His ita conſtitutis, ſcribit Joanni Epiſcopo Syracuſano, quod cum mutata voluntate Primas ſponte fateatur, „ ſe eſſe Sedi Apoſtolicæ „ ſubjectum “: & revera ſcribit S. Gregorius, „ ſi in Epiſcopis „ culpa invenitur, neſcio quis ei Epiſcopus ſubjectus non ſit “. Hinc illi mandat, ut negotium cum Martino Scholaſtico tractet & finiat. In ſequenti vero epiſtola (*b*) cunctis Romanæ Eccleſiæ patrimonii defenſoribus mandat, „ ut Epiſcopos & Clericos qui „ cum mulieribus degunt, omnino compeſcant, & de cætero eas „ illic habitare nullo modo patiantur, exceptis eis quas ſacrorum „ canonum cenſura permittit, ideſt matre, amita, germana, & „ aliis hujuſmodi, de quibus prava non poſſit eſſe ſuſpicio “. Præterea Epiſcopos admoneant, „ ut ſubjectos ſibi in ſacris videlicet „ Ordinibus conſtitutos, quod ipſi ſervant, ad ſimilitudinem ſui „ modis omnibus ſervare commoneant: hoc tantummodo adjecto, „ ut hi, ſicut canonica decrevit auctoritas, uxores quas caſte debent regere, non relinquant “.

Importunis fatigatus precibus Exarchæ Callinici in favorem Maximi electi Salonitanæ Eccleſiæ Epiſcopi, ſcribit (*c*) Conſtantio Epiſcopo Mediolanenſi, „ decreviſſe ut Marinianus Epiſcopus Ravennatenſis ejus cauſam deberet cognoſcere. Si autem (ſubdit) „ perſona ejus ſuſpecta forſitan habeatur, volumus, ut veſtra quoque Fraternitas, ſi ei laborioſum non eſt, ad eamdem civitatem „ fatigare ſe debeat, & cum prædicto fratre in eodem judicio pariter „ ſedere “. Maximus vero Decretum Pontificis ſciens, Romam venit, & impetravit epiſtolam (*d*) ad Caſtorium Notarium, qua S. Pontifex jubebat quod, „ ſi Maximus Salonitanus præſtito juramento, firmaverit ſe ſimoniaca hæreſi non teneri, atque de aliis „ ante corpus ſancti Apollinaris tantummodo requiſitus, innoxium „ ſe eſſe reſponderit, & de inobedientia ſua pœnitentiam, ſicut „ deputavimus, egerit: volumus ut ad conſolandum illum, epiſtolam quam ad eum ſcripſimus, ubi ei & gratiam noſtram & „ communionem nos reddidiſſe ſignavimus . . . . dare debeat “. Paruit Maximus, & Ravennam veniens ad Epiſcopum Marinianum jacta-

(a) *Epiſt.* 59. (b) *Epiſt.* 60.
(c) *Epiſt.* 67. (d) *Epiſt.* 80.

S.GREG. M.

„ jactavit se (a) tensus intra civitatem in media silice, clamans „ & dicens: *Peccavi Deo, & beatissimo Papæ Gregorio*. Et acta „ pœnitentia per tres horas, cucurrit Exarchus Callinicus, & Ca- „ storius chartularius Ecclesiæ cum Archiepiscopo Mariniano, & „ elevatus cœpit ampliorem pœnitentiam coram eis agere. Tunc „ duxit eum ad sanctum corpus beati Apollinaris, & juravit de „ omnibus quæ adversus eum dicta de mulieribus vel ex schismate „ simoniaco fuerant, mixtum se non esse. Tunc revertens Casto- „ rius chartularius adduxit secum Diaconum ejusdem Maximi . . . „ relatorem omnium, quæ a Maximo satisfacta essent. Tunc „ motus ad misericordiam beatissimus Papa Gregorius, direxit Pal- „ lium ad confirmationem ejusdem Episcopi ". Ita negotium istud completum est die 26. Augusti anno 599. In epistola (b) ve- ro communionis data a S. Gregorio Maximo pœnitenti, illi scri- bit, „ ut personam transmittat, quæ pallium illi deferendum ex „ more percipiat. Nam quemadmodum (scribit) illicita perpe- „ trari non patimur, sic quæ sunt consuetudinis non negamus ". In alia (c), qua jam petitum pallium mittit, hortatur, ut quod in eo significatur, moribus exprimat.

Ad Serenum Massiliensem Episcopum scribens (d) eum laudat, „ quia quosdam imaginum adoratores adspiciens, easdem in Eccle- „ siis imagines confregit atque projecit ". Sed addit: „ Zelum „ vos, ne quid manufactum adorari posset, habuisse laudavimus, „ sed frangere easdem imagines non debuisse indicamus. Idcirco „ enim pictura in Ecclesiis adhibetur, ut hi qui literas nesciunt, „ saltem in parietibus videndo legant quæ legere in codicibus non „ valent ". Serenus vero dubitans de veritate epistolæ S. Grego- rii, ejus monitum contempsit. Scripsit tamen Pontifici sibi sub ejus nomine redditam epistolam, & quod de imaginibus fecerat, de- fendere conatur. Iterum illi respondens S. Gregorius scribit pri- mo (e), Cyriacum Abbatem primæ epistolæ portitorem esse virum omni fide dignum. Deinde iterum de fractione imaginum repre- hendit scribens: „ Dic, Frater, a quo factum Sacerdote aliquando „ auditum est quod fecisti. Si non aliud, vel illud te non debuit „ revocare, ut despectis aliis fratribus, solum te sanctum & esse „ crederes & sapientem? Aliud est enim picturam adorare, aliud „ per picturæ historiam quid sit adorandum addiscere... Hinc autem „ dum in hoc animi tui incaute motus exequeris, ita tuos scanda- „ lizasse filios perhiberis, ut maxima eorum pars a tua se com- „ munione suspenderet . . . Convocandi igitur sunt dispersi Eccle- „ siæ filii, eisque Scripturæ sacræ est testimoniis ostendendum, „ quia omne manufactum adorari non licet . . . & quia transisse „ in adorationem videras, idcirco commotus es, ut eas imagines

P 3 „ frangi

(a) *Tom. 9. In appendice pag. 15. Ed. in fol. T. 2. pag. 1296.*
(b) *Epist. 81.* (c) *Epist. 125.*
(d) *Epist. 105.* (e) *Lib. 11. epist. 13.*

S. GREG. M.

„ frangi præciperes. Atque eis dicendum: Si ad hanc instructionem, ad quam imagines antiquitus factæ sunt, habere vultis in „ Ecclesia, eas modis omnibus & fieri & haberi permitto .... „ Atque in his verbis eorum mentes demulcens, eos ad concordiam tuam revoca. Et si quis imagines facere voluerit, minime prohibe: adorari vero imagines, modis omnibus veta. „ Sed hoc solicite Fraternitas tua admoneat, ut ex visione rei gestæ ardorem compunctionis percipiant, & in adoratione solius „ omnipotentis sanctæ Trinitatis humiliter prosternantur. Cuncta „ vero hæc & amore sanctæ Ecclesiæ, & tuæ Fraternitatis loquimur. Non ergo ex mea correptione frangatur a zelo rectitudinis, sed magis adjuvetur in studio piæ dispensationis (1)".

Plures abusus in Galliis irrepsisse dolens S. Pontifex epistolam dedit (*a*) præcipuis illarum Episcopis, videlicet Syagrio Augustodunensi, Ætherio Lugdunensi, Virgilio Arelatensi, & Desiderio Viennensi, illos hortans, ut eos eradicare toto studio curarent. Abusus autem enumerat 1. „ Vulgatum est, quod in Galliarum „ partibus sacri ordines per simoniacam hæresim conferantur". Monet itaque, ut „ in Sacerdotibus ordinandis sinceritas vigeat, „ sit simplex sine venalitate consensus, pura præferatur electio; ut „ ad summam sacerdotii non suffragio venditorum provectus, sed „ Dei credatur esse judicio ... Nam dum non attenditur quod „ divina voce præcipitur: *Gratis accepistis, gratis date* (*b*); agitur ut crescat, & gemina fiat in uno eodemque delicti contagio, ementis scilicet & vendentis". 2. Dolet „ quod quidam „ desiderio honoris inflati, defunctis Episcopis tonsurantur, & „ fiunt repente ex laicis Sacerdotes". Unde subdit: „ Quid putamus quod isti subjectis præstituri sunt, qui antequam discipulatus limen attingant, tenere locum magisterii non formidant? „ Qua de re necesse est, ut & quamvis inculpati quisquam sit meriti, ante tamen per distinctos ordines Ecclesiasticis exerceatur „ officiis... Sed ne forsan se pravæ consuetudinis quisquam velit „ objectu defendere, Fraternitatis vestræ discretio rationis eos fræno coerceat, & labi in illicitis non permittat: quia quidquid „ ultione dignum est, non ad imitationis, sed ad exemplum potius „ debet correptionis adduci". Tertius abusus, cohabitatio Clericorum cum mulieribus. Quamobrem iterum canonum hac de re observantiam inculcat, „ ne aliæ mulieres cum Sacerdotibus habitent, nisi hæ, quæ sacris, ut prædictum est, canonibus sunt „ permissæ". Ut vero hi abusus efficacius eliminentur, Synodorum

---

(1) Verba S. Pontificis imagines adorari vetantis, eo sensu accipienda docet S. Thom. 2. 2. q. 94. a. 2. ad 1. *Sanctorum imagines non absoluta adoratione etiam inferiori, sed respectiva tantum, possunt & debent adorari: sed adorari non dicuntur proprie, nec dici consueverunt antiquo usu.*

(a) *Lib. 9. epist.* 106. (b) *Matth.* 10. 8.

rum frequentiam inculcat scribens: „ Et quidem quia de habendo „ bis in anno Concilio Patrum sit regulis statutum, non latet. „ Sed ne forte aliqua impleri hoc necessitas non permittat, semel „ tamen sine excusatione aliqua decernimus congregari, ut expecta„ tione Concilii nihil pravum, nihil præsumatur illicitum. Nam ple„ rumque etsi non amore justitiæ, metu tamen examinis abstinetur „ ab hoc quod omnium notum est posse displicere judicio ". Pro hac itaque Synodi annua congregatione scribit Syagrio Episcopo Augustodunensi (a) dicens: „ Curam congregandæ Synodi, quam „ vobis & aliis fratribus nostris pro illicitarum rerum prohibitione „ fiendam scripsimus, vestræ specialiter solicitudini noveritis incum„ bere ". Quam provinciam illi potius imponere dicit, „ quia „ præexcellentissimos filios nostros Francorum Reges magnam vobis „ novimus dilectionem impendere ". Quamobrem secundum postulationis suæ desiderium, pallii usum intra Ecclesiam suam ad sacra tantum Missarum solemnia largitur, & statuit Augustodunensem Ecclesiam primum locum post Lugdunensem obtinere, servato tamen Metropolitæ suo per omnia loco & honore. Gratias etiam illi agit, quod adjutor fuerit Augustino Anglorum Missionario, eique operam strenue navaverit. S. GREG. M.

Epistolas complectitur liber decimus datas anno 599. indictione tertia. In prima epistola (b) Romano Ecclesiæ defensori in Sicilia jubet, „ ut Lucillum, quondam insulæ Melitensis Episco„ pum, qui non solum res Ecclesiæ . . . abstulerat, verum etiam „ plurima ejusdem Ecclesiæ competentia sibi retinebat, cogat si„ ne mora restituere: quod pariter faciendum a Petro ejus filio, „ quia & ipse plurima prædictæ Ecclesiæ abstulerat ". Deinde concedit Trajano a Monachatu ad Episcopatum assumpto, „ ut „ de monasterio suo quod in civitate Syracusana situm est, quatuor „ vel quinque monachos secum habere possit; quia ad locum pro„ ficiscens incognitum, si proprios quorum consolatione utatur, „ non habeat, mens affecta tristitia minus se ad ea quæ utilitatis „ sunt, erigit, & ante incipit seccumbere, quam laboret ". Quod tamen privilegium ita a se concessum dicit, ut tamen Joannis Syracusani Episcopi sit arbitrio reservatum. Insuper præfato Trajano concedit, „ ut pueros quos de propria pecunia comparavit, ac suos, „ Patrisque sui Codices, aut res alias, quas in eodem monasterio „ habet, nec non quidquid postquam Abbatis remotus est officio, „ comparavit, vel quolibet titulo acquisivit, libera illi tollendi fa„ cultas sit. Si quid autem dum adhuc ille Abbatis fungeretur of„ ficio, acquisivit, non suum, sed monasterii ipsius esse cognoscat. „ Et ideo de jure illud ejusdem monasterii auferri ulterius quoli„ bet modo non patimur ". Liber decimus.

S. Eulogius Alexandrinus Patriarcha D. Gregorio scripserat quos-

(a) *Epist.* 108.
(b) *Epist.* 1.

S. GREG. M. dam monachos Palæſtinos Romam venturos (*a*), ut a Sancto Pontifice diſcerent quid eſſet de hæreſi Agnoitarum, qui quædam Chriſti Domini dicta in Evangelio aut non intelligentes, aut male interpretantes, eidem Chriſto ignorantiam affingebant, ſentiendum. Plura præterea in ſua epiſtola attulerat Græcorum Patrum teſtimonia, Agnoitarum hæreſim profligantia. Illi itaque reſpondet dicens 1. nullos veniſſe de Jeroſolymorum partibus monachos qui illum requirerent, ſed ad Conſtantinopolitanam urbem talia requirentes perrexiſſe". 2. Dicit, „ ſe ante longum tempus, quam ejus ſcripta ſuſciperet, contra eamdem hæreſim eadem reſpondiſſe, quæ poſtmodum in ejus epiſtola inveniret, atque omnipotenti Deo gratias retuliſſe, quia de cunctis inquiſitionibus Romanorum atque Græcorum Patres, quorum ſequaces utrique ſunt, uno ſpiritu ſunt locuti. In multis enim eamdem epiſtolam veſtræ Sanctitatis inveni, ac ſi contra prædictam hæreſim ſcripta Latinorum Patrum legerem". Rurſum in alia (*b*) ad eumdem epiſtola explicationes ab ipſo datas teſtimoniis Scripturæ, quibus ſui defenſionem erroris inſerebant Agnoitæ, adprobat, & confirmat ſcribens: „ Quod de ficulnea dixiſtis, in eo ſenſu proprie beatus Auguſtinus loquitur, quia cum Evangeliſta ſubjunxit: *Nondum enim erat tempus ficorum* (*c*), aperte cognoſcitur, quod per ficum Dominus in Synagoga fructum quæſierat, quæ folia Legis habuit, ſed fructum operis non habebat. Non enim poterat Creator omnium neſcire quia fructum ficus non habuit; quod dum tempus ficorum non eſſet, omnes poterant ſcire. De eo vero quod ſcriptum eſt: *Quia diem & horam neque Filius, neque Angeli ſciunt* (*d*), omnino recte veſtra Sanctitas ſenſit, quoniam non ad eumdem Filium, juxta hoc quod caput eſt, ſed juxta corpus ejus quod ſumus nos, eſt certiſſime referendum.... Dicit quoque & aliud quod de eodem filio poſſit intelligi, quia Deus omnipotens aliquando more loquitur humano, ſicut ad Abraham dicit: *Nunc cognovi quia times Deum* (*e*). Non quia ſe Deus tunc timeri cognoverit: ſed quia tunc eumdem Abraham fecit agnoſcere". Pari pacto & illa verba Chriſti in nuptiis Canæ Galilææ Matri dicentis: *Quid mihi & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea* (*f*), explicat dicens: „ In miraculo quod ex tua natura non habeo, te minime recognoſco. Cum hora mortis venerit, cognoſco te matrem, quia unde mori poſſum, hoc ex te habeo. Similiter de loco in quo mulieribus de Lazaro dicit: *Ubi poſuiſtis eum* (*g*)? ipſa ſpecialiter ſenſimus, quæ ſenſiſtis: quia ſi negant ſciſſe Dominum ubi fuerat Lazarus ſepultus, atque ideo requiſiſſe, procul- „ dubio,

(a) *Epiſt.* 35. (b) *Epiſt.* 39.
(c) *Marc.* 11. 13. (d) *Ibid.* 13. 32.
(e) *Gen.* 22. 12. (f) *Joan.* 2. 4.
(g) *Ibid.* 11. 34.

„ dubio compellentur fateri, quia nescivit Dominus in quibus lo-
„ cis se Adam & Eva post culpam absconderant, cum in Paradi- S.GREG. M.
„ so dixit: *Adam ubi es* (*a*)? aut cum Cain corripit, dicens:
„ *Ubi est Abel frater tuus* (*b*)? Qui si nesciebat, cur protinus ad-
„ junxit: *Sanguis fratris tui de terra clamat ad me* (*c*)". Addit:
„ Res autem valde manifesta est, quia quisquis Nestorianus non
„ est, Agnoita esse nullatenus potest. Nam qui ipsam Dei sapien-
„ tiam fatetur incarnatam, qua mente valet dicere, esse aliquid
„ quod Dei sapientia ignoret"? Denique scribit, aliam esse adhuc Agnoitarum solvendam objectionem, quam ipsi ex mente Agnoitarum proposuerat Anatolius Diaconus, nimirum „ quia sicut im-
„ mortalis mori dignatus est ut nos liberaret a morte, & æternus
„ ante tempora fieri voluit temporalis: ita Dei sapientia ignoran-
„ tiam nostram suscipere dignata est, ut nos ab ignorantia libera-
„ ret". Cui objectioni, dicit, „ necdum respondi, quia gravi
„ nuncusque infirmitate detentus sum .... & si ita perfecte con-
„ valuero ut dictare valeam, adjuvante Domino, respondebo; de
„ quibus vobis mihi nihil dicendum est, ne videar docere quæ no-
„ stis". Episcopum Thessalonicensem ad pacem & unitatem servandam hortatur (*d*). Quapropter cum Lucas Presbyter suus, & Petrus Chalcedonensem Synodum nolle suscipere dixerint, atque ex hoc orthodoxorum corda non leviter sunt perturbata, mandat, ut „ hoc rimari omni cura non desinat. Et si in hoc eos sontes in-
„ venerit, scandalum de fidelium mentibus, habita eorum satisfa-
„ ctione, removeat, atque inter omnes hæreses specialiter Nesto-
„ rium atque Severum anathematizet, ut quibus sinistra de eis sus-
„ picio dissensionem amore fidei genuit, gignat purificatio carita-
„ tem". Venantio vero Episcopo Lunensi scribit (*e*) se illi sanctimonialem ad ejus petitionem mittere, ut in Monasterio in sua Civitate sito, Abbatissæ regere possit officium. Unde apparet & tunc in more fuisse, ut ex aliis monasteriis sanctimonialis sumeretur, quotiescumque defuisset in aliquo monialis idonea ad Abbatissæ munus obeundum. Unionem tamen monasteriorum in diversis diœcesibus positorum sine Episcoporum consensu fieri nunquam consuevisse apparet ex epistola S. Gregorii ad Adeodatum Abbatem (*f*), cui solum concedit, ut Gratterensi monasterio suum Neapolitanum uniat quousque Neapoli ordinetur Antistes, qui cum fuerit ordinatus „ utrum (scribit) in perpetuum hæc unitio extendi, an
„ temporalis esse debeat, maturius ac solidius cum Dei gratia
„ pertractabimus". Mos erat S. Gregorii temporibus, ut Episcopi a Clero & populo eligerentur, & ad Summum Pontificem eorum confirmatio ita pertinebat, ut si quos forte minus dignos agnovisset, ad alterius electionem Clerum, & populum urgeret. Id patet

(a) *Gen.* 3. 9. (b) *Ibid.* 4. 9.
(c) *Ibidem*. (d) *Epist.* 42.
(e) *Epist.* 43. (f) *Epist.* 61.

S. GREG. M.

patet ex epistola (a) ad Neapolitanos, quos reprehendit ob electionem Joannis Diaconi, qui parvulam filiam habebat, unde scribit: „ Qua præsumptione ad Episcopatum audet accedere, qui adhuc „ longam corporis sui continentiam, filiola teste, convincitur non „ habere "? Similiter & electionem non adprobat Petri Diaconi, quia simplex erat, & solidos dederat ad usuram: „ Nam, inquit, „ nos amatoribus usurarum nulla ratione manus imponimus ". Pestilentiæ flagello Deus Italiam, sed multo magis Africam hoc anno 599. castigabat. Dominico itaque Episcopo Carthaginensi scribit (b) S. Gregorius, docens quo animo sint divinæ misericordiæ flagella sustinenda; quare sic scribit: „ Creatori nostro in cunctis „ gratias referamus, atque de ejus misericordia confidentes, patien- „ ter omnia toleremus, quia satis minus patimur quam meremur. „ Quoniam tamen ita temporaliter flagellamur, ut sine æternæ vi- „ tæ consolatione minime relinquamur: necesse est ut.... rationes „ nostras, quas in ejus judicii examine sumus posituri, bonæ a- „ ctionis studio, & fletu pœnitentiæ muniamus; ut tantæ nobis „ percussiones, favente ejus gratia, non damnationis initium, sed „ beneficium purgationis existant ". Aspera objurgatione Opportunum Apruntinum reprehenderat S. Gregorius (c), sed audiens idcirco eum in gravem incidisse animi mœrorem, atque tristitiam, idcirco ad ejus solamen & quietem sic illi scribit: „ Te, di- „ lectissime Fili, volo cognoscere, quia ego illa verba non asperi- „ tate cordis, sed amore tuæ animæ sum locutus. Tu itaque ad „ omnipotentem Deum tota mente convertere.... Si contra veri- „ tatem injuriam pertuleris, lucrum puta; ut hæc agens, per „ temporalia quæ despiciendo pateris, ad cælestia regna pertin- „ gas ".

Liber undecimus.

Ad annum Christi 600. Indictione 4. pertineat hujus libri epistolæ. In quarum prima (d) Joannis Abbatis montis Sina orationibus se commendat summa humilitate scribens: „ Vos qui in tanta „ quietis vestræ serenitate tranquillam vitam ducitis, & securi „ quasi in littore statis, nobis navigantibus, aut potius naufragan- „ tibus orationis vestræ manum tendite, & conantes ad terram vi- „ ventium pergere, quantis potestis precibus adjuvate ". Deinde eorum necessitatibus compatiens, & liberaliter occurrens, illi se mittere dicit lectos, vel lectisternia idonea; nec non pecuniam ad culcitras emendas. Cononem vero recenter electum Abbatem monasterii Lirinensis, quomodo cœnobium suum regere debeat, docet scribens: „ Eos qui tibi (e) commissi sunt, a gula, a superbia, „ ab avaritia, a vaniloquio, & ab omni immunditia, Redempto- „ ris nostri suffragante gratia, prohibere, ac studii tui sit per o- „ mnia custodire.... Itaque boni te dulcem, pravi sentiant corre-

„ cto-

(a) *Epist.* 62. (b) *Epist.* 63.
(c) *Epist.* 68. (d) *Epist.* 1.
(e) *Epist.* 12.

„ ctorem. In qua videlicet correctione hunc esse ordinem noveris „ observandum, ut personas diligas, & vitia persequaris: ne si a- „ liter agere fortasse volueris, transeat in crudelitatem correctio, „ & perdas quos emendare desideras. Sic enim vulnus debes ab- „ scindere, ut non possis ulcerare quod sanum est. Ipsa enim in „ se dulcedo cauta sit, non remissa: correctio vero diligens sit, „ non severa. Sed sic alterum condiatur ab altero, ut & boni „ habeant amando quod caveant, & pravi metuendo quod dili- „ gant ".

S.GREG. M.

Epistolam ad Augustinum Anglorum Episcopum sic exultabundus (*a*) exorditur D. Gregorius: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*b*). Olim hoc Evangelico, & angelico cantico utebantur fideles in lætitiæ argumentum, sicut modo canticum *Te Deum laudamus* usurpant. Deinde prosequitur: „ Quis autem narrare sufficiat quanta hæc lætitia in omnium cor- „ de fidelium fuerit exorta, quod gens Anglorum, operante omni- „ potentis Dei gratia, & tua Fraternitate laborante, expulsis er- „ rorum tenebris, sanctæ fidei luce perfusa est ... Cujus hoc opus „ est, nisi ejus qui ait: *Pater meus usque modo operatur & ego* „ *operor* (*c*)? ... qui in Anglorum gente fortia dignatus est per „ infirmos operari.... Unde necesse est ut de eodem dono cælesti „ gaudeas, & gaudendo pertimescas. Gaudeas videlicet, quia An- „ glorum animæ per exteriora miracula ad interiorem gratiam per- „ trahuntur: pertimescas vero, ne inter signa quæ fiunt, infirmus „ animus in sui præsumptionem se elevet.... Meminisse enim de- „ bemus, quod discipuli cum gaudio a prædicatione redeuntes, „ dum cælesti Magistro dicerent: *Domine in nomine tuo etiam dæ-* „ *monia nobis subjecta sunt* (*d*), protinus audierunt: *Nolite gau-* „ *dere super hoc, sed potius gaudete, quia nomina vestra scripta* „ *sunt in cælo* (*e*). In privata enim & temporali lætitia mentem „ posuerunt, qui de miraculis gaudebant. Sed de privata ad com- „ munem, de temporali ad æternam lætitiam revocantur... Non „ enim omnes electi miracula faciunt, sed tamen eorum omnium „ nomina in cælo tenentur adscripta .... Restat itaque, Frater „ carissime, ut inter ea quæ operante Deo exterius facis, semper „ te interius subtiliter judices: ac subtiliter intelligas & temetip- „ sum qui sis, & quanta sit in eadem gente gratia, pro cujus „ conversione etiam faciendorum signorum dona percepisti. Et si „ quando te Creatori nostro seu per linguam, sive per opera re- „ minisceris deliquisse, semper hæc ad memoriam revoces, ut sur- „ gentem cordis gloriam memoria reatus premat. Et quidquid de „ faciendis signis acceperis, vel accepisti, hæc non tibi, sed illis „ deputes donata, pro quorum salute tibi collata sunt.... Certe „ Moy-

(a) *Epist.* 28. (b) *Luc.* 2. 14.
(c) *Joan.* 5. 17. (d) *Luc.* 10. 17.
(e) *Ibid. v.* 20.

S.GREG. M. „ Moyses dum Dei populum ex Ægypto educeret, mira .... in „ Ægypto operatus est.... Quanta autem post hæc per triginta & „ octo annos in deserto miracula fecerit, quis enumerare, quis „ investigare valeat?... Sed cum jam ad promissionis terram ventum fuisset, vocatus in montem est; & quam culpam ante annos triginta & octo, ut dixi, fecerat, audivit quia de educenda aqua dubitavit. Et propter hoc quia terram promissionis intrare non posset, agnovit .... Igitur si & illum cognoscimus „ post signa pro culpa mortuum, quem ab omnipotente Deo novimus præcipue electum, quanto nos debemus metu contremiscere, qui necdum adhuc novimus si electi sumus? De reproborum „ vero miraculis quid dicere debeo, cum.... noveris quid in Evangelio veritas dicit: *Multi venient in illa die dicentes: In nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus. Sed dicam illis quia nescio qui estis. Recedite a me omnes operarii iniquitatis* (a).... „ Hæc autem dico, quia auditoris mei animum in humilitate sternere cupio. Sed ipsa tua humilitas habeat fiduciam suam. Nam „ peccator ego spem certissimam teneo, quia per omnipotentis „ Creatoris ac Redemptoris nostri Dei & Domini Jesu Christi „ gratiam jam peccata tua dimissa sunt, & idcirco electus es, ut „ per te dimittantur aliena. Nec habebis luctum de quolibet reatu in posterum, qui de multorum conversione gaudium conaris „ facere in cælo ". Profecto hæc S. Gregorii monita luculentissima sunt testimonia veritatis miraculorum in Anglia a S. Augustino & sociis patratorum, & quæ illius gentis ad fidem conversionem sunt operata. Scripsit propterea D. Gregorius (*b*) Berthæ Anglorum Reginæ, de qua audierat a Laurentio Presbytero & Petro Monacho, qui ex illo regno Romam venerant, quanta solatia, & quantam exhibuerit caritatem S. Augustino. Gratulatur itaque I. & se Deum omnipotentem benedicere dicit, qui conversionem gentis Anglorum suæ mercedi reservaverit. Ipsam Helenæ Constantini matri assimilat subdens: „ Nam sicut per recordandæ „ memoriæ Helenam matrem piissimi Constantini Imperatoris, ad „ Christianam fidem corda Romanorum accendit; ita & per gloriæ „ vestræ studium in Anglorum gente ejus misericordiam confidimus „ operari ". Porro hæc Bertha, seu ut alii eam appellant, Adilberga Ethelberti Cantiorum Regis uxor, filia erat Chariberti Francorum Regis, quæ ea conditione illi nupserat, ut fidem suam catholicam aperte & libere profiteri posset, ideo catholicum Episcopum secum duxerat; & primo quidem non multum solicitam se ostendit de Mariti conversione, at postmodum, utpote, ut scribit S. Gregorius, recta fide munita, & litteris docta strenuam ad hoc opus navavit operam. Quamobrem S. Gregorius illi animum adjiciens sic

(a) *Matth.* 7. 22.
(b) *Epist.* 29.

sic eam hortatur scribens : „ Mentem gloriosi conjugis vestri in di- S. GREG. M.
„ lectione Christianæ fidei adhortatione assidua roborate, vestra illi
„ solicitudo augmentum in Deum amoris infundat, atque ita ani-
„ mos ejus, etiam pro subjectæ sibi gentis plenissima conversione
„ succendat, ut & magnum omnipotenti Domino de devotionis ve-
„ stræ studio sacrificium offerat, & ea quæ de vobis narrata sunt,
„ & crescant & vera esse modis omnibus approbentur .... Unde
„ sicut nobis de christianitatis vestræ solatiis lætitia facta est, ita
„ quoque de perfecta operatione vestra Angelis fiat gaudium in
„ cælis ".

Licet gravissimis pressus infirmitatibus D. Gregorius, aliis tamen ægrotantibus auxilium & solamen afferre solicite procurabat. Cum itaque audisset a quodam cive Ravennate Marinianum ejusdem civitatis Episcopum de vomitu sanguinis ægrotare, solicite (ut scribit) & singillatim (*a*) eos quos Romæ doctos lectione medicos inquiri fecit, & quidquid senserint, quidve dictaverint scriptum transmisit. Cum vero quietem & silentium præ omnibus dictarent, quam in sua Ecclesia haberi posse valde dubitabat, illi sic peramanter scribit : „ Ideo mihi videtur ut ordinata illic Ecclesia,
„ vel qui Missarum solemnia explere valeant, vel qui Episcopii
„ curam gerere, hospitalitatemque & susceptiones possint exhibe-
„ re, quive monasteriis custodiendis præesse, tua Fraternitas ad me
„ ante æstivum tempus debeat venire, ut ægritudinis tuæ ego spe-
„ cialiter, in quantum valeo, curam geram, quietem tuam custo-
„ diam; quia huic ægritudini æstivum tempus Medici vehementer
„ dicunt periculosum. Et valde pertimesco, ne si curas aliquas
„ cum adversitate temporis habueris, amplius ex eadem molestia
„ pericliteris. Ego etiam ipse valde sum debilis, & omnino est u-
„ tile ut cum Dei gratia sanus ad tuam redeas Ecclesiam : aut
„ certe si vocandus es, inter tuorum manus voceris .... Si igi-
„ tur.... venire disponis, cum paucis tibi veniendum est: quia
„ mecum in Episcopio manens, quotidiana obsequia de hac Eccle-
„ sia habebis. Præterea nec hortor, nec admoneo, sed districte
„ præcipio ut jejunare minime præsumas; quia dicunt medici huic
„ molestiæ valde esse contrarium, nisi forte si grandis solemnitas
„ exigit, quinque in anni vicibus concedo. A vigiliis quoque tem-
„ perandum est, & preces quæ super cereum in Ravennati Civi-
„ tate dici solent, vel expositiones Evangelii, quæ circa Pascha-
„ lem solemnitatem a Sacerdotibus fiunt, per alium dicantur ".
In alia autem epistola (*b*), iterum illi jejunium prohibet; sed si Deo miserante adeo melioratum se esse, ac virtutem suam sufficere posse cognoscat, semel aut bis in hebdomada jejunare posse permittit.

Cum audisset Theoctistam Patriciam Imperatoris sororem levitate

---

(a) *Epist.* 33.
(b) *Epist.* 40.

S.GREG. M. tate populi tumultu contra eam detractionis exorto, ideo tædio non modico fuisse contristatam; ut eam consoletur, scribit (*b*) illi 1. „ Qui vitæ suæ in cælo testem habet, judicia homi-
„ num in terra pertimescere non debet .... Boni enim si sine ma-
„ lis fuerint, perfecte esse boni non possunt, quia minime pur-
„ gantur “. 2. Addit quod „ cum sint plurimi, qui vitam bono-
„ rum fortasse amplius quam debent laudant; ideo & ne qua ela-
„ tio de laude surripiat, permittit omnipotens Deus malos in ob-
„ trectationem & objurgationem prorumpere: ut si qua culpa ab
„ ore laudantium in corde nascitur, ab ore vituperantium suffocetur “.
3. Monet „ quia sedari hoc ipsum stultorum hominum murmur
„ tranquilla ratione potest: peccatum credo si bonum quod valet
„ fieri, negligitur ut fiat. Nam cum placare insanas mentes, at-
„ que ad salutem reducere possumus, scandalizare eos minime de-
„ bemus “. 4. Hoc illi præbet consilium: „ Priores eorum (ob-
„ murmurantium) sponte vobis secreto vocandi sunt, atque ipsis
„ ratio reddenda; & perversa quædam capitula quæ teneri existi-
„ mant, coram ipsis anathematizanda. Quod si etiam, sicut dici-
„ tur, dari anathema ficte suspicantur, etiam jurejurando firman-
„ dum est vos nunquam eadem capitula tenere, nunquam tenuis-
„ se. Nec vobis indignum videatur tali eis modo satisfacere, nec
„ de imperiali genere sit contra eos aliquod in vestra mente fasti-
„ dium. Omnes enim fratres sumus, unius Imperatoris potestate
„ conditi, & sanguine redempti. Et ideo fratres nostros quantum-
„ libet pauperes & abjectos, in nullo despicere debemus. Certe
„ enim Petrus potestatem regni cælestis acceperat, ut quæque in
„ terra ligaret vel solveret, essent in cælo ligata vel soluta ....
„ Et quia ex admonitione Spiritus ad Cornelium gentilem fuerat
„ ingressus, contra eum quæstio a fidelibus facta est cur ad genti-
„ les intrasset... non ex potestate, sed ex ratione respondit, cau-
„ sam per ordinem exposuit .... quanto magis nos peccatores cum
„ de re aliqua reprehendimur, reprehensores nostros ratione humili
„ placare debemus? Ad me cum apud vestigia Dominorum in re-
„ gia urbe demorarer, multi ex eis venire consueverant, qui de
„ prædictis capitulis accusabantur. Sed teste conscientia fateor,
„ nunquam in eis aliquid erroris, aliquid pravitatis, aliquid de
„ his quæ contra eos dicebantur, inveni. Unde & eos opinione
„ contempta familiariter suscipere, & magis ab insequentibus de-
„ fendere curabam.... Quia vero sunt multi fidelium qui imperi-
„ to zelo succenduntur, & sæpe dum quosdam quasi hæreticos in-
„ sequuntur, hæreses faciunt, eorum infirmitati consulendum est;
„ & sicut prædixi, ratione & mansuetudine sunt placandi. Illis
„ quippe sunt similes de quibus scriptum est: *Testimonium illis*
„ *perhibeo, quod æmulationem Dei habent, sed non secundum scien-*
„ *tiam*

(a) *Epist.* 45.

„ *tiam* (*a*) “. 5. Ostendit, religionis causa conjugia non debere dissolvi: „ quia etsi hoc lex humana concessit, divina lex prohi- „ buit. Per se enim Veritas dicit: *Quæ Deus conjunxit, homo* „ *non separet* (*b*) “. Illos quoque non audiendos monet, qui dicebant „ in baptismo peccata superficie tenus dimitti. Nam, in- „ quit, quid est hac prædicatione infidelius, in qua ipsum fidei sa- „ cramentum festinat solvere? In quo principaliter ad cælestis mun- „ ditiæ mysterium anima ligatur, ut absoluta radicitus a peccatis „ omnibus, soli Deo inhæreat “. Similiter & illos docentes de peccatis „ quolibet triennio agendam pœnitentiam, & post trien- „ nium in voluptatibus vivendum; nam anima .... quæ hoc ite- „ rum facit quod plangit, nec per lamenta pœnitentiæ ad rectitu- „ dinem justitiæ exurgit. Pœnitentiam enim vere agere, est com- „ missa plangere, sed iterum plangenda declinare “. S.GREG. M.

Plures abusus corrigit in sequentibus epistolis apostolico zelo D. Gregorius. Et primo quidem ad Hadrianum Notarium scribens (*c*) mandat, ut uxori maritus qui ea nolente monachus & tonsuratus fuerat, sine cunctatione reddatur: „ quia etsi mundana lex præci- „ pit, conversionis gratia, utrolibet invito, posse solvi conjugium: „ divina hoc tamen lex fieri non permittit “. Loquitur S. Gregorius de matrimonio jam consummato, vel longe ante rato. Nam in præsenti Ecclesiæ disciplina matrimonium ratum solvitur religionis ingressu, dato ad hoc deliberandum bimestri. Desiderium Galliæ Episcopum reprehendit (*d*), quod artem grammaticam doceret, „ quia, inquit, in uno se ore cum Jovis laudibus Christi „ laudes non capiunt .... & grave nefandumque est Episcopis ca- „ nere, quod nec laico religioso conveniat “. Verum cum & ipse S. Gregorius lib. 5. Comment. in 1. Regum cap. 3. n. 30. grammaticæ studium, aliarumque artium, ut vocant, liberalium non leviter laudat, quia in intelligentia sacræ Scripturæ non parum prodesse possunt, credendum est non rem ipsam, sed modum ejus in Episcopo reprehendere. Plures sequuntur epistolæ ad Episcopos Galliæ (*e*) Virgilio Arelatensi, Ætherio Lugdunensi, Arigio Vapincensi, & Theodorico, Theodeberto, Clotario, & Brunichildæ Francorum Regibus & Reginæ, eos solicitans & urgens ad Synodum congregandam, in qua simoniaca pravitas eradicetur, dolet se gesta & scripta S. Irenæi licet solicite quæsita, a se tamen reperiri minime potuisse. Iisdem Episcopis commendat nonnullos monachos quos tunc Melito Abbas in Angliam ad S. Augustinum mittit, qui ob Christianorum frequentiam novos & plures efflagitabat Missionarios, qui populum instruerent, illique præessent. Non ad omnes quidem laudatos Episcopos divertere debeant monachi, sed cum plurimum crederent apud Reges & Reginam Galliæ, plurimum

(a) *Rom.* 10. 2. (b) *Matth.* 19. 6.
(c) *Epist.* 50. (d) *Epist.* 54.
(e) *Epist.* 55. 56. 57. 58. 60. 61. 63.

S. GREG. M. mum etiam ad eorum securitatem & celerem expeditionem poterant prodesse: proinde mirum non est si & illis Missionarios enixe commendat.

S. Augustinus Anglorum Apostolus, & primus Archiepiscopus, ut recenter erectam Ecclesiam sanctissime regeret, plura proposuit per epistolam (*a*) D. Gregorio quæsita, ad quorum singula respondet S. Pontifex. Primo itaque postulat, „ quomodo Episcopus „ debeat cum suis Clericis conversari, & fidelium oblationes dis- „ tribuere “. Respondit: „ Non debere seorsim a suis Clericis „ vivere, sed esse debere illi omnia communia. De omni vero „ stipendio, quatuor fieri debere portiones. Una Episcopo & fa- „ miliæ ejus . . . alia Clero, tertia vero pauperibus, quarta Ec- „ clesiis reparandis “. 2. Num Clerici possint matrimonium con- „ trahere? Et respondet, Clericis extra sacros Ordines constitutis „ sortiri uxores posse, & stipendia sua exterius accipere . . . . & „ sub Ecclesiastica regula esse tenendos, ut bonis moribus vivant, „ & canendis Psalmis invigilent, & ab omnibus illicitis cor, & „ linguam, & corpus Deo auctore conservent. 3. Cur cum una „ sit fides, tamen sint tam diversæ Ecclesiarum consuetudines? „ Respondet, sibi placere ut sive in Romana, sive in Gallicana, „ sive in qualibet alia Ecclesia aliquid invenerit, quod plus omni- „ potenti Deo possit placere, solicite eligat, & in Anglorum Ec- „ clesia, quæ adhuc in fide nova est, institutione præcipua quæ „ de multis Ecclesiis colligere potuit, infundat. 4. Quomodo pu- „ niendi fures rerum Ecclesiasticarum? Respondet, puniendos pro „ modo culpæ vel ex malitia, vel ex inopia commissæ. Unde ne- „ cesse est, ut quidam damnis, quidam verberibus, & quidam di- „ strictius, & quidam levius corrigantur . . . Sed absit quod Ec- „ clesia cum augmento recipiat quod de rebus terrenis videtur a- „ mittere, & lucra de damnis quærat. 5. Num liceat duobus fra- „ tribus duas sorores accipere? Et respondet hoc fieri modis o- „ mnibus licere. 6. Usque ad quotam generationem fideles pos- „ sint cum propinquis suis copulari: num & novercis, & cognatis „ id liceat? Respondet: Ut jam tertia, vel quarta generatio fi- „ delium licenter jungi possint. Cum noverca misceri grave est „ facinus. Cum cognato (idest mariti fratre) misceri prohibitum „ est, quæ per conjunctionem priorem caro fratris facta est. 7. „ Num turpiter conjunctis, idest in gradibus vetitis sit indicenda „ separatio, & neganda communio? Respondet: nefando (idest „ illicito) conjugio admixtos, ad fidem venientes admonendos, ut „ ut se abstineant, & grave hoc esse peccatum cognoscant. Non „ tamen pro hac re corporis ac sanguinis Domini communione „ privandos, ne in eis illa ulcisci videamur, in quibus se per igno- „ rantiam ante lavacrum baptismatis astrinxerunt. In hoc enim „ tempore sancta Ecclesia quædam per fervorem corrigit, quædam

„ per

(a) *Epist.* 64.

„ per fervorem corrigit, quædam per mansuetudinem tolerat, ut sæpe „ malum quod adverlatur, portando, & dissimulando compescat. O- „ mnes autem qui ad fidem veniunt... si hoc perpetraverint, corpo- „ ris & sanguinis Domini communione privandi sunt. 8. Quærit, num „ ex necessitate liceat Episcopum ab uno consecrari sine aliorum Epi- „ scoporum præsentia? Respondet: In Anglorum Ecclesia, in qua „ adhuc solus tu Episcopus inveniris, ordinare Episcopum non ali- „ ter nisi sine Episcopis potes. Nam quando de Galliis Episcopi „ venient, illi in ordinationem Episcopi testes tibi assistent. Sed „ Fraternitatem tuam ita volumus in Anglia Episcopos ordinare, „ ut ipsi sibi Episcopi longo intervallo minime disjungantur: qua- „ tenus nulla sit necessitas, ut in ordinatione alicujus Episcopi „ convenire non possint . . . Cum igitur ita fuerint Episcopi et- „ iam in propinquis sibi locis ordinati, per omnia Episcoporum „ ordinatio sine aggregatis tribus vel quatuor Episcopis fieri non „ debet. 9. Quærit, qualiter debeat cum Galliarum, & Britan- „ norum Episcopis agere. Respondet: In Galliarum Episcopos „ nullam tibi auctoritatem tribuimus: quia ab antiquis prædeces- „ sorum meorum temporibus pallium Arelatensis Episcopus acce- „ pit, quem nos privare auctoritate percepta minime debemus. Si „ igitur contingat, ut fraternitas tua ad Galliarum provincias trans- „ eat, cum eodem Episcopo Arelatensi debet agere, qualiter si „ qua sunt in Episcopis vitia corrigantur . . . Cui etiam episto- „ las fecimus, ut cum tuæ sanctitatis præsentia in Galliis fuerit, „ ei ipse tota mente subveniat . . . Ipse autem auctoritate pro- „ pria Episcopos Galliæ judicare non poteris: sed suadendo, blan- „ diendo, bona quoque tua opera eorum imitationi monstrando, „ pravorum mentes ad sanctitatis studia reformando, quia scriptum „ est in lege: *Per alienam messem transiens falcem mittere non „ debet; sed manu spicas conterere, & manducare* (*a*) . . . „ Britannorum vero omnium Episcoporum curam tuæ Fraternitati „ committimus, ut indocti doceantur, infirmi persuasione roboren- „ tur, perversi auctoritate corrigantur". Hi vero erant Epi- scopi Britannorum qui antiquitus insulam incolebant, sed igno- rantia & morum perversitate non minus quam fide corrupti. Ro- gat etiam Augustinus S. Pontificem, ut illi reliquias S. Sixti mar- tyris transmittat. Cui petitioni benigne annuit, „quatenus populus „ qui in loco quodam S. Sixti martyris corpus dixerunt venerari, „ quod . . . nec verum nec veraciter sanctum videtur, certa san- „ ctissimi & probatissimi martyris beneficia suscipiens, colere in- „ certa non debeat". Addit: „Si corpus quod a populo cu- „ jusdam martyris esse creditur, nullis illic miraculis coruscat, ne- „ que aliqui de antiquioribus existunt, qui se a parentibus passio- „ nis ejus ordinem audisse fatentur... reliquiæ vere seorsum con- „ dendæ sunt, ut locus in quo præfatum corpus jacet, modis o-

S.Greg. M.

(a) *Deut.* 23. 25.

[redacted] „ mnibus obstruatur, ne permittatur populus certum deserere, &
S.Greg. M. „ incertum venerari “.
In decima petitione plura agglomerat quæsita, scilicet: „ Si præ-
„ gnans mulier debeat baptizari, aut postquam genuerit, post
„ quantum tempus possit Ecclesiam intrare . . . Mater filium post
„ quot dies liceat baptizare. Post quantum temporis post partum
„ vir possit uxori copulari. An cum menstrua consuetudine tene-
„ tur mulier, el liceat Ecclesiam introire & sacræ communionis
„ sacramentum recipere. An vir suæ conjugi permixtus possit Eccle-
„ siam intrare, & ad communionem accedere antequam lavetur aqua “.
Respondet: „ Mulierem prægnantem posse baptizari, cum non
„ sit culpa fœcunditas carnis. Mulierem, si eadem hora qua ge-
„ nuerit, actura gratias intret in Ecclesiam, nullo peccati pon-
„ dere gravari. Baptizari vel enixam mulierem, vel hoc quod
„ genuerit sine mora, si mortis periculo urgetur . . . nullo modo
„ prohibetur. Ad uxoris concubitum vir accedere non debet, quo-
„ usque qui gignitur ablactetur . . . Mulieres vero quæ filios suos
„ ex prava consuetudine aliis ad nutriendum tradunt, nisi purga-
„ tionis tempus transierit, viris suis non debent admisceri . . . .
„ Sicut cum consuetis menstruis detinentur, viris suis misceri pro-
„ hibeantur, ita ut morte lex sacra feriat, si quis vir ad men-
„ struatam mulierem accedat . . . non tamen illi Ecclesiam in-
„ trare prohibetur, quia ei naturæ superfluitas in culpam non va-
„ let imputari . . . . Sanctæ quoque communionis mysterium in
„ eisdem diebus percipere, non debet prohiberi. Si autem ex ve-
„ neratione magna percipere non præsumit, laudanda est; sed si
„ perceperit, non judicanda. Dormiens cum propria uxore, nisi
„ lotus aqua intrare Ecclesiam non debet, sed neque lotus intrare
„ statim debet . . . Sed de hac re diversæ hominum nationes di-
„ versa sentiunt, atque alii alia custodire videntur. Romanorum
„ tamen semper ab antiquioribus usus fuit, post admixtionem pro-
„ priæ conjugis, & lavacri purificationem quærere, & ab ingres-
„ su Ecclesiæ paululum reverenter abstinere . . . . Qui ergo sua
„ conjuge non cupidine voluptatis captus, sed solummodo libero-
„ rum creandorum gratia utitur, iste profecto de ingressu Eccle-
„ siæ, seu de sumendo corporis Dominici sanguinisque mysterio,
„ suo est relinquendus judicio “. Undecimo interrogat: „ Num
„ post illusionem nocturnam liceat vel corpus Domini accipere; vel
„ Sacerdoti sacra mysteria celebrare “? Respondet: „ Si illusio ex
„ naturæ superfluitate vel infirmitate evenerit, non est timenda . . .
„ Si vero ex gula, & crapula, habet exinde animus aliquem rea-
„ tum: non tamen usque ad prohibitionem percipiendi sacri my-
„ sterii, vel Missarum solemnia celebrandi, cum . . . aut dies fe-
„ stus exigit, aut alius Sacerdos desit . . . nam si adsunt alii . . .
„ illusio per crapulam facta a perceptione sacri mysterii prohiberi
„ non debet, sed ab immolatione sacri mysterii abstineri . . . hu-
„ militer debet . . . Si vero ex turpi cogitatione vigilantis oritur
„ illusio in mente dormientis, patet animo suus reatus “. In se-
quenti

quenti vero epistola (*a*) ad eumdem Augustinum scribit se illi pallii usum concedere, & mandat ut per loca singula duodecim Episcopos ordinet, qui ejus ditioni subjaceant. Londinensis vero Episcopus a Synodo ordinatus, pallium ab Apostolica Sede petitum accipiat. Eboracensis Metropolitani honore fruatur. Ipsum vero Augustinum totius Angliæ Primatem constituit. S.GREG. M.

Interrogatus a Quirico Episcopo, & cæteris Episcopis in Hiberia, quæ Asiæ regio est Armeniæ majori contermina, & Georgia dicitur, num a Nestoriana hæresi ad Ecclesiam catholicam revertentes sint baptizandi, an sola manuum impositione purgandi, respondet (*b*): „ Ab antiqua Patrum institutione didicimus, ut „ quilibet apud hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad „ sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione chrismatis, aut impo- „ sitione manuum, aut sola professione fidei ad sinum matris Ec- „ clesiæ revocentur. Unde Arianos per impositionem manuum „ Occidens, per unctionem vero sancti chrismatis ad ingressum san- „ ctæ Ecclesiæ catholicæ Oriens reformat. Monophysitas (qui sunt „ Eutychiani, qui nonnisi unam agnoscebant in Christo naturam) „ & alios ex sola vera confessione recipit . . . . Hi vero qui in „ Trinitatis nomine minime baptizantur, sicut sunt Bonosiaci, & „ Cataphrygæ: quia & illi Christum Dominum non credunt, & „ isti sanctum Spiritum perverso sensu esse quemdam pravum ho- „ minem Montanum credunt . . . cum ad sanctam Ecclesiam ve- „ niunt, baptizantur: quia baptisma non fuit, quod in errore posi- „ ti in sanctæ Trinitatis nomine minime perceperunt. Nec potest „ hoc ipsum iteratum dici baptisma, quod, sicut dictum est, in „ Trinitatis nomine non erat datum. Nestoriani vero quia in san- „ ctæ Trinitatis nomine baptizantur, sed eos Judaicæ perfidiæ si- „ miles, Incarnationem unigeniti non credentes . . . ad sanctam „ Ecclesiam catholicam venientes, de veræ fidei firmitate & con- „ fessione docendi sunt, ut unum, eumdemque Dei & hominis fi- „ lium, Deum Dominum nostrum Jesum Christum credant, ipsum „ existentem in divinitate ante sæcula, & ipsum factum hominem „ in fine sæculorum . . . & Nestorium cum omnibus sequacibus „ suis, & reliquas hæreses anathematizantes, venerandas Synodos „ quas universalis Ecclesia recipit, se recipere & venerari promit- „ tant; & absque ulla dubitatione servatis eis propriis Ordinibus „ in catholico cœtu recipiat “.

Missum superius vidimus in Angliam ad illius gentis conversionem, & in auxilium Augustini a S. Gregorio Mellitum Abbatem cum aliquot monachis; verum cum de illorum itinere & appulsu in Angliam nihil certo audivisset, illi scribit, animi sui solicitudinem exponens; & nonnulla suggerit Augustino suo nomine dicenda (*c*), nimirum, „ ne fana idolorum destruat, sed solum quæ

(a) *Epist.* 65.
(b) *Epist.* 67. (c) *Epist.* 76.

S. GREG. M.

„ in ipsis sunt idola destruantur. Aqua benedicta fiat, in eisdem
„ fanis aspergatur, altaria construantur, reliquiæ ponantur: quia
„ si fana eadem bene constructa sunt, necesse est ut a cultu dæmo-
„ num in obsequium veri Dei debeant commutari: ut dum gens
„ ipsa eadem fana non videt destrui, de corde errorem deponat,
„ & Deum verum cognoscens ac adorans, ad loca quæ consuevit,
„ familiarius concurrat ". Superstitiosos etiam ritus immutandos
„ monet, non omnimode abrogandos subdens: „ Quia boves so-
„ lent in sacrificio Dæmonum multos occidere; debet his etiam
„ hac de re aliqua solemnitas immutari; ut in die dedicationis
„ vel natalitiis sanctorum Martyrum . . . tabernacula sibi circa
„ easdem Ecclesias . . . . de ramis arborum faciant, & religiosis
„ conviviis solemnitatem celebrent. Nec diabolo jam animalia
„ immolent, sed ad laudem Dei in esum suum animalia occidant,
„ & donatori omnium satietatem sua gratia referant: ut dum eis
„ aliqua exterius gaudia reservantur, ad interiora gaudia consentire
„ facilius valeant . . . quia is qui locum summum ascendere niti-
„ tur, necesse est ut gradibus vel passibus, non autem saltibus ele-
„ vetur. Sic Israelitico pupulo in Ægypto Dominus se quidem
„ innotuit: sed tamen eis sacrificiorum usus, quos diabolo solebant
„ exhibere, in cultu proprio reservavit, ut eis in sacrificio suo ani-
„ malia immolare præciperet ". Data legitur in fine hæc epistola
15. Kal. Juliarum, imperante Mauritio Tiberio Augusto, anno
19. post consulatum ejusdem an. 18. Indictione 4. idest 600.

Liber duodecimus.

Paternæ suæ viscera caritatis pandit S. Gregorius in epistolis hujusce duodecimi libri, dum ad Dominicum Carthaginensem Episcopum de ejus recuperata sanitate post periculosam & gravissimam infirmitatem gratulatur (*a*) & gestit, monens simul ut consideret,
„ quia quando de periculo mortis eripimur, ad quid reservemur,
„ incertum est: induciarum tempus ad utilitatem animæ converta-
„ mus . . . Nam & in caussis sæcularibus ad hoc frequenter beni-
„ gnus concedit judex inducias, ut qui ante paratus non fuerat,
„ postmodum paratus ad judicium veniat ". Anthemio Subdiacono scribit (*b*), ut Matthæo clarissimo scholastico in sui sustentationem duodecim solidos largiatur. Mariniano quoque Ravennati Episcopo, & Theodoro Curatori Maurentii homines commendat (*c*), ut illis militare stipendium solvi sollicitent. Anthemio Subdiacono scribit (*d*), ut Adeodato seni & pauperi relaxet ex annuis solidis duobus unum. Præcipit (*e*) Fantino Defensori, ut urgeat hæredes Isidori illustris memoriæ viri, ut Xenodochium, quod auctor eorum per ultimæ suæ voluntatis arbitrium fieri constituit, implere festinent. Quod si deputata pro ædificando Xenodochio non sufficiant, alteri Xenodochio S. Theodori applicetur. Passi-

(a) *Epist.* 1. (b) *Epist.* 2.
(c) *Epist.* 5. 6. (d) *Epist.* 9.
(e) *Epist.* 10.

Pasſivo Epiſcopo Firmano ſcribit (*a*), ut Oratorium ab Anione Comite in quodam caſtro ſuæ diœceſis in honorem beati Petri Apoſtolorum Principis conſtructum ſolemniter conſecret, & Presbyterum Cardinalem conſtituat, qui Miſſas celebret, quoties præfatus conditor voluerit, vel concurſus fidelium exegerit. Monet tamen, ne ullum corpus ſit ibi ſepultum, & neceſſaria ſuppeditentur ad divinum cultum in Oratorio conſervandum. Sed cum miſericordia juſtitiam quoque conjungebat Gregorius: quamobrem Columbo Numidiæ Epiſcopo mandat (*b*), ut Paulinum Tegeſſis civitatis Epiſcopum in Clericos ſuos ſævientem coerceat, & etiam ſi opus ſit, canonica ultione puniat, præſertim ſi comperiat ipſum ſacros ordines per ſimoniacam hæreſim dediſſe. Similiter omnibus Epiſcopis Byzacenæ Provinciæ in Africa ſcribens (*c*), jubet ut Clementii Primatis crimina, de quibus fuerat accuſatus, expendant, ut ſi vera ſunt, canonica ultione reſecentur; aut ſi falſa, ejus innocentia diu ſub nefandæ opinionis dilaceratione non jaceat. Deſiderium Viennenſem Epiſcopum rogat (*d*), ut Pancratium ſuæ quidem Eccleſiæ Diaconum, ſed qui divina inſpiratione compunctus, gratiam monaſticæ converſationis appetierat, & monaſterii etiam Diaconus electus fuerat, a tam ſancto propoſito minime impediat. S. GREG. M.

Decimo tertio Pontificatus S. Gregorii, & Chriſti 602. Indictione ſexta, datæ ſunt hujus Libri epiſtolæ. In prima epiſtola data Romanis civibus ſuis eos inſtruit (*e*) & monet, ne aſſentiantur nonnullis perverſi ſpiritus hominibus, qui in Sabbato aliquid operari prohibebant, & diem illum æque ac Dominicum cuſtodiendum dicebant. Hos Antichriſti prædicatores vocat, & docet „ poſtquam „ gratiam omnipotentis Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti apparuit, præcepta Legis quæ per figuram dicta ſunt, juxta literam „ ſervari non poſſe. Nam, ſubdit, ſi quis dicit hoc de Sabbato eſſe „ ſervandum, dicat neceſſe eſt etiam carnalia ſacrificia perſolvenda: dicat præceptum quoque de circumciſione corporis adhuc uſque retinendum... Immo idem Dominus & Redemptor noſter „ multa in die Sabbati legitur operatus, itaut Judæos reprehenderet, dicens: *Quis veſtrum bovem aut aſinum non ſolvit in die Sabbati, & ducit adaquare* (*f*)? Si ergo ipſa per ſe Veritas non cuſtodiri juxta literam Sabbatum præcepit, quiſquis otium Sabbati ſecundum Legis literam cuſtodit, cui alteri niſi „ ipſi Veritati contradicit"? Lavacrum quoque corporis quod pariter prohibebatur, dicit, „ quod ſi pro luxu animi atque voluptate „ quis lavari appetit, hoc fieri nec reliquo quolibet die concedi. „ Si autem pro neceſſitate corporis, non eſſe nec die Dominico „ prohibendum... Nam (ſcribit) ſi Dominico die corpus la- Liber tertius Decimus.

(a) *Epiſt.* 11. (b) *Epiſt.* 28.
(c) *Epiſt.* 32. (d) *Epiſt.* 35.
(e) *Epiſt.* 1. (f) *Luc.* 14. 5.

S. GREG. M.

„ vare peccatum eſt, lavari ergo die eodem nec facies debet. Si „ autem hoc in corporis parte conceditur, cur hoc exigente neceſ- „ ſitate toti corpori negatur? Dominico vero die a labore terreno „ ceſſandum eſt, atque omni modo orationibus inſiſtendum: ut ſi „ quid negligentiæ per ſex dies agitur, per diem reſurrectionis Do- „ minicæ precibus expietur".

Brunichildæ Francorum Reginæ, quæ conſtruxerat monaſteria ancillarum Dei in ſuburbano Auguſtodunenſi, & Xenodochium in eadem urbe, ſcribens (*a*) plura impartitur privilegia pro quiete & munitione illic degentium. Porro privilegia Xenodochio conceſſa leguntur in epiſtola (*b*) data Senatori Presbytero & Abbati ejuſdem Xenodochii, & privilegia monaſterio monialium conceſſa leguntur in epiſtola (*c*) ad Thalaſſiam Abbatiſſam. In quibus clauſula illa notanda eſt, qua dicit: „ Si quis vero Regum, Sacer- „ dotum, Judicum, atque ſecularium perſonarum, hanc conſtitu- „ tionis noſtræ paginam agnoſcens, contra eam venire tentaverit, „ poteſtatis, honoriſque ſui dignitate careat, reumque ſe judicio „ divino exiſtere, de perpetrata iniquitate cognoſcat. Et niſi vel „ ea, quæ ab illo male ablata ſunt, reſtituerit, vel digna pœni- „ tentia illicite acta defleverit, a ſacratiſſimo corpore ac ſanguine „ Dei & Domini noſtri Redemptoris Jeſu Chriſti alienus fiat, at- „ que in æterno examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat". Ob quam clauſulam ſeveriores quidam critici has epiſtolas vel ſpurias, vel interpolatas arbitrati ſunt. At immerito, cum in omnibus MSS. Codicibus legantur. Melius itaque verba illa interpretatur Mabillonius (*d*), ſcilicet eam non fuiſſe mentem Gregorii, ut deturbandi Reges poteſtas reſideret penes Pontifices Romanos, ſed formulam illam comminatoriam eſſe, non decretoriam, eodem modo intelligendam, quo aliæ complures, nempe ut Chartarum violatores interirent morte Antiochi conſumpti a vermibus. Mauritio Imperatore a Phoca immaniter interempto, ipſe Phoca Imperium arripuit, cum prius nonniſi Centurio, & ex Centurione poſtea Exarchus fuiſſet. Imperiale diadema aſſumpſit decimo Kal. Decembris anno 602. indictione ſexta. Ejus & Leontiæ Auguſtæ uxoris ejus imagines de more ad Urbem delatæ ſunt 7. Kal. Maji anno 603. Eas Senatus & Clerus conſuetis recepit acclamationibus, & juſſu S. Gregorii in Oratorio S. Cæſarii in Palatio appenſæ fuerunt. Huic itaque Auguſto pro ſua exaltatione gratulatoriam hanc dedit epiſtolam (*e*) dicens: „ Ali- „ quando cum miſericors Deus multorum corda ſua decrevit con- „ ſolatione refovere, unum ad regiminis culmen provehit, & per „ ejus miſericordiæ viſcera in cunctorum mentibus exultationis ſuæ „ gratiam infundit. De qua exultationis abundantia roborari

„ nos

(a) *Epiſt.* 6. (b) *Epiſt.* 8.
(c) *Epiſt.* 9. (d) *De Re dipl. lib.* 2. *p.* 106.
(e) *Epiſt.* 31.

„ nos citius credimus, qui benignitatem vestræ pietatis ad imperiale fastigium pervenisse gaudemus. *Lætentur cœli*, *& exultet* „ *terra* (*a*), & de vestris benignis actibus universus Reipublicæ „ populus nuncusque vehementer afflictus hilarescat". Illum deinde hortatur, ut comprimat superborum mentes, & relevet contritos & depressos animos. „ Cessent (subdit) testamentorum insidiæ, donationum gratiæ violenter exactæ. Redeat cunctis in „ rebus propriis secura possessio, ut sine timore habere se gaudeant, quæ non sunt eis fraudibus acquisita. Reformetur jam „ singulis sub jugo imperii pii libertas sua. Hoc namque inter „ Reges gentium & Reipublicæ Imperatores distat, quod Reges „ Gentium Domini servorum sunt; Imperatores vero Reipublicæ, „ domini liberorum". Ex qua epistola patet, D. Gregorio Mauritii regnum non omnino placuisse; & quidem non injuria: nam in multis S. Pontifici adversarius fuit Mauritius, nempe in controversia cum Joanne Constantinopolitano Œcumenici titulum sibi usurpante, in Maximi Salonitani ordinatione, in pace cum Longobardis ineunda; & præsertim quia Exarchos misit, qui impotentia sua & avaritia plura quam ipsi hostes damna Italis attulere. Quod etiam apparet ex alia epistola ad eumdem Augustum data, qui conquestus fuerat se Constantinopoli Pontificium Apocrisarium non reperisse, cui sic (*b*) respondet: „ Quod permanere in palatio, juxta antiquam consuetudinem apostolicæ Sedis Diaconum vestra Serenitas non invenit, non hoc meæ negligentiæ, sed gravissimæ „ necessitatis fuit; quia dum ministri omnes hujus nostræ Ecclesiæ „ tam contrita asperaque tempora cum formidine declinarent, atque refugerent, nulli eorum poterat imponi, ut ad urbem regiam in palatio permansurus accederet. Sed postquam vestram „ Clementiam, omnipotentis Dei gratia disponente, ad culmen „ imperii pervenisse cognoverunt, ipsi quoque suadente lætitia ad „ vestra vestigia venire festinant, qui prius illuc accedere valde timuerant". Addit propterea, se mittere Bonifacium Diaconum, „ quem sibi longa assiduitate compertum, vita, fide, ac „ moribus approbatum, aptum ad hoc munus judicavit . . . cui „ (subdit) rogo ut Serenitas vestra pias aures inclinare dignetur". Hinc quasi occasionem nactus, illum hortatur, ut auxilium Italiæ præbeat adversus Longobardorum incursiones (1). Ad

S.GREG. M.

Q 4 Leon-

(a) *Psal.* 95. 11. (b) *Epist.* 38.

(1) Non desunt audaces Critici, qui S. Gregorium arguunt; quippe qui de Mauritio iniquius, de Phoca adulatorie scripserit: sed immerito, quippe qui, ut diximus, Mauritium sibi in pluribus adversarium habebat: tum quia Phoca in ipsis sui Imperii primordiis clementiam in subditos & liberalitatem ostentabat, ficte quidem, & fraudulenter. At quantum postea futurus esset & impudicitiis obscœnus, & immanitate crudelis, divinare non poterat. Legatur historia Eccles. Eminent. Orsi italice scripta Tom. 21. lib. 46. n. 24.

S.GREG. M. Leontiam quoque Augustam epistolam dedit (*a*), qua de adepto gratulatur Imperio, illi spiritum veræ pietatis, clementiæ & religionis precatur, scribens: „ Det nobis in vestra pietate Pulche„ riæ Augustæ clementiam, quæ pro zelo catholicæ fidei in sancta „ Synodo Helena nova vocata est ". Exorat deinde, „ ut Ec„ clesiam beati Petri, quæ nuncusque gravibus insidiis laboravit, „ habere velit specialiter commendatam ". Cyriaco quoque Constantinopolitano Patriarchæ scribit, & quidem illi Bonifacium Diaconum ad Imperatorem missum commendat, sed præcipue hortatur, ut „ pacis studio prophanam elationem, quæ animabus sem„ per adversa est, cordis pede calcantes, perversi superbique vo„ cabuli scandalum (in titulo scilicet usurpando Patriarchæ Œcu„ menici) auferre de medio festinet: ne a pacis societate divisus „ possit inveniri ".

Bini Hispaniarum Episcopi, Januarius scilicet Episcopus Malacitanus, & alius Stephanus ignotæ Ecclesiæ Episcopus ad S. Gregorium confugerant conquesti, injuste & violenter se fuisse a suis Ecclesiis pulsos. Eapropter ad rectam causæ cognitionem Joannem defensorem delegat, qui judicium instituat, & quomodo judiscare debeat, instruit scribens (*b*): „ Si nulla contra Januarium „ Episcopum criminalis causa, quæ exilio, vel depositione di„ gna est, mota sive probata est, is qui eo superstite Episcopus „ perverse ac contra canones in Ecclesia ejus ordinari præsumpsit, „ Sacerdotio privatus, ab omni Ecclesiastico ministerio repellatur. „ Qui etiam eidem . . . Januario . . . tradendus est ut ab ipso „ in custodia habeatur, aut certe ab eo ad nos per omnia trans„ mittatur. Episcopi vero qui eum ordinaverunt, vel ordinationi „ ejus consentientes interfuerunt, in sex mensibus Dominici corpo„ ris & sanguinis communione privati, agere pœnitentiam decer„ nantur in monasterio ". Præterea illi quoddam Capitulare Legum Imperialium tradit pro immunitate Clericorum, ex quibus valeat dignoscere, quomodo in supradictis Episcoporum causis sit procedendum. Leges præcipuæ hæ recensentur. 1. Clericos a proprio Episcopo judicandos (*c*). Injuriam in Episcopum illi in propria Ecclesia irrogatam crimen esse capitale & publicum, & tamquam læsæ Majestatis habendum (*d*). 2. Nullum Episcopum invitum trahi posse ad judicem laicum, nec esse ab Episcopis alieni Concilii judicandum (*e*). Sed quia opponi poterat, præfatum Episcopum Stephanum non habere nec Patriarcham, nec Metropolitanum, per quos sit judicandus, respondet S. Gregorius a Sede apostolica, quæ omnium Ecclesiarum caput est, ejus causam fuisse audiendam,

(a) *Epist.* 39. (b) *Epist.* 45.
(c) *Ex Instit. Novel.* 123.
(d) *Cap. de Episc. & Cler. lit. Si quis. Et Cod. Theod. lib.* 16. *tit.* 2. *cap.* 41.
(e) *Ibidem.*

dam, & dirimendam, ficut ipfe petierat. 3. Non effe audiendos fervos adverfus Dominum fuum deponentes, proinde non debuiffe audiri in caufa Stephani teftes viliffimos contra eum deponentes (a). Denique exemplum exhibet fententiæ ferendæ in favorem Joannis Malacitani, proculdubio fi innocens compertus fuerit juxta modum & ordinem in alia epiftola conftitutum. S.GREG. M.

Complectitur hic poftremus liber epiftolas anni 603. & 604. incipientis, qui fuit poftremus Pontificatus S. Gregorii. In epiftola (b) ad Vitalem Defenforem Sardiniæ illum monet ad plura corrigenda in Januario Epifcopo; & primo quidem quod Sardiniæ Xenodochia fint ab ipfo & ob fimplicitatem & infirmitatem neglecta, jubet propterea ut Œconomum conftituat, qui eadem Xenodochia in periculum fuum folicite ac utiliter ftudeat ordinare. 2. Ne ex fola fua Ecclefia Clericos fumat qui ad Epifcopatum eligantur, fed fic convenit eum alias ordinare, ut Ecclefiæ fuæ de perfonis quæ in ea poffint proficere, neceffitatem non faciat. 3. Ne in Abbates eligantur qui cum adhuc in monachico & minori ordine conftituti effent, lapfi funt, & qui fufceperunt officium de vita & moribus ac folicitudine eorum magna cura gerenda fit. 4. Ipfum hortatur, ut quoties aliquam moleftiam fenferit, non procedat in facrificium offerendum in publico, ne ex hoc fe defpiciendum præbeat, & infirmorum animis fcandalum faciat. Siquidem laudatus Epifcopus talem aliquando patiebatur anguftiam, ut vix poft longa intervalla ad locum Canonis redire valeret quem reliquerat, atque ex hoc multos dubitare, fi communionem deberent de ejus confecratione recipere, quos tamen monet, ne ullo modo accipere pertimefcant, quia ægritudo perfonæ facri myfterii benedictionem nec mutat, nec polluit. Primus fuit, aut certe inter primos S. Gregorius qui partem illam liturgiæ, quæ Trifagion confequitur, *Canonem* abfolute vocavit, cum ante ipfum preces canonicæ dicerentur, ut conftat ex epiftola Vigilii Papæ ad Profuturum Epifcopum Bracharenfem. Liber decimus quartus.

Quanta cura & ftudio Epifcoporum ordinationes rite ac recte fieri curaret S. Gregorius, manifefte patet ex epiftola (c) ad quemdam ignotæ Ecclefiæ Epifcopum Joannem. In ea illi jubet, ut affumpto Armenio Vifitatore Ecclefiæ Anconitanæ, diligenter inquirat de vita ac moribus trium Clericorum qui ad Epifcopatum præfatæ Ecclefiæ Anconitanæ poftulati fuerunt. Et primo quidem de Florentino Archidiacono inquirat, num verum fit dictum de eo „ quia nunquam amicus domum ejus ingreffus eft . . . & utrum „ ex neceffitate, an ex tenacia talis fit, aut fi ita fenex fit, ut „ ad regendum non poffit affurgere: vel fi tactis facrofanctis Evan„ geliis . . . jusjurandum præbuerit, nunquam fe ad Epifcopatum „ accedere ". De Ruftico vero Diacono inquirat, num, ut dicitur, vigi-

(a) *Lib. 9. leg. Si quis, de iis qui accufare poffunt.*
(b) *Epift.* 21. (c) *Epift.* 11.

[redacted] vigilans quidem homo sit, sed Psalmos ignoret. De altero vero
S.GREG.M. Florentino Ravennatis Ecclesiæ Diacono scribit: „ Solicitum esse „ novimus, sed qualis sit interius, omnino nescimus, de quo ta- „ men si nullum sit crimen, quod obsistat, apud Episcopum ejus „ agi necesse est, ut ei debeat cessionem concedere: non tamen ex „ nostro mandato vel dicto, ne contra suam voluntatem eum cede- „ re videatur “.

Filium pepererat Theodelinda Longobardorum Regina, quem baptismate abluit in die sancto Paschæ 7. Idus Aprilis anni 603. & Adulouvaldi nomine donavit Secundus Abbas ipsi Reginæ ob pietatem acceptus carusque. Hac de re certiorem fecit S. Gregorium, cui simul scriptum misit ejusdem Abbatis Secundi de quinto Concilio rogans, ut illi respondere dignaretur. Reginæ itaque respondens (*a*) S. Pontifex, primo gratias illi agit, quia gaudii sui participem illum fecerit, nuntians omnipotentis Dei gratia filium sibi donatum, & quod magis est laudabile, catholicæ fidei sociatum. „ Nec enim (subdit) de christianitate vestra aliud creden- „ dum fuerat, nisi id vos studere, ut quem divino munere suscepi- „ stis, catholicæ rectitudinis auxilio muniretis: ut & Redemptor „ noster familiarem te suam famulam cognosceret, & Longobardo- „ rum genti novum Regem in timore suo feliciter enutriret .... „ quatenus sicut hic inter homines jam magnus est, sic quoque & „ bonis actibus ante Dei nostri oculos sit gloriosus “. De scriptis vero Secundi Abbatis dicit, ad ea se subtilius respondere debuisse, si ægritudo non obstitisset. „ Sed tanta (subdit) nos podagræ in- „ firmitas tenuit, ut non solum non dictare, sed etiam ad loquen- „ dum vix possemus assurgere, sicut & præsentium portitores lega- „ ti vestri cognoverunt .... Sed si omnipotente Deo disponente „ convaluero, ad cuncta quæ scripsit subtiliter respondebo. Eam „ tamen Synodum, quæ piæ memoriæ Justiniani tempore facta est, „ per latores præsentium transmisi, ut prædictus filius meus dile- „ ctissimus ipsam legens, agnoscat quia falsa sunt omnia, quæ con- „ tra Sedem apostolicam, vel catholicam Ecclesiam audierat. Ab- „ sit enim nos cujuslibet sensum hæretici recipere, vel a tomo „ sanctæ memoriæ Leonis prædecessoris nostri in aliquo deviare “. Denique epistolam claudit scribens, se dono mittere neonato regio infanti crucem cum ligno sanctæ crucis Domini, & lectionem sancti Evangelii theca Persica inclusam. Sorori vero ejus tres annulos mittere gemmatos, quæ eis per ipsam petit dari, ut apud eos communis caritas ex sua Excellentia condiatur. Serenissimo vero Regi conjugi gratias habeat pro pace data, & ad eam servandam imposterum per omnia provocet.

Messanæ Ecclesiæ Episcopus Felix tria exhibuit D. Gregorio postulata (*b*), nimirum 1. cur Augustino in Anglia Legato responderit

(a) *Epist.* 12.
(b) *Epist.* 16.

derit licere matrimonium celebrare conjunctis in quarto gradu, cum semper in Sicilia usque ad septimum originis gradum a sanctis Antecessoribus Episcopis, & a cæteris SS. Patribus, tam in Nicæna Synodo, quam & in aliis Conciliis congregatis fuerit prohibitum? 2. Num iterum consecrandæ sint Ecclesiæ, de quarum dedicatione dubitabatur, & tam propter antiquitatem quam & propter eorum custodum incuriam nesciebatur, utrum dedicatæ ab Episcopis fuerint? 3. Conquerebatur, in Sicilia Episcopos per sæculares & laicos nimis esse turbatos, atque animo afflictos super immoderatis actibus eorum pro quibus & aliqua injusta eis impingebantur. Ad primum itaque respondet (*a*), soli Anglorum genti, quæ nuper ad fidem venerat, specialiter, & non generaliter matrimonia in quarto gradu concessisse. „ Unde (subdit) „ mihi omnis Romana civitas extitit testis, neo ea intentione hæc „ illis scriptis mandavi, ut postquam firma radice in fide fuerint „ solidati, si infra propriam fuerint consanguinitatem inventi non „ separentur, aut infra affinitatis lineam, idest usque ad septimam „ generationem conjungantur .... nam juxta Apostolum qui ait: „ *Lac vobis potum dedi, non escam* (*b*), ista illis modo, non „ posteris .... temporibus tenenda indulsimus ". Ad alteram vero quæstionem de Ecclesiarum consecratione reponit: „ Vos recte „ tenere debetis quod ab antecessoribus nostris traditum accepimus; idest, ut quoties tam de baptismo aliquorum vel confir„ matione, quam de Ecclesiarum consecratione dubitatio habetur, „ & nec scriptis nec testibus ratio certa habetur utrum baptizati „ vel confirmati, sive Ecclesiæ consecratæ sint: ut baptizentur ta„ les ac confirmentur, atque Ecclesiæ canonice dedicentur, ne ta„ lis dubitatio ruina fidelibus fiat: quoniam non monstratur itera„ tum, quod non certis indiciis ostenditur rite peractum ". Ad tertium vero respondet „ quia a nullis vita Præsulum perturbari „ debet excessibus, quia valde indignum est, ut hi qui Throni „ Dei vocantur, aliqua motione a regibus vel subditis turbentur". Quod confirmat pluribus Scripturæ testimoniis: Psalm. 104. *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari*. Et Exodi 22. *Diis non detrahes, & populi tui Principi non maledices*. Addens: „ Valde prævidendum est subditis tam Clericis quam „ laicis, ne Episcoporum aut Præpositorum suorum vitam temere „ reprehendere audeant, si quid eos fortasse agere reprehensibiliter „ vident; ne unde mala redarguunt, inde per elationis impulsum „ in profundiora mergantur (1).

S. GREG. M.

Subse-

(a) *Epist.* 17. (b) 1. *Cor.* 3. 2.

(1) Nonnulli dubitarunt hanc epistolam esse S. Gregorii: verum ab eo scriptam evincit Joannes Diaconus, qui ejus ferme tertiam partem exscribit lib. 2. c. 37. Et de ipsa mentionem faciunt & Hincmarus epist. 37. & 59. & in tract. de divort. Lotharii Inter. 5. & 12. & Regino Abbas

S. GREG. M.

De Sacramentario S. Gregorii.

Subsequuntur Sacramentarium S. Gregorii, & alia ejus scripta pro divinorum Officiorum celebratione. Et quidem non ipse fuit huius generis scriptorum auctor, sed ante ipsum scripsere Summi Pontifices ejus Prædecessores, & præsertim Gelasius Papa, qui Orationes, & Præfationes rum a se, tum a suis Prædecessoribus compositas collegit in unum Sacramentarium, quod & Gelasianum dicitur in plures libros divisum. In hoc Sacramentario Gelasii ordinando laboravit D. Gregorius, in quo, ut testatur Jo. Diac. lib. 2. n. 27. nonnulla abstulit, plura adjecit, unde Sacramentarium novum emersit, sic dictum, quia preces in administratione Sacramentorum, & Missæ sacrificio celebrando dicendæ continentur. A Gelasiano discriminatur hocce Gregorianum Sacramentarium in numero præsertim & varietate Collectarum sive Orationum. Canoni enim Missæ nonnisi hæc adjunxit verba S. Gregorius, *dies quoque nostros in tua pace disponas*, quæ & modo in Liturgia recitamus. Immo totius Liturgiæ præsentis ritus ille omnino est, qui in hocce Sacramentario describitur, si præfationes excipias, quæ in majori numero inibi habentur, quam modo sint in usu; quas tamen recitamus, in ipso leguntur.

Sacramentarii Gregoriani distributio.

Porro Sacramentarium sic distribuitur. Primo ritus sive Ordo Missæ occurrit. Incipit ab Antiphona, quæ ab introitu Sacerdotis ad Altare hoc nomen accepit, & diversa erat pro diversitate temporum & Festorum. Omnes hæ antiphonæ cum initio psalmi subsequentis pro omnibus anni Dominicis, & Festis diebus habentur in Antiphonario S. Gregorii aptatæ mysterio vel solemnitati. Subsequitur Kyrie, & dicitur a Clericis, & a populo respondetur. Deinde Gloria in excelsis „ dicitur, si Episcopus fuerit, die Domi- „ nico, sive diebus festis: a Presbyteris autem minime dicitur nisi „ in solo Pascha. Quando vero Litania agitur, neque *Gloria in* „ *excelsis*, neque Alleluja canitur. Postmodum dicitur Oratio sive „ Collecta diei, quam sequitur epistola plerumque ex Apostolo „ desumpta. Item Graduale vel Alleluja. Postmodum legitur E- „ vangelium: deinde Offertorium, & dicitur Oratio super oblata. „ Qua completa dicit Sacerdos excelsa voce " Præfationem, quæ hymno Sanctus, Sanctus, Sanctus clauditur. Sequitur Canon Missæ idem plane qui modo recitatur. Quo completo subsequitur Dominica Oratio, & precatio pacis populo, & semel dicto Agnus Dei, Missa in hoc Sacramentario completur. Nulla in illo mentio Acolythorum, Diaconorum, Subdiaconorum, vel aliorum Ministrorum Papæ celebranti solemniter adstantium: recensentur tamen in Ordine Romano, eorumque ministeria pro die Paschatis sic in Ordine Romano describuntur.

Missa Pontificalis.

Imperator Augustus Romam in quatuordecim Regiones partitus fuerat

---

bas Prumiensis, qui floruit anno 900. in append. ad librum de Ecclesiasticis disciplinis, & alii. Reperitur etiam in pluribus MM. SS.; proinde illi merito a Maurinis tributa, qui eam Gregorio dignam judicarunt.

fuerat (*a*), at in Ecclesiastica divisione septenarium numerum non
superabant, in quo omnes colligebantur Ecclesiæ, & earum Cleri- S. Greg. M.
ci & Ministri, qui pro vicibus suis Pontifici inserviebant: incipie-
bant autem Ministerium in die Dominico Clerici tertiæ Regionis:
feria secunda sequebantur quartæ Regionis Clerici, & sic in reli-
quis diebus cæteri (*b*). „ Die itaque S. Paschæ Acolythi regionis
„ tertiæ, & Defensores omnium Regionum convenientes diluculo
„ in patriarchio Lateranensi præcedunt Pontificem pedestres ad sta-
„ tionem (quæ eo die est apud S. Mariam Majorem). Pontifex
„ vero equitat, & cum eo ob viæ longitudinem præcipui Ministri
„ Vicedominus, Vestararius, Nomenclator atque Sacellarius. Unus
„ autem ex Acolythis Stationariis præcedit pedester equum Ponti-
„ ficis gestans sanctum Chrisma manu & mappula involuta cum
„ ampulla. Alii Acolythi gestant Evangelia, Sindones, & Saccu-
„ los, & aquamanus patenam quotidianam, calicem, scyphos &
„ pugillares (idest fistulas ad hauriendum sanguinem Domini) &
„ cætera in ministerium adhibenda. Cum venerit Pontifex prope
„ Ecclesiam, exeunt Acolythi & Defensores ex regione illa cujus
„ dies ad officium fuerit. Cum Ecclesiam introierit.... intrat in
„ Sacrarium sustentatus a Diaconibus, qui eum suscipiunt de Sel-
„ lario descendentem. Ubi dum intraverit sedet in sella sua, &
„ Diaconi . . . . egrediuntur Secretarium, & ante fores ejusdem
„ mutant vestimenta sua, & parat Evangelium qui lecturus est
„ reserato sigillo.... quo facto Acolythus Evangelium usque ante
„ Altare in presbyterium defert . . . . Subdiacono sequente, qui
„ eum suscipiens honorifice super altare ponit. Pontifex autem per
„ manus Subdiaconorum regionariorum mutat vestimenta sua . . .
„ qui accipiunt ad induendum Pontificem ipsa vestimenta alius li-
„ neam, alius cingulum, alius anagolajum (idest amictum), a-
„ lius lineam dalmaticam, alius majorem dalmaticam, & alius
„ planetam.... Primicerius autem, & Secundicerius componunt
„ vestimenta ejus ut bene sedeant .... De Diaconibus, vel Sub-
„ diaconibus cui ipse jusserit sumit de manu Subdiaconi pallium &
„ induit super Pontificem . . . . Deinde Subdiaconus Regionarius
„ porrigit ei manipulum dicens: *Servi Domini mei talis Subdiaco-*
„ *nus regionarius legat Apostolum, & talis de Schola cantabit*...
„ Cum innuit Pontifex ut psallant, Subdiaconus statim egreditur
„ ante fores Secretarii, & dicit, *accendite*. Tunc illi elevantes se
„ per ordinem vadunt ante Altare.... & mox incipit Prior scho-
„ læ Antiphonam & Introitum quam sequebatur integer Psalmus,
„ cujus modo non nisi unus versiculus recitatur .... Tunc Ponti-
„ fex elevans se dat manum dexteram Archidiacono, & sinistram
„ secundo: tunc Subdiaconus sequens cum thymiamaterio procedit
„ ante ipsum, & septem Acolythi portant septem Cereostrata ac-
„ censa

(a) *Fleury Tom. 8. lib. 26. p. 180. E. G.*
(b) *Mabil. Comment. in Ord. Rom. Tom. 2. Musæi Ital. p. 3. & seq.*

S. GREG. M.

„ censa ante Pontificem usque ante Altare. Sed priusquam veniat „ ante altare, Diacones in Presbyterio exuuntur planetis . . . . & „ tunc duo Acolythi tenent capsas cum Sanctis (idest Eucharistia) „ apertas, & Subdiaconus sequens cum ipsis ostendit Sancto Pontifi- „ ci . . . . tunc inclinato capite Pontifex salutat Sancta, & con- „ templatur, ut si fuerit superabundans præcipiat, ut ponatur in „ conditorio . . . . Pertransit Pontifex, & inclinat caput ante alta- „ re . . . . & respiciens ad Priorem Scholæ annuit ei, ut dicat Glo- „ ria . . . . Diaconi surgunt . . . . ut salutent altaris latera . . . . & „ surgens Pontifex osculatur Evangelia, & altare, & accedit ad „ Sedem suam, & stat versus ad Orientem . . . . Schola vero, fi- „ nita antiphona imponit Kyrie eleison . . . . quando vero finierit, „ dirigens se Pontifex contra populum incipit: *Gloria in excelsis* „ *Deo*, & statim regirat se ad Orientem usque dum finiatur. Post „ hoc dirigens se iterum ad populum dicens: *Pax vobis*, & regi- „ rans se ad Orientem dicit *Oremus*, & sequitur Oratio: post fi- „ nitam sedet: similiter Episcopi, vel Presbyteri sedent statuentes „ se ad dexteram, sive ad sinistram altaris . . . . Subdiaconus vero „ qui lecturus est mox ut viderit post Pontificem Episcopos, &

Lectiones, & Oblationes.

„ Presbyteros residentes ascendit in ambone & legit “. Porro tres erant ambones, duo a dextris, unus pro epistola versus altare, a- lius pro legendis Prophetiis versus populum, a sinistris vero tertius ambon tantisper altior & ornatior pro evangelio cum duplici gra- du; uno pro ascensu, altero pro descensu. „ Lecta autem epistola „ Cantor cum cantatorio, idest Graduali vel Responso. Graduale „ appellatur ob gradus, Responsale, quia Chorus Cantori alter- „ natim respondebat. Diaconus deinde osculans pedes Pontificis, „ tacite dicit ei Pontifex: *Dominus sit in corde tuo & in labiis tuis* „ *&c.* Deinde venit ante altare, & osculatis Evangeliis, levat in „ manus suas codicem, & procedunt ante ipsum duo Subdiaconi „ regionarii levantes thymiamaterium . . . . & ante se habent duos „ Acolythos portantes duo Cereostrata . . . . Diaconus in loco le- „ ctionis ascendit ad legendum, & dum legit Evangelium vertitur „ ad meridiem, non ad aquilonem ubi fœminæ consistunt; hæ e- „ nim sejunctæ habitant a viris. Lecto Evangelio Subdiaconus „ recipit Evangelia, porrigit osculandum omnibus per ordinem „ graduum qui steterint. Et post hoc in capsa ponit Subdiaconus „ Evangelium, ut sigilletur. Post Evangelium nulla symboli men- „ tio, quia Romana Ecclesia non fuit aliquando ulla hæreseos fæce „ infecta. Si a Pontifice habenda erat concio, ut solebat S. Grego- „ rius, post Evangelium recitabatur. Dein dicto a Pontifice Domi- „ nus vobiscum, & Oremus, Diaconus pergit ad altare stante Acoly- „ tho cum calice & corporali super eum, & porrigit Diacono cor- „ porale quod ponit super altare a dextris, projecto capite altero „ ad Diaconum secundum ut extendat. Erat siquidem corpora- „ le magna quædam mappa, quæ totum amiciebat altare. Pontifex „ deinde descendit ad Senatorium tenente manum ejus dexteram „ Primicerio Notariorum, & Primicerio Defensorum sinistram, &

„ susci-

„ suscipit oblationes Principum per ordinem Archium (dignitatis „ scilicet). Oblatio vero erat panis & vinum, panis oblationem „ suscipit a Pontifice Subdiaconus regionarius, & porrigit alteri „ Subdiacono, qui ponit in Sindone quam tenent duo Acolythi. „ Archidiaconus vero suscipit ammulos & refundit in calicem ma„ jorem tenente eum Subdiacono quem sequitur cum scypho Aco„ lythus. Reliquas oblationes post Pontificem suscipit Episcopus „ hebdomadarius, & ipse manu sua mittit in Sindonem quæ eum „ sequitur. Similiter ascendens Pontifex in partem fœminarum, „ ordine quo supra, omnia explet. Similiter & Presbyteri, si ne„ cesse fuerit (ob populi multitudinem) post eum vel in Presbyte„ rio faciunt ". Panes vero oblati erant orbiculares; quamobrem illos appellat S. Gregorius Coronas; fiebant autem manibus offerentium, ut colligere est ex narratione Pauli Diaconi in vita S. Gregorii de quadam Matrona, quæ communionem accipiens de manu S. Pontificis dicentis de more: *Corpus D. N. J. C.* subrisit audiens dici Corpus Christi panem quem ipsa manu sua confecerat, cujus ut incredulitatem evinceret S. Gregorius (referente ipso Paulo) communionem (*a*) retraxit, & super altare posuit, & expleta communione populi, ipso ad Deum orante ostendit mulieri panis particulam in carnem & sanguinem mutatam. S.GREG. M.

„ Expleta oblatione populi Pontifex redit ad sedem suam, „ abluit manus suas, quod & facit Archidiaconus, qui annuen„ te Pontifice, oblata super altare componit, porrigentibus Sub„ diaconis, deinde sumit amulam Pontificis, & refundit super „ colum (ut mundum sit vinum) in calicem. Deinde descendit „ Subdiaconus accipere fontem (idest vas aquæ) & defert Archi„ diacono, & ille infundit faciens crucem in calice. Tunc sur„ gens Pontifex a Sede descendit ad altare, & salutat altare, & „ suscipit oblata de manu Presbyteri hebdomadarii, & Diacono„ rum. Deinde Archidiaconus suscipit oblata Pontificis de obla„ tionario, & dat Pontifici ". Ex quo patet tunc consuevisse omnes offerre, nimirum populum, Clerum, & ipsum Pontificem. Verum a pluribus sæculis desiit mos offerendi sacrificii materiam a populo. „ Postea levat calicem Archidiaconus de manu Subdia„ coni regionarii, & ponit eum super altare juxta oblatam Ponti„ ficis a dextris, involutis intus (calicis) cum Offertorio (velo „ scilicet), & stat post Pontificem. Schola tunc offertorium ca„ nit (idest Psalmum, aut Antiphonam) quo finito Pontifex in„ clinans se paulum ad altare orationes recitat, quas secretas dici„ mus, quia silenter dicuntur, quibus expletis subsequitur Præfa„ tio, quæ terminatur hymno angelico, idest Sanctus, Sanctus, „ Sanctus, & bis repetitur Osanna.

„ Surgit postea Pontifex & intrat in Canonem quem solus re„ citat stans erectus. Episcopi vero, Diaconi, Subdiaconi, & „ Pres- Canon Missæ & Communio.

(a) *In Vita n.* 23.

S. GREG. M.

„ Presbyteri permanent in presbyterio inclinati, non genuflexi, nam „ die Dominico non flectuntur genua “. Canon vero integer habetur in Sacramentario S. Gregorii, qui idem omnino est ac ille, quem modo recitamus cum iisdem crucis signis, iis dumtaxat exceptis, quæ porrigimus in principio Canonis ad illa verba: *Hæc dona, hæc munera, hæc sacrosancta sacrificia*, quæ tamen in aliquibus codicibus signanda dicuntur. „ Post consecrationem in Ordine Romano „ in altum a Sacerdote hostia, itemque calix elevanda non præ- „ scribuntur. Sed cum diceret Sacerdos: *Per quem hæc omnia* „ *&c.* erigebat se Archidiaconus solus, & cum diceretur: *Per i-* „ *psum, & cum ipso*, levabat cum offertorio calicem per ansas, „ & tenebat exaltans illum juxta Pontificem: Pontifex autem tan- „ git a latere calicem cum oblatis, & ponit Pontifex oblationes in „ loco suo. Sub Canonis initium Acolythus habens sindonem in „ collo ligatam accipit patenam tenens eam ante pectus suum in „ parte dextera, quam, finito Canone, accipit Subdiaconus regio- „ narius, & ea osculata dat tenendam Diacono secundo. Cum ve- „ ro dixerit *Pax Domini sit semper vobiscum* faciens crucem tribus „ vicibus manum suam super calicem mittit Sancta in eum, illa „ videlicet in præcedenti die consecrata, & pro sequenti reserva- „ ta, quam ut vidimus in principio Missæ duo Acolythi tene- „ bant, & Subdiaconus ostenderat Pontifici. Dein Archidiaco- „ nus pacem dat Episcopo priori, deinde cæteris per ordinem & „ populo “. Porro fractio hostiæ oblatæ & consecratæ hoc modo fiebat. Pontifex frangebat oblatam ex latere dextero, & particulam quam rumpebat super altare relinquebat; reliquas vero oblationes suas ponebat in patena quam tenebat Diaconus, & ad suam sedem redibat . . . Archidiaconus vero levabat calicem, & dabat eum Subdiacono regionario qui tenebat illum juxta cornu altaris dexterum, & deinde oblata accipiebat, ea ponens in sacculis quæ portabantur ab Acolythis, qui ea deferebant frangenda ad Episcopos & Presbyteros. At duo Subdiaconi Regionarii patenam deferebant oblata Pontificis continentem, quæ a Diaconibus, annuente Pontifice, frangebantur. Archidiaconus vero evacuato Altare oblationibus, præter particulam quam Pontifex de propria oblatione confractam reliquerat (ut dum Missarum solemnia peraguntur, altare sine sacrificio non sit) annuebat Scholæ ut diceret *Agnus Dei*. Expleta autem confractione, Diaconus minor levata de Subdiacono patena deferebat ad Sedem, ut communi- „ caret Pontifex. Qui dum communicaverit stans & conversus ad Orientem, de ipsa Sancta quam momorderat ponit in manus Archidiaconi (qui eam in calicem mittebat) dicendo: *Fiat commixtio & consecratio &c.* unde duplex fiebat commixtio, una ante *Agnus Dei* de priori sacrificio, alia post communionem Pontificis ex præsenti. Deinde venit Archidiaconus cum calice ad cornu altaris, & Pontifex communicabat, qua communione absoluta, Archidiaconus futuram stationem annuntiabat, & refundebat parum de calice seu de sanguine consecrato in scyphum quem tenebat Acolythus,

thus, non tamen semper, sed solum quando advertebant Ministri non suffecturum sanguinem purum omnibus communicaturis (*a*). Mox accedebant Episcopi & Presbyteri, ut a Pontifice communionem acciperent, utrosque Archidiaconos sangüine Dominico confirmabat, idest communicabat. Episcopus vero sequentes ordines, Diaconos videlicet, Subdiaconos, & inferiores Clericos communicabat. Qua expleta communione, Archidiaconus recepto de manu Episcopi calice reliquum sanguinis infundebat in scyphum Acolythi, cujus mox meminimus, aut certe in calicem majorem in quo pariter vinum ex oblatione contentum erat, tunc Pontifex e sede descendebat in Senatorium, ubi Magnates Eucharistia reficiebat, & in adversam partem ubi Matronæ consistebant, eis communionem præbiturus subsequente Archidiacono cum scypho prædicto ad utrosque communicandos, seu voce adhibita in Ordine Romano *confirmandos*. Interim Episcopi & Presbyteri, annuente Primicerio, populum hinc inde participem communionis faciebant, Diaconis ex scypho confirmantibus. Mox ut Pontifex cœpit in Senatorio communicare, statim schola incipit antiphonam ad communionem per vicem cum Subdiaconis, & psallunt usque dum communicetur omnis populus. Redibat deinde Pontifex ad sedem suam, & communicabat regionarios per ordinem, & illos qui in filo steterunt, idest ei ministraverunt: deinde contemplans populum, si jam omnes communicati essent, annuebat ut diceret schola, *Gloria Patri*, & tunc repetita antiphona quiescebat. Hæ antiphonæ, sicut & psalmi, in S. Gregorii Sacramentario habentur: modo vero antiphona quidem dicitur, at psalmi omittuntur. S.GREG. M.

„ Finita antiphona surgit Pontifex cum Archidiacono, & ve- Missæ finis.
„ niens ante altare dicit *Dominus vobiscum*, non tamen ad popu-
„ lum convertens, & dicit Orationem ad complendum (quæ ora-
„ tio nunc dicitur Postcommunio) directus ad Orientem". Hæ orationes in præfato Sacramentario duplicatæ habentur ad mutationem. „ Finita vero oratione cui præceperit Archidiaconus de Dia-
„ conibus, aspicit ad Pontificem, ut ei innuat, & dicat ad po-
„ pulum: Ite Missa est, respondent, Deo Gratias. Tunc septem
„ Cerostrates præcedunt Pontificem, & Subdiaconus regionarius
„ cum thuribulo ad Secretarium. Descendente autem illo in Pres-
„ byterium, Episcopi primum dicunt: *Jube Domne benedicere*.
„ Resp. *Benedicat nos Dominus*. Resp. *Amen*. Post Episcopos Pres-
„ byteri, deinde Monachi, deinde schola, & reliqui omnes bene-
„ dictionem petentes eo modo accipiunt". Et hæc est unica benedictio quæ in hoc Ordine assignatur. Nullus habetur liber de ritibus Ecclesiæ Romanæ antiquior hoc Ordine, & merito a quibusdam revocatur ad tempora vel Gelasii Pontificis, vel saltem S. Gregorii (*b*), licet aliqua illi addita fuisse subsequentibus tempori-

(a) *Mabil. Com. præc. c.* 51. *&* 93.
(b) *Mabil. Com. præc. p.* 8.

[redacted] S. GREG. M.

bus non inficiamur. Et certe octavo sæculo obtinuisse testis est Amalarius, qui libellos de ordine Romano passim laudat, eosque commentatus est. Ne vero ad tempora Innocentii illum referamus obstat, quod in eo nulla fit mentio de fermento ad Urbis titulos mittendo ex præscripto ejusdem Pontificis (*a*), tametsi Eucharistia ipsa fermenti nomine donetur, & in præfato Ordine Romano. Mos vero deferendi Eucharistiam in vase ante Pontificem ad Altare celebraturum procedentem pariter antiquissimus est, ut patet ex vetustiore Liturgia S. Germano Parisiensi Episcopo, qui obiit anno 576. tributa, ubi indicitur, ut ante oblationem panis & vini (*b*) deferatur Eucharistia super altare in vase ad formam Turris composito. Præter hunc Ordinem Romanum Mabillonius alios quatuordecim enumerat, & exponit a diversis auctoribus collectos, & diversis temporibus usurpatos. Postremus Petri Amelii describit ritum divinorum Officiorum usurpatum temporibus Bonifacii VIII. idest circa annum 1390.

Sed ad Sacramentarium S. Gregorii revertentes, Missæ Pontificalis Ritum & Ordinem subsequuntur Orationes, seu Collectæ per totum annum dicendæ, nec non Præfationes peculiares quasi pro qualibet Missa. Nunc non nisi novem usurpamus. Primo igitur loco ponitur Missa in Vigilia Nativitatis Domini. Très sequuntur pro ipso die Natalis; tres enim eo die dici, & tunc consueverat, sed in diversis Ecclesiis. Leguntur & Missæ propriæ pro diebus festis S. Stephani, S. Joannis Evangelistæ, SS. Innocentum, & Sylvestri. Subsequuntur Missæ in die octava Nativitatis Domini, in Dominica post Nativitatem, in Epiphania, & ejus die octava, & in sequentibus quoque Dominicis, nec non in Festis diebus S. Felicis, & S. Marcelli Papæ. Nec solum Missæ propriæ assignantur pro omnibus Dominicis totius anni, verum & pro omnibus Quadragesimæ diebus, nec feria quinta excepta, pro qua nulla habebatur Missa in Sacramentario Gelasii. In feria quarta majoris hæbdomadæ Officium incipiebat hora tertia, idest nona matutina. Recitabantur Orationes solemnes & Sacerdotales pro omnibus Ordinibus, & cœtibus, ut modo fit, in feria sexta in Parasceve eodem ordine & iisdem genuflexionibus. Qui tamen ritus non in omnibus Sacramentariis S. Gregorii legitur, sed solum in uno Codice Vaticano. In Sacramentario vero præscribitur, n in octava Oratione, quæ est pro perfidis Judæis, genuflectatur, cujus ritus hanc affert congruentiam Alcuinus, quia scilicet Judæi ad Christi irrisionem genuflexerint (*c*). Quo officio expleto Sacerdos osculabatur Altare, & ab Ecclesia recedebat non reversur nisi hora octava, idest secunda pomeridiana, & tunc legebatur M sa. Feria vero quinta Missa habebatur hora tertia, nona scilic matu-

(a) *Epist. ad Decent. n.* 22.
(b) *Mart. Tom.* 5. *Anecd. p.* 95.
(c) *In notis ad hunc locum.*

matutina. In ea completo Canone ante Orationem Dominicalem [redacted] incipiebatur Oleorum sacrorum benedictio, quæ post Communionem complebatur. Qua completa benedictione, populus communicabat. Feria sexta in Parasceve idem plane ritus scribitur qui & modo servatur, sicut & ille Sabbati Sancti, & in vigilia Pentecostes. Tres assignantur Missæ in tribus diebus Ascensionem Domini præcedentibus, & major in eis habetur Orationum, sive Collectarum numerus, quam in aliis Missis, sicut & in Sabbato Quatuor temporum. Subsequitur Missa in Dominica Octavæ Pentecostes, deinde illæ omnium Sanctorum in Romano Kalendario signatorum a prima Junii usque ad 21. decembris. Nec omittuntur Missæ propriæ in Vigilia & Festo Assumptionis B. Virginis, & pro aliis vigiliis & festis, nec non habetur Commune Martyrum, Confessorum, & Virginum; pro consecratione Monialis & Abbatissæ. Viginti sex recensentur pro Dominicis post Pentecosten, & quinque pro Dominicis Adventus. Subsequuntur Orationes sive Collectæ pro singulis diebus Adventus & matutinæ & vespertinæ. Plures Missæ votivæ pro omnibus necessitatibus, & variis personarum cœtibus. Præscribuntur & recensentur ritus pro Ordinibus omnibus ab Ostiariatu usque ad Episcopatum. Ritus quoque dandæ extremæ unctionis, nec non benedictionis aquæ, novæ Domus, novorum fructuum, & Missæ etiam pro Defunctis Episcopis, Presbyteris, & popularibus, & pro tertia & septima die, ac anniversario depositionis. S.Greg. M.

Genuinum vero esse hocce Sacramentarium S. Gregorii fœtum, ostendit epistola Hadriani Papæ ad Carolum Magnum, qui ab eo sibi postulaverat per Petrum Grammaticum S. Gregorii Sacramentarium, cui sic scribit: „ De Sacramentario a sancto Prædecessore „ nostro Deifluo Gregorio Papa disposito, jam pridem Paulus Gram„ maticus a nobis eum pro vobis petiit, ut secundum sanctæ no„ stræ Ecclesiæ traditionem per Joannem Monachum Abbatem... „ vestræ commisimus Excellentiæ “. Titulus vero ejusdem libri in ipso Codice ad Carolum misso ita se habebat: *In nomine Domini. Incipit liber Sacramentorum de circulo anni expositus a S. Gregorio Papa Romano editus.* Quem titulum legisse se refert doctissimus Lambecius in Codice Bibliothecæ Cæsareæ pertinente ad Carolum Magnum.

Nec solum Ritus observandos, & orationes recitandas in administratione Sacramentorum, & præcipue Eucharistiæ ordinavit, & descripsit, sed etiam Ecclesiasticum cantum reformavit. Antiphonarium itaque digessit, ubi omnia colliguntur quæ erant in Missis cantanda, Introitus, Graduale, Offertorium, & Postcommunio. Extabat ante S. Gregorii Pontificatum, ut colligere est ex Joanne Diacono, Antiphonarium in usum Ecclesiæ. Hoc S. Pontifex & melius ordinavit sive corrigendo, sive reformando antiphonas visas sibi minus aptas, nec non ex gravioribus musicæ regulis ad accuratiorem harmoniam & modulationem revocando: erat siquidem Musicæ peritus. Ideo & scholam Cantorum constituit, eique cum

R 2 non-

S. GREG. M.

nonnullis prædiis duo habitacula, alterum sub gradibus Basilicæ beati Petri Apostoli, alterum vero sub Lateranensis Patriarchii domibus fabricavit, ubi usque hodie lectus ejus, in quo recumbens modulabatur (nam propter podagram aliasque infirmitates stare non poterat) & flagellum ipsius, quo pueris minabatur veneratione congruum, cum antiphonario authentico reservatur. Ita scribit Joannes Diaconus (*a*). Immo cantus modulatio a S. Gregorio in suo antiphonario instituta in pluribus Occidentis provinciis fuit adoptata. Unde teste eodem Diacono (*b*), Augustino Britanniam adeunte per Occidentem quoque Romanæ institutionis Cantores dispersi barbaros insigniter docuerunt. Quibus defunctis Occidentales Ecclesiæ susceptum modulationis organum vitiaverunt. Ideo Carolus Rex Francorum dissonantia Romani & Gallicani cantus offensus .... duos suos industrios Clericos Hadriano tunc Episcopo Romæ reliquit, quibus tandem satis eleganter instructis Metensem Metropolim ad suavitatem modulationis pristinæ revocavit, & per illam totam Galliam suam correxit. Licet vero S. Gregorii antiphonarium quidquid in Missa cantari solet complectatur, nomen tamen antiphonarii restituit, ex illa antiphona, quæ Introitum Missæ, ut modo appellatur, constituit. Cæterum antiphonæ omnes, sicut & Graduales, Offertoria, & Postcommuniones quæ modo usurpantur, eædem plane sunt, quæ in S. Gregorii Antiphonario leguntur. Incipit vero præfatum antiphonarium a prima adventus Dominica, & desinit in vigesima tertia post Pentecosten.

Alia Opera D. Gregorii dubia.

Hæc quidem sunt genuina omnia S. Gregorii Opera: extant tamen & alia, quæ vel dubia, vel incerta, vel ut spuria habentur; proinde in calcem Editionum amandata, de quibus pauca præloqui operæ pretium duco ad Lectorum eruditionem & utilitatem. Hæc autem sunt Opuscula, 1. Variæ expositiones in librum 1. Regum. 2. Expositio super Cantica Canticorum. 3. Expositio in septem Psalmos Pœnitentiales. 4. Concordia quorumdam locorum Sacræ Scripturæ per interrogationes & responsiones.

Expositio in lib. 1. Regum.

Primum opusculum expositiones complectens in lib. 1. Regum a censu genuinorum Operum S. Gregorii absolute expungendum censuit Petrus Gussanvillæus; illud tamen in editione a se curata sub nomine S. Pontificis retinuit; immo fatetur candide dignissimum esse Gregorio, quamobrem scribit: „Utinam tam pium, tam sanctum „ opus S. Gregorio vindicare possemus salva veritate"! Ex opposito alii viri eruditi, Gregorium pro vero indubitatoque ipsius opusculi auctore habendum esse constanter affirmant. Huic opinioni favent quamplurimi eruditi viri nedum Catholici, sed & Heterodoxi, qui Operum S. Gregorii catalogum texuerunt, ut videre est apud Gulielmum Cave in historia literaria Scriptorum Ecclesiasti-

(a) *Lib. 2. n. 6.*
(b) *Num. 8. 9.*

siasticorum. Alii denique media via incedentes arbitrantur, laudatum Commentarium ex homiliis a S. Gregorio habitis de lib. 1. Regum collectum fuisse, & consarcinatum a Claudio ejus discipulo, postea Monasterii Classensis Abbate. Hanc amplectuntur sententiam plerique Viri docti, inter quos Thomasinus (a), & Dupinius (b). Et certe valido hæc opinio confirmatur argumento, testimonio scilicet ejusdem S. Gregorii, qui epistola 24. Joanni Subdiacono data (c) sic scribit: „ Carissimus quondam Filius meus „ Claudius aliqua me loquente de Proverbiis, de Canticis Canticorum, de Prophetis, de libris quoque Regum, & de Heptateucho audierat, quæ ego scripto tradere præ infirmitate non potui, ipse ea suo sensu dictavit, ne oblivione deperirent, ut apto „ tempore hæc eadem mihi inferret, & emendatius dictarentur. „ Quæ cum mihi legisset, inveni dictorum meorum sensum valde „ inutilius fuisse permutatum. Unde necesse est, ut tua Experientia omni excusatione atque mora cessante, ad ejus monasterium „ accedat, convenire fratres faciat, & sub omni veritate quantascumque de diversis Scripturis chartulas detulit, ad medium deducant: quas tu suscipe, & mihi celerrime transmitte ". Ex his liquet S. Gregorium aliqua ex libris Regum, non scripto, sed viva voce exposuisse; Claudium ea tum excepisse, tum digessisse, sed non ubique Magistri sui sensum assecutum esse, immo nec stylum; quamobrem S. Doctorem, ne ea in lucem prodirent, obstitisse, & ad se deferenda exemplaria curasse, ut per otium ab ipso emendarentur; quam tamen emendationem Gregorius tot morbis afflictus, tot distractus, & cruciatus curis & solicitudinibus perficere non potuit: unde ejus consilium fuit illud perpetuis tenebris opprimere. Hanc expositionem voce tradidit, non quidem homiliis ad populum habitis, ut putat Gussanvillæus, sed, ut melius censent Maurini Editores, sermonibus ad Monachos sibi subditos, cum post reditum ex urbe regia majori otio in Monasterio frueretur. S. Greg. M.

Alterum Opusculum complectens Expositionem Cantici Canticorum D. Gregorio tribuendum esse, nemo inficiari potest, cum ex superius allato ipsius S. Pontificis testimonio constet plura locutum de Canticis Canticorum: propterea ipsi S. Doctori illud attribuunt S. Ildephonsus Toletanus, qui sexaginta solum annis Gregorio junior fuit, immo & S. Paterius ipsius S. Gregorii discipulus, & S. Columbanus Abbas, nec non Joannes Trithemius. Verum cum & hanc expositionem Claudius Abbas exceperit, & digesserit, mirum non est si & a stylo Gregoriano discrepans inveniatur, & plura in eo habeantur minus recte exposita, sed ab ipso Claudio ob memoriæ Expositio Cantici Canticorum.

(a) *Discipl. Eccles. part. 2. lib. 2. c. 28. n. 2.*
(b) *Tom. 4. sæcul. 6. in Gregorio M.*
(c) *Lib. 12. indict. 5. epist. 24.*

S. GREG. M. moriæ lapsum suppleta, eapropter a S. Gregorio minime pro suo agnitum & adprobatum. Ita quidem senserant Monachi Editores in sua Præfatione.

Expositio in septem Psalmos Pœnitentiales. Hanc quoque expositionem S. Gregorio non indignam fatentur omnes eruditi viri; quamobrem tamquam ejus legitimum fœtum agnoverunt omnes Operum S. Doctoris Editores postquam Bertho Remboldus e tenebris erutam in lucem edidit anno 1512. uno excepto Gussanvillæo, qui inter spuria amandavit. Et revera antiquorum silentium, immo & ipsius Gregorii, qui inter opera sua a Claudio excepta, & inemendate exarata hanc expositionem minime recenset, dubitationi locum relinquit, præter nonnulla de simonia & persecutione Ecclesiæ dicta, quæ S. Gregorii temporibus minime congruere videntur. Fatendum tamen nonnulla reperiri a S. Paterio relata, quæ credi possunt ex hoc Commentario deprompta.

Concordia Testimoniorum S. Scripturæ. Opusculum denique de concordia quorumdam testimoniorum sacræ Scripturæ in paucissimis antiquioribus Codicibus extat. Non enim repertum fuit nisi in uno Codice majoris monasterii prope Turones, & in alio Vaticanæ Bibliothecæ. Tertii quoque Codicis extantis in Bibliotheca Collegii Lucemburgici meminit Alexander Wilthemius in epistola ad Sirmondum data, & extat inter ejusdem Sirmondi opuscula. Joannes quoque Gillotius in sua editione anni 1681. Parisiensi Operum S. Gregorii scribit se reperisse hunc librum in exemplari quodam pervetusto Bibliothecæ D. Dionysii; immo addit se minime dubitare esse Gregorii, non tantum quia ejus habeat nomen, sed etiam quia stylus facilis, popularis, simplex illius est, & mens ipsa atque sententia tota Gregorii; proinde merito addit, „ quod (a) si de Auctore dubitaremus, dignum „ tamen judicaremus, ut in lucem ederetur, quod tam exiguo vo„ lumine tam multam doctrinam contineat.

Editoris Veneti sententia exponitur. Verum de hisce Operibus aliter sentit eruditus Gallicciolli in sua Veneta Editione in Præfatione Maurinam subsequente. Putat siquidem ex epistola S. Gregorii ad Joannem Subdiaconum colligi non posse S. Pontificem prolixiorem habuisse explanationem, sive in primum librum Regum, sive in Cantica, cum exaratas a Claudio Monacho collectiones, *aliqua & chartulas* appellat, quæ nomenclatura profecto convenire minime posse videtur editis Commentariis, *quæ & plurima continent & plurimo elaborata sunt ingenio*. Verum hoc non contentus argumento, quod infringi potest dicendo, ideo *aliqua*, & *chartulas* a Gregorio dicta, non ob tenuitatem, sed ob contemptum Operis, & fortasse etiam ex modestia, addit aliud, non potuisse scilicet præfata Commentaria a S. Pontifice recenseri, & corrigi ob breve quod decurrit tempus ab acceptione chartarum ad ejus obitum, præsertim si attendantur curæ,

(a) *In Præfat. ad hunc lib.*

curæ, afflictiones, & infirmitates quibus postremis duobus vitæ annis distentus fuit. At hoc quoque argumento non valde Maurini Editores premi videntur, cum sponte fateantur in sua Præfatione, *Gregorio tot morbis afflicto, tot distracto, & cruciato curis, vix integrum fuisse Opus tantæ molis recognoscere, & ad incudem revocare*, & eapropter non negant plura reperiri in illis Commentariis, quæ a doctrina & mente S. Gregorii dissonant. Deinde elevare studet testimonia a Maurinis allata S. Ildephonsi, S. Isidori, S. Columbani, ostendens ea nimis infirma esse, ut persuadere possint, cum de S. Ildephonso ipsi Maurini Editores in præfatione ad epistolas dixerint, *ipsum fuisse in lectione Operum S. Gregorii prorsus peregrinum*. S. vero Isidorus licet amicus, & suppar S. Pontifici de hisce Commentariis nec verbum habet, cum solum dicat libros morales scripsisse, & ipsam Evangeliorum expositionem sibi ignotam fateatur. S. autem Columbanus a D. Gregorio solum postulavit, ut partem illam Canticorum: *Ibo ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*, usque ad finem vel alienis, vel suis sententiis exponeret, quod num præstiterit, ex S. Columbano non constat. Inscriptionem quoque nominis S. Gregorii pluribus codicibus præfixam hisce Commentariis non evincere, cum certo etiam minime genuinis Operibus præfixa legatur. Auctoritatem vero S. Paterii elevat ostendens, secundam & tertiam partem Operis S. Paterio tributi non esse ejusdem genuinum fœtum, ut ex ipso Gallicciollio dicemus postea, immo addit ex ipso Paterio colligi posse S. Gregorium numquam Commentaria in Cantica Canticorum elucubrasse. Quamobrem concludit S. Gregorium nonnulla quidem sive in libros Regum, sive in Cantica fuisse proloquutum, quæ Claudius temere satis amplificavit & evulgavit: Commentarios autem, ut hodie habemus, S. Gregorium nunquam edidisse, sed solum quosdam viros ex acceptis fortasse quibusdam memorialibus chartulis, maxime autem ex auditu, vel assidua lectione Operum S. Doctoris hujusmodi Commentarios sibi confinxisse, & ejus nomine inscripsisse, quam assertionem late probat pluribus argumentis in laudata præfatione legendis. S. Greg. M.

S. Gregorii Operibus in omnibus editionibus additur S. Paterii Expositio Veteris & Novi Testamenti, & non immerito. Fuit siquidem S. Paterius S. Gregorii discipulus, & habitus velut alter S. Gregorius, a quo constitutus est Ecclesiæ Romanæ Notarius, & Secundicerius, ut constat ex Joanne Diacono lib. II. c. II. In suo vero Opere collegit S. Paterius omnia divinæ Scripturæ testimonia, per quæ Gregorius obscura suæ Expositionis dilucidavit, & in tres libros rem totam ita divisit, ut duo Testimonia Veteris Testamenti, & unus Testimonia novi Testamenti complecterentur. Et prima quidem pars publicam lucem aspexit anno 1553. complectens plura testimonia veteris Testamenti, quæ subinde sæpius recusa fuit duabus aliis partibus in Bibliothecis sordescentibus, & latentibus, quas tamen postea se reperisse arbitrati sunt Maurini S. Paterii Opera.

S. GREG. M. Editores in antiquioribus Codicibus. Verum genuina non esse ipsius Paterii Opera ostendit laudatus Gallicciollius in sua Veneta Editione non contemnendis rationibus apud ipsum legendis.

ARTICULUS TERTIUS.

Præcipua D. Gregorii documenta, dogmata, mores & disciplinam spectantia.

De Sacra Scriptura, ejusque divina inspiratione. PRÆFATIONE in librum Job docet, „ supervacue (*a*) requiri, quis fuerit auctor libri Job: cum auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur. Ipse igitur hæc scripsit, qui scribenda dictavit. Ipse scripsit, qui & in illius opere inspirator existit, & per scribentis vocem imitanda ad nos ejus facta transmisit ".

De Prophetarum inspiratione. Monet tamen non omnia quæ a Prophetis dicuntur, semper esse illis a Deo inspirata; nam scribit (*b*): „ Aliquando Prophetæ sancti dum consuluntur, ex magno usu prophetandi, quædam ex suo spiritu proferunt, & se hæc ex prophetiæ spiritu dicere suspicantur; sed quia Sancti sunt, per S. Spiritum citius correcti ab eo quæ vera sunt, audiunt, & semetipsos quia falsa dixerint, reprehendunt ". Quod confirmat exemplo Nathan, „ qui David Regem de culpa aperte reprehendit, & quæ ei pro culpa eadem essent ventura, nuntiavit; quem tamen dum idem David quia templum Dei vellet construere, requisisset, illico respondit: (*c*) *Omne quod est in corde tuo, vade & fac, quia Dominus tecum est;* qui tamen postmodum per Prophetæ spiritum edoctus, hoc fieri non posse denuntians & regis consiliis, & suis sermonibus contradixit ".

De libris Canonicis. Sacræ Scripturæ libros eo nomine designat quod in Bibliis nostris obtinent, excepto tamen Ecclesiastici Libro, quem sub *cujusdam Sapientis* titulo allegat (*d*). De libris vero Machabæorum sic scribit (*e*): „ Non inordinate agimus, si ex libris, licet non canonicis, sed tamen ad ædificationem Ecclesiæ editis, „ testi-

(a) *Præf. in lib. Job. Edit. Maur. Tom.* 1. *Edit. Venet. Tom.* 1. *n.* 2. *pag.* 7.

(b) *Homil.* 1. *in Ezech. n.* 16. *Edit. Maur. Tom.* 1. *Edit. Venet. Tom.* 4. *pag.* 132.

(c) 2. *Reg.* 7.

(d) *In Job lib.* 11. *c.* 14. *n.* 65. *Edit. Maur. Tom.* 1. *Edit. Venet. Tom.* 2.

(e) *Ibid. lib.* 19. *c.* 29. *n.* 34.

S. GREG. M.

„ testimonium proferamus. Eleazar namque in prælio elephan-
„ tem feriens stravit, sed sub ipso, quem extinxit (*a*), occu-
„ buit (1)". Epistolas quindecim D. Paulum scripsisse dicit, sed sanctam tamen Ecclesiam non amplius quam quatuordecim tenere (*b*): ex quo videtur, S. Pontificem quintamdecimam epistolam ad Laodicenses scriptam admisisse, licet probabilius sit, epistolam, quæ ad Ephesios inscribitur, etiam ad Laodicenses missam fuisse, & alios finitimos populos, quorum Metropolis erat Ephesus, quemadmodum secunda ad Corinthios scripta, *omnibus etiam Sanctis qui erant in Achaja*, cujus Metropolis Corinthus, dirigitur, ut ex ejus inscriptione liquet. De epistola vero S. Petri secunda scribit (*c*): „ Fuerunt quidam, qui secundam Petri epistolam, in qua
„ Pauli epistolæ laudatæ sunt, ejus dicerent non fuisse. Sed si ejus-
„ dem epistolæ verba pensare voluissent, longe aliter scribere po-
„ tuerant. In ea quippe scriptum est, *hanc vocem nos audivimus*
„ *cum essemus cum ipso in monte sancto* .... Petrus Apostolus in
„ monte (Thabor) cum Domino stetit. Ipse ergo hanc epistolam
„ scripsit, qui hanc vocem in monte de Domino audivit". Putat etiam Mariam Magdalenam Lazari sororem (*d*) quæ sedebat ad pedes Jesu, verbumque de ore illius audiebat, eamdem esse mulierem, quæ fuerat in civitate peccatrix. Adolescentem (*e*) vero illum qui in Christi captura sequebatur amictus sindone, qua relicta profugit a militibus illum capere volentibus, putat fuisse Joannem Apostolum, cui stanti ad Crucis pedes, dixit Christus: *Ecce Mater tua*. Dicit (*f*) Petrum in Judæa, Andream in Achaja, Joannem in Asia, Thomam in India Evangelium prædicasse. Pro certo habet Cepham a D. Paulo reprehensum non alium esse a Petro Apostolorum Principe, & nonnullos aliter sentientes sic refellit (*g*): „ Si Pauli studiosius verba legissent, ista non dicerent.
„ Dicturus enim Paulus: *Cum venisset Petrus Antiochiam, ei in*
„ *faciem restiti* (*h*), ut de quo Petro loqueretur ostenderet, in ipso
„ suæ narrationis initio præmisit: *Creditum est mihi Evangelium*
„ *præputii, sicut Petro circumcisionis*..... Patet ergo de quo Pe-
„ tro Paulus loquitur, quem & Apostolum nominat, & præfuisse
„ Evan-

(a) *Machab.* 1. *c.* 6. *v.* 46.

(1) Non canonicos appellat S. Gregorius Machabæorum libros, quia non sunt canoni Hebræorum inserti, utpote non hebraice scripti, secutus S. Augustinum qui scribit, *Machabæorum libri non Judæi, sed Ecclesia pro canonicis habet*.

(b) *In Job lib.* 35. *in cap.* 42. *n.* 48. *Edit. M. Tom.* 1. *Edit. Venet. T.* 3. *pag.* 432.

(c) *Lib.* 2. *in Ezech. hom.* 6. *n.* 11. *Edit. M. T.* 1. *Ven. T.* 5. *pag.* 64.

(d) *In Evang. lib.* 2. *hom.* 25. *n.* 1. *&* 10. *Edit. M. T.* 1. *Ven. T.* 5. *pag.* 256. *&* 262.

(e) *In Job. lib.* 14. *in cap.* 19. *n.* 57. *Edit. M. T.* 1. *Ven. T.* 2. *p.* 97.

(f) *In Evang. lib.* 1. *hom.* 17. *n.* 17. *Edit. M. T.* 1. *Ven. T.* 5. *p.* 215.

(g) *In Ezech. lib.* 2. *hom.* 6. *n.* 10. *Edit. M. T.* 1. *Ven. Tom.* 5. *p.* 64.

(h) *Ad Galat.* 2. *c.* 11.

S. GREG. M. „ Evangelio circumcisionis narrat “. In sacræ Scripturæ citandis textibus, modo S. Hieronymi versionem, quam novam vocat, sequitur, modo antiquam seu veterem Italam, unde scribit (a): „ Novam translationem dissero, sed cum probationis causa exigit, „ nunc novam, nunc veterem per testimonia assumo, ut quia Se„ des Apostolica, cui, Deo auctore, præsideo, utraque utitur, „ mei quoque labor studii ex utraque fulcitur “. Veteri tamen translationi novam præfert, quia ex hebræo, arabicoque eloquio cuncta verius transfudisse perhibetur. Aliquando vero etiam Septuaginta, Aquilæ, Symmachi, nec non Theodotionis versionibus utitur (b).

De Sacræ Scripturæ lectione. Fideles ad sacræ Scripturæ lectionem & meditationem hortatur scribens: „ Ibi (c) invenimus prædicamenta operis, & exempla „ virtutis: ibi jubetur quid agere etiam corporaliter debemus: ibi „ hoc quod ad operandum præcipitur, in sanctorum virorum, ac „ fortium actione monstratur ... Studete, quæso, fratres charissi„ mi, Dei verba meditari, nolite despicere scripta nostri Redem„ ptoris, quæ ad nos missa sunt. Multum valde est, quod per „ ea animus refricatur ad calorem, ne iniquitatis suæ frigore tor„ pescat “. Hinc vero duabus nobilibus puellis scribit: „ Opto „ (d) ut sacram Scripturam legere ametis, ut quamdiu vos omni„ potens Deus viris conjunxerit, sciatis qualiter vivere, & do„ mum vestram quomodo disponere debeatis “. Et Theodoro Augusti Archiatro, scribit: „ Erga (e) dulcissimam mentem Filii mei „ domni Theodori habeo aliquam querelam, quia donum ingenii, „ donum rerum, donum misericordiæ, atque caritatis a S. Trini„ tate percepit: sed tamen sæcularibus indesinenter causis adstringi„ tur, assiduis processionibus occupatur, & quotidie legere negligit „ verba Redemptoris sui. Quid est autem Scriptura sacra, nisi „ quædam epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam? Et cer„ te sicubi esset gloria vestra alibi constituta, & scripta terreni „ Imperatoris acciperet, non cessaret, non quiesceret, somnum o„ culis non daret, nisi prius quid sibi Imperator terrenus scripsis„ set, agnovisset. Imperator cæli Dominus hominum & Angelo„ rum, pro vita tua tibi suas epistolas transmisit, & tamen ..... „ easdem epistolas ardenter legere negligis? Stude ergo quæso, & „ quotidie verba Creatoris tui meditare. Disce cor Dei in verbis „ Dei, ut ardentius ad æterna suspires, ut mens vestra ad cælestia „ gaudia majoribus desideriis accendatur “.

De Conciliis. Priora quatuor Œcumenica Concilia ita venerabatur S. Gregorius

(a) *Epist. ad S. Leand. cap. 5. Edit. Maur. Tom. 1.*
(b) *Lib. 1. in Ezech. hom. 7. Edit. M. T. 1.*
(c) *In Ezech. lib. 2. homil. 3. n. 18. Edit. M. T. 1. Venet. T. 5. pag. 33.*
(d) *Lib. epist. 11. ep. 78. Ed. M. T. 2. Ven. T. 8. p. 239.*
(e) *Lib. epist. 4. ep. 31. Ed. M. T. 2. Ven. T. 7. p. 261.*

rius ut scriberet: „ Si quis (*a*) contra horum quatuor Synodorum „ fidem .... aliquid unquam loqui præsumit, anathema sit". Addit (*b*): „ Sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic & quatuor „ Concilia suscipere, & venerari me fateor .... Quintum quoque „ Concilium pariter veneror .... Cunctas quas præfata veneranda „ Concilia personas respuunt, respuo; quas venerantur, amplector". Episcopalia quoque Concilia (*c*) habenda esse per Provincias, ut Patrum providentia sancitum est, præcipit. Eorum utilitates exponit scribens: „ Ne qua inter fratres dissensio, ne qua „ inter Præpositos & subjectos sint fomenta discordiæ, in unum „ convenire Sacerdotes necesse est, ut & de ingruentibus causis disceptatio, & sit salubris de Ecclesiastica observatione collatio: „ quatenus dum per hoc & præterita corriguntur, & regulam futura suscipiunt, omnipotens ubique Dominus fratrum concordia „ collaudetur. Cujus vobis adesse præsentiam... scitote, quia scriptum est: *ubi fuerint congregati duo aut tres in nomine meo*, „ *ibi sum in medio eorum* (*d*). Si ergo adesse dignabitur, ubi duo „ vel tres fuerint, quanto magis non deerit, ubi plures convenerint Sacerdotes?" In Diœcesanis Synodis Presbyteri cum Episcopis sedebant, immo antiquitus sententiam dicebant, & subscribebant vel ipso præsente Summo Pontifice, sed Diaconi cum reliquis Clericis stabant (*e*). Conciliorum vero præsertim Generalium Acta summa cura servabantur, quod tamen minime obstabat, quin aliquando corrumperentur, ut in Chalcedonensi Synodo, & fortassis etiam in Ephesina contigisse dicit S. Gregorius scribens: „ Existimamus (*f*) quia sicut Chalcedonensis Synodus falsata est, sic „ aliquid in Ephesina Synodo factum est". Quamobrem mandat Gregorio Comiti „ ut vetustos omnino codices ejusdem Concilii „ requirat .... Novis enim Codicibus passim non credat ... Romani autem Codices multo veriores sunt Græcis; quia nos vestra „ sicut non acumina, ita nec imposturas habemus". S.GREG. M.

„ Sancta Ecclesia (scribit S. Gregorius) sic consistit (*g*) unitate fidelium, sicut corpus nostrum unitum est compage membrorum ..... sola est (*h*) per quam sacrificium Dominus libenter „ accipit, sola quæ pro errantibus intercedit ..... sola est, quæ „ intra se positos valida caritatis compage custodit. Unde & aqua „ diluvii Arcam quidem ad sublimiora sustulit: omnes autem, quos „ extra Arcam invenit, extinxit". Hinc de hæreticis scribit (*i*): „ Sæpe De Ecclesia.

(a) *Epist. lib. 6. ep. 2. Ed. M. T. 2. Ven. T. 7. p. 350.*
(b) *Ibid. lib. 1. ep. 25. Ed. M. T. 2.*
(c) *Ibid. lib. 9. ep. 106. Ed. M. T. 2. Ven. T. 8. p. 137.*
(d) *Matth. 18. 20.*
(e) *In Decretis ac Notis Ed. M. T. 2.*
(f) *Lib. 6. epist. ep. 14. Edit. M. T. 2. V. T. 7. p. 361.*
(g) *Moral. lib. 19. n. 43. Edit. M. T. 1. Ven. T. 2. p. 268.*
(h) *Ibid. lib. 35. n. 13. Ed. M. T. 1. Ven. T. 3. p. 415.*
(i) *Ibid. lib. 18. n. 40. Edit. M. T. 1. Ven. Tom. 2. p. 214.*

S. GREG. M. „ Sæpe pro Jesu Christi Domini ac Redemptoris nostri nomine „ multa patiuntur, seseque eisdem passionibus ejus fieri martyres „ sperant. Quibus Sancti Viri (Job) voce nunc dicitur : *Auro* „ *locus est in quo conflatur*. Nam ..... quisquis extra Ecclesiæ „ unitatem patitur, pœnas pati potest, martyr fieri non potest ; „ quia *auro locus est in quo conflatur*. Quid itaque ad hæc hæretici dictis? Conflari per afflictionem carnis, vel etiam per martyrium vultis, sed locum in quo conflari debeatis, nescitis ". Quibus constat exponit dicens (*a*): „ Quia a bonis malisque hæc „ vita communiter ducitur, nunc Ecclesia ex utrorumque numero „ visibiliter congregatur; sed Deo invisibiliter judicante discernitur, atque in exitu suo a reproborum societate separatur. Modo vero esse in ea nec boni sine malis, nec mali sine bonis possunt. Hoc enim tempore conjuncta utraque pars sibi necessario „ congruit ; ut mali mutentur per exempla bonorum, & boni purgentur per tormenta malorum ".

De Primatu S. Petri. Primatum S. Petri agnoscit, & prædicat scribens (*b*): „ Cunctis Evangelium scientibus liquet quod voce Domini Sancto & „ omnium Apostolorum Principi Petro Apostolo totius Ecclesiæ „ cura commissa est. Ipsi quippe dicitur: *Petre, amas me? Pasce* „ *oves meas*. Ipsi dicitur: *Ecce Satanas expetivit cribrare vos sicut triticum, & ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides* „ *tua*. Ipsi dicitur: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus* „ *eam*.... Ecce claves regni cælestis accepit, potestas ei ligandi „ atque solvendi tribuitur, cura ei totius Ecclesiæ committitur, „ & tamen universalis Apostolus non vocatur ". Quæ postrema verba addit ad typhum Joannis Constantinopolitani titulum Patriarchæ Œcumenici usurpantis comprimendum. Et iterum scribit (*c*): „ Cum multi sint Apostoli, pro ipso tamen principatu sola Apostolorum Principis Sedes in auctoritate convaluit, quæ in tribus „ locis unius est. Ipse enim sublimavit Sedem, in qua etiam quiescere, & præsentem vitam finire dignatus est. Ipse decoravit Sedem, in qua Evangelistam discipulum misit. Ipse firmavit Sedem, in qua septem annis, quamvis discessurus, sedit. Unius „ ergo una est Sedes, cui ex auctoritate divina tres nunc Episcopi „ præsident ". Designat autem Alexandrinam Ecclesiam, cui præfecit S. Marcum Evangelistam· Antiochenam, in qua primum sedit Apostolorum Princeps : & Romanam, quam vigintiquinque annis rexit, & martyrio decoravit. Rationem vero reddit (*d*) „ cur omnipotens Deus eum qui cunctæ Ecclesiæ præferre disposuerat, „ ancillæ vocem pertimescere, & seipsum negare permisit „ dicens :

(a) *Ibid. lib. 31. n. 28. Ed. M. T. 1. V. T. 3. p. 279.*
(b) *Epist. lib. 5. ep. 20. Ed. M. T. 2. V. T. 7. p. 301.*
(c) *Ibid. lib. 7. ep. 40. Ed. M. T. 2. V. T. 7. p. 453.*
(d) *In Evang. hom. 21. n. 4. Ed. M. T. 1. Ven. T. 5. p. 238.*

cens: „ Magnæ actum esse pietatis dispensatione.... ut is qui fu-
„ turus erat Pastor Ecclesiæ, in sua culpa disceret qualiter aliis
„ misereri debuisset. Prius itaque eum ostendit sibi, & tunc præ-
„ posuit cæteris, ut ex sua infirmitate cognosceret quam misericor-
„ diter aliena infirma toleraret ".

S.GREG. M.

Innumera pene sunt D. Gregorii testimonia quibus declarat, Sedem Apostolicam, nedum honore, sed jurisdictione & potestate cæteris omnibus universi Orbis christiani Ecclesiis præisse. Non multa delibabimus. De Constantinopolitana Ecclesia sic fidenter scribit Joanni Syracusano Episcopo (*a*): „ De Constantinopolitana Ecclesia . . . quis dubitet Sedi Apostolicæ esse subjectam? Quod & piissimus Domnus Imperator, & Frater noster ejusdem civitatis Episcopus assidue profitentur ". Jurisdictionem etiam se habere supra Primatem Bizacenæ provinciæ ostendit scribens (*b*): „ In quodam crimine Bizacenus Primas accusatus fuit, & piissimus Imperator eum juxta statuta canonica per nos voluit judicari ". Immo quod idem Primas confiteretur se Apostolicæ Sedi subiici, non illi laudi vertit; nam inquit: „ Si qua culpa in Episcopis invenitur, nescio quis ei Episcopus subjectus non sit ". Difficiliores controversias præsertim ad fidem spectantes esse ad Sedem Apostolicam ita deferendas, ut prius servato ordine a Metropolitis & a Vicario ab ipsa Sede Apostolica constituto judicentur, docet scribens Vigilio Episcopo Arelatensi, quem suum Vicarium in Galliis constituerat (*c*): „ Fraternitati vestræ, cui nostris in Ecclesiis, quæ sub regno sunt præexcellentissimi Filii nostri Childeberti juxta antiquum morem curam commisimus, singulis siquidem Metropolitis secundum priscam consuetudinem proprio honore servato. . . Si qua vero inquisitio de fide, vel forsasse aliarum rerum inter Episcopos causa emerserit, quæ discerni difficilius possit, collectis duodecim Episcopis ventiletur, & decidatur. Si autem decidi nequiverit, discussa veritate ad nostrum judicium deferatur ". Denique super omnes Ecclesias Sedis Apostolicæ solicitudinem versari debere pluries & agnoscit, & prædicat: quare modo scribit: „ Cunctarum (*d*) Ecclesiarum conjuncta nobis solicitudinis cura constringit ". Et rursum (*e*): „ Pastoralis nos cura constringit Ecclesiis Sacerdotis moderamine destitutis solicita consideratione concurrere ". Appellationem ad Sedem Apostolicam & licitam esse, & servandam scribit Episcopo Mediolanensi (*f*): „ Quando sententiam tales causæ (Episcoporum)

De Sedis Apostolicæ auctoritate.

(a) *Epist. lib. 9. ep. 12. Ed. M. T. 2. V. T. 8. p. 56.*
(b) *Ibid. lib. 9. ep. 59. Ed. M. T. 2. V. T. 8. p. 98.*
(c) *Ibid. lib. 5. ep. 54. Ed. M. T. 2. V. T. p.*
(d) *Ibid. lib. 1. ep. 29. Ed. M. T. 2.*
(e) *Ibidem.*
(f) *Ibid. lib. 10. ep. 29. Ed. M. T. 2. V. T. 8. p. 198.*

S.GREG. M. „ rum) suscipiunt, & ad Sedem Apostolicam appellatur, distri-„ ctissime ab omni latere veritas quæritur “.

De Divinarum Personarum Missione & S.S. processione. Dum Christus dicit Apostolis: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, ista Filii missio (ut observat S. Gregorius) juxta naturam divinitatis potest intelligi (*a*): „ Eo ipso enim a Patre „ Filius mitti dicitur, quo a Patre generatur. Nam sanctum quo-„ que Spiritum, qui cum sit coæqualis Patri & Filio, non tamen „ incarnatus est, idem se Filius mittere perhibet, dicens: *Cum* „ *venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre*. Si enim „ mitti solummodo incarnari deberet intelligi, sanctus proculdu-„ bio Spiritus nullo modo diceretur mitti qui nequaquam incar-„ natus est. Sed ejus missio ipsa processio est, qua de Patre „ procedit & Filio. Sicut itaque Spiritus mitti dicitur, quia pro-„ cedit: ita & Filius non incongrue mitti dicitur, quia genera-„ tur “. Observat Jo. Diaconus in translatione græca Dialogorum fraude Græcorum corruptum fuisse S. Pontificis dictum (*b*). Ubi enim latine legitur: *Cum constet quia Paraclitus Spiritus a Patre semper procedit & Filio*; Græcus interpres, seu interpolator vertit: *Manifestum est quod Paraclitus Spiritus ex Patre procedit, & in Filio manet*, ut Spiritus S. Processionem a Filio impugnaret.

De duabus in Christo naturis & una Persona. Duas in Christo admittit naturas, non tamen duas Personas, sed unam tantum; unde scribit (*c*): „ Tunc Deus Pater Deo „ Filio suo nuptias fecit, quando hunc in utero Virginis humanæ „ naturæ conjunxit... Sed quia ex duabus Personis fieri solet ista „ conjunctio, absit hoc ab intellectibus nostris, ut personam Dei & „ hominis Redemptoris nostri Jesu Christi ex duabus Personis cre-„ damus unitam. Ex duabus quippe aut in duabus hunc naturis „ existere dicimus; sed ex duabus personis compositum credi, ut „ nefas, vitamus “. Dicitur in Evangelio Joannis, „ quia rece-„ dente Diabolo (*d*) Angeli ministrabant ei. Ex qua re quid a-„ liud quam unius personæ utraque natura ostenditur? Quia & ho-„ mo est, quem diabolus tentat, & idem ipse Deus est, cui ab An-„ gelis ministratur “. Et rursum scribit (*e*) Nestorii errorem refellens: „ Non purus homo conceptus atque editus, post per me-„ ritum ut Deus esset accepit; sed nuntiante Angelo, & adve-„ niente Spiritu, mox Verbum in utero, mox intra uterum Ver-„ bum caro, & manente incommutabili essentia, quæ ei est cum „ Patre, & cum S. Spiritu coæterna, assumpsit intra virginea vi-„ scera,

---

(a) *In Evang. lib. 2. hom. 26. n. 2. Ed. M. T. 1. V. T. 5. p. 266.*
(b) *In Vita S. Gregor. lib. 4. c. 75. Ed. M. T. 4.*
(c) *Homil. in Evang. lib. 2. homil. 38. n. 3. Ed. M. T. 1. V. T. 5. p. 348.*
(d) *Ibid. lib. 1. homil. 16. n. 4. Ed. M. T. 1. V. T. 5. p. 205.*
(e) *Mor. lib. 18. n. 85. Ed. M. T. 1. V. T. 2. p. 239. & 240.*

„ scera, unde & impassibilis pati, & immortalis mori, & æternus
„ ante sæcula temporalis posset esse in fine sæculorum: ut per
„ ineffabile sacramentum, conceptu sancto, & partu inviolabili se-
„ cundum veritatem utriusque naturæ, eadem Virgo & ancilla Do-
„ mini esset & Mater. Sic quippe ei ab Elisabeth dicitur: *Unde*
„ *hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me?* Et ipsa Virgo
„ concipiens dicit: *Ecce Ancilla Domini* . . . . & quamvis ipse
„ aliud ex Patre, aliud ex Virgine, non tamen alius ex Patre,
„ alius ex Virgine ".

S.GREG. M.

De Gratiæ necessitate.

Gratiæ necessitatem ad omne opus bonum adstruit S. Gregorius scribens: „ Ad bona (*a*) assurgere perfecte non possumus nisi
„ Sanctus Spiritus & præveniendo elevet, & subsequendo confortet.
„ Quia (*b*) qualibet occulta loca sine Dei gratia animam salvare
„ non possunt . . . Quid enim Paradiso jucundius? Quid cælo se-
„ curius? & tamen homo ex Paradiso, Angelus de cælo peccando
„ cecidit. Illius ergo nobis virtus quærenda est, & gratia postulanda,
„ sine quo nusquam absque culpa, & cum quo nusquam sine ju-
„ stitia. Hinc divina vox (*c*) jacenti Prophetæ jussit ut surge-
„ ret. Sed surgere omnino non posset, nisi in hunc omnipotentis
„ Dei spiritus intrasset; quia ex omnipotentis Dei gratia ad bona
„ opera conari quidem possumus, sed hæc implere non possumus,
„ si ipse non adjuvat qui jubet. Sic Paulus cum discipulos ad-
„ moneret dicens: *Cum metu & tremore salutem vestram opera-*
„ *mini* (*d*); illico quis in eis ipsa bona opera operaretur adjun-
„ xit, dicens; *Deus est enim qui operatur in vobis velle, & per-*
„ *ficere pro bona voluntate*. Hinc est quod ipsa Veritas discipulis
„ dicit: *Sine me nihil potestis facere* (*e*). Sed in his consideran-
„ dum, quia sic bona nostra si omnipotentis Dei dona sunt, ut in
„ eis aliquid nostrum non sit, cur nos quasi pro meritis æternam
„ retributionem quærimus? Si autem ita nostra sunt, ut dona Dei
„ omnipotentis non sint, cur ex eis omnipotenti Deo gratias agi-
„ mus? Sed sciendum est, quia mala nostra solummodo nostra
„ sunt; bona autem nostra, & omnipotentis Dei sunt, & nostra;
„ quia ipse aspiciendo nos prævenit, ut velimus, qui adjuvando
„ subsequitur, ne inaniter velimus, sed possimus implere quæ vo-
„ lumus. Præveniente ergo gratia & bona voluntate subsequente,
„ hoc quod Dei donum est, fit meritum nostrum. Quod bene Pau-
„ lus brevi sententia explicat dicens: *Plus omnibus laboravi;* qui
„ ne suæ videretur virtuti tribuisse quod fecerat, adjunxit: *Non*
„ *autem ego, sed gratia Dei mecum*. Quia enim cælesti dono
„ præventus est, quasi alienum se a bono suo opere agnovit di-
„ cens:

(a) *In Ezech. lib. 1. hom. 10. n. 45. Ed. M. T. 1. V. T. 4. p. 234.*
(b) *Epist. lib. 7. ep. 4. Ed. M. T. 2. V. T. 7. p. 411.*
(c) *In Ezech. lib. 1. hom. 9. n. 2. Ed. M. T. 1. V. T. 4. p. 203.*
(d) *Philip. 2. 12.*
(e) *Joan. 15. 5.*

S.GREG. M. „ cens: *Non autem ego*. Sed quia præveniens gratia liberum in „ eo arbitrium fecerat in bonum: quo libero arbitrio eamdem gratiam est subsecutus in opere, adjunxit: *Sed gratia Dei mecum*. „ Ac si diceret: In bono opere laboravi non ego, sed & ego. In „ eo enim quod solo Domini dono præventus sum, non ego: in „ eo autem quod donum voluntate subsecutus, & ego “. Quid vero præstet in homine absentia gratiæ, explicat scribens: „ Fit „ plerumque (*a*) ut idem qui sublevaverat parumper Spiritus de„ serat, quatenus ipsum sibi hominem ostendat. Quod S. Vir „ (Job) protinus exprimit cum subjungit: *Et in pulverem redu„ ces me*. Quia enim per subtractionem spiritus mens aliquantu„ lum in tentatione deseritur, quasi ab humore pristino terra sic„ catur, ut infirmitatem suam derelictus sentiat, & sine infusione „ supernæ gratiæ quantum homo aruit, cognoscat “. Observat etiam quod „ Omnipotens Deus (*b*) eos, quos in æternum dele„ git, aliquando ad tempus relinquit . . . Hinc Psalmista depre„ cabatur dicens: *Non me derelinquas usquequaque*. Derelinqui „ igitur sese ad modicum posse utiliter noverat, qui ne usquequa„ que relinqueretur, petebat. Sanctos etenim suos Dominus ve„ niendo adjuvat, relinquendo probat, donis firmat, tribulationi„ bus tentat “. Et rursum idem confirmat scribens: „ Omnipo„ tens Deus (*c*) humanum cor destruit cum relinquit, ædificat „ dum replet. Neque enim humanam mentem debellando destruit, „ sed recedendo; quia ad perditionem suam sufficit sibi dimissa. Un„ de plerumque fit, ut cum audientis cor exigentibus culpis omni„ potentis Dei gratia non repletur, incassum exterius a prædica„ tore moneatur: quia mutum est os omne quod loquitur, si ille „ interius in corde non clamet, qui aspirat verba quæ audiuntur. „ Hinc Propheta ait: *Nisi Dominus ædificaverit domum, in va„ num laborant qui ædificant eam* (*d*). Hinc Salomon dicit: „ *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille de„ spexerit* (*e*). Nec mirum si a corde reprobo prædicator mini„ me auditur, dum nonnunquam ipse quoque Dominus in his „ quæ loquitur, resistentium moribus impugnatur “.

Semper timendum de æterna salute. Sic omnibus justum de sua salute timorem habendum suadet scribens: „ Obtineri nequaquam (*f*) possunt quæ prædestinata non „ fuerint, sed ea, quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata „ sunt, ut precibus obtineantur. Nam ipsa quoque perennis re„ gni prædestinatio ita est ab omnipotenti Deo disposita, ut ad hoc „ electi ex labore perveniant: quatenus postulando mereantur acci- „ pere

(a) *Mor. lib. 9. n. 80. Ed. M. T. 1. V. T. 1. p. 330.*
(b) *Ibid. lib. 20. n. 51. Ed. M. T. 1. V. T. 2. p. 303.*
(c) *Ibid. lib. 11. n. 12. Ed. M. T. 1. V. T. 2. p. 7.*
(d) *Psal. 126. 1.*
(e) *Eccl. 7. 14.*
(f) *Dial. lib. 1. c. 8. Ed. M. T. 2. V. T. 6. p. 82.*

„ pere quod eis omnipotens Deus ante sæcula dispofuit donare... S.Greg. M.
„ (a) *Multi sunt vocati, pauci vero electi*. Tremendum valde
„ est quod audivimus. Ecce nos omnes jam vocati per fidem ad
„ cælestis Regis nuptias venimus .... Quia vocati sumus novi-
„ mus; si sumus electi, nescimus. Tanto ergo necesse est, ut
„ unusquisque nostrum in humilitate se deprimat, quanto si sit ele-
„ ctus ignorat. Nonnulli enim bona nec incipiunt; nonnulli ve-
„ ro in bonis quæ inceperunt, minime persistunt. Alter pene to-
„ tam vitam ducere in pravitate conspicitur, sed juxta finem vitæ
„ a pravitate sua per districtæ pœnitentiæ lamenta revocatur: al-
„ ter electam videtur vitam ducere, & tamen hunc contingit ad
„ erroris nequitiam juxta finem vitæ declinare .... Tanto ergo
„ unusquisque sibi solicite metuat, quanto ignorat quod restat:
„ quia quod sæpe dicendum est, & sine oblivione retinendum: *Mul-*
„ *ti sunt vocati, pauci vero electi* ". Quam veritatem confirmat
exemplo trium sororum Parentis sui, „ uno omnes ardore (*b*)
„ conversæ, uno eodemque tempore sacratæ, sub districtione re-
„ gulari degentes, in domo propria socialem vitam ducebant. Duæ
„ in sancta conversatione usque ad mortem perseverarunt, sed eo-
„ rum altera oblita Dominici timoris, oblita pudoris & reveren-
„ tiæ, oblita consecrationis, conductorem agrorum suorum post-
„ modum maritum duxit. Ecce omnes tres uno prius ardore con-
„ versæ sunt, sed non in uno eodemque studio permanserunt, quia
„ juxta Domini vocem *multi sunt vocati, pauci vero electi* ...
„ Nemo (*c*) vero discutiat, cur stante Judaico populo, dudum in
„ infidelitate Gentilitas jacuit; & cur ad fidem Gentilitate sur-
„ gente Judaicum populum infidelitatis culpa prostravit. Nemo
„ discutiat cur alius trahatur ex dono, alius repellatur ex meri-
„ to. Si enim Gentilitatem miraris assumptam, *ipso concedente pa-*
„ *cem quis est qui condemnet?* Si Judæam obstupescis perditam
„ *ex quo absconderit vultum suum, quis est qui contempletur eum?*
„ Itaque consilium summæ & occultæ virtutis, satisfactio fit aper-
„ tæ rationis. Unde in Evangelio Dominus, cum de hujus rei
„ causa loqueretur, ait .... *Ita Pater;* atque mox tamquam
„ rationem quamdam absconsionis ac revelationis adjungens, *quia*
„ *sic fuit placitum ante te*. Quibus nimirum verbis exempla hu-
„ militatis accipimus, ne temere discutere superna consilia de alio-
„ rum vocatione, aliorum vero repulsione præsumamus ". Quod
confirmat exemplo, scribens: „ Duo ad hanc lucem (*d*) parvuli
„ veniunt, sed uni datur ut ad redemptionem per baptisma redeat,
„ alter ante subtrahitur quam hunc regenerans unda perfundat. Et
„ sæpe fidelium filius sine fide rapitur, sæpe infidelium concesso

(a) *In Evang. lib. 2. hom.* 38. *n.* 14. *Ed. M. T.* 1. *V. T.* 5. *p.* 344.
(b) *Ibid. n.* 15.
(c) *Mor. lib.* 25. *n.* 32. *Ed. M. T.* 1. *V. T.* 3. *p.* 79.
(d) *Ibid. lib.* 27. *n.* 7. *Ed. M. T.* 1. *V. T.* 3. *p.* 129.

S. GREG. M.

„ fidei sacramento renovatur. Sed fortasse aliquis dicat, quod hunc „ Deus astutum prave etiam post baptisma noverat, & idcirco „ eum ad baptismatis gratiam non perducat. Quod si ita est, „ peccata quorumdam proculdubio priusquam sint perpetrata, pu„ niuntur. Et quis ista recte sentiens dixerit, quia omnipotens „ Deus, qui alios a perpetratis facinoribus liberat, hæc in aliis et„ iam non perpetrata condemnet? Occulta itaque sunt ejus judi„ cia, & quanta obscuritate nequeunt conspici, tanta debent hu„ militate venerari ".

De Angelis bonis & malis.

De natura Angelorum sic docet: „ Ipsi angelici (*a*) spiritus mu„ tabiles ex natura sunt conditi, quatenus aut sua sponte caderent, „ aut ex arbitrio starent. Sed quia humiliter elegerunt ei inhære„ re a quo creati sunt, hanc ipsam in se mutabilitatem suam stan„ di, jam immutabilitate vicerunt: ut hoc ipsum merito transcen„ derent, quod naturæ suæ ordine mutabilitati subesse potuissent ". Docet „ duas a Deo (*b*) factas creaturas, angelicam videlicet & „ humanam .... sed una tegmen carnis habuit, alia vero nihil „ infirmum de carne gestavit. Angelus namque solummodo spiri„ tus, homo vero & spiritus est & caro ". Dæmones tamen licet spirituales, torqueri igne corporeo dicit, scribens: „ Si viventis „ (*c*) hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, cur non post „ mortem cum incorporeus sit spiritus, etiam corporeo igne tenea„ tur? ... Teneri autem spiritum per ignem dicimus, ut in tor„ mento ignis sit videndo atque sentiendo ". Novem distinguit Angelorum ordines, scribens: „ Novem Angelorum (*d*) ordines dixi„ mus, quia videlicet esse, testante sacro eloquio, scimus, Ange„ los, Archangelos, Virtutes, Potestates, Principatus, Domina„ tiones, Thronos, Cherubim, atque Seraphim. Esse namque „ Angelos & Archangelos, pene omnes sacri eloquii paginæ te„ stantur; Cherubim vero, atque Seraphim sæpe, ut notum est, „ libri Prophetarum loquuntur. Quatuor quoque ordinum nomi„ na Apostolus Paulus ad Ephesios enumerat dicens: *Super omnem* „ (*e*) *Principatum & Potestatem, & Virtutem & Dominationem*. „ Qui rursus ad Colossenses scribens ait: „ *Sive Throni* (*f*), *sive Po*„ *testates*, *sive Principatus*, *sive Dominationes* .... Dum ergo il„ lis quatuor quæ ad Ephesios dixit, idest Principatibus, Pote„ statibus, Virtutibus, & Dominationibus conjunguntur *Throni*, „ quinque sunt ordines qui specialiter exprimuntur. Quibus dum „ Angeli, & Archangeli, Cherubim, atque Seraphim adjuncta „ sunt, proculdubio novem esse Angelorum Ordines inveniuntur ". Observat etiam „ vocabulum Angeli, nomen esse officii, non natu„ ræ ...

(a) *Ibid. l.* 25. *n.* 11. *Ed. M. T.* 1. *V. T.* 3. *p.* 65.
(b) *Ibid. l.* 4. *n.* 8. *Ed. M. T.* 1. *V. T.* 1. *p.* 113.
(c) *Dial. l.* 4. *c.* 29. *Ed. M. T.* 2.
(d) *In Evang. l.* 2. *hom.* 34. *n.* 7. *Ed. M. T.* 1. *V. T.* 5. *p.* 316.
(e) *Ephes.* 1. 21. (f) *Coloss.* 1. 16.

„ ræ .... Angeli (a) nuntii, Archangeli summi nuntii vocantur. S. GREG. M.
„ Hinc sancti illi cælestis patriæ spiritus semper quidem sunt spiritus, sed semper vocari Angeli nequaquam possunt: quia tunc solum sunt Angeli, cum per eos aliqua nuntiantur: unde & per Psalmistam dicitur: *Qui facit Angelos suos spiritus* ". De diabolo autem scribit: „ Etsi actionis (b) suæ merito infra homines cecidit, omne tamen humanum genus naturæ angelicæ conditione transcendit. Quamvis enim internæ felicitatis beatitudinem perdidit, naturæ tamen suæ magnitudinem non amisit, cujus adhuc viribus humana omnia superat .... Sed Dei celsitudinis culmen aspiciens jus perversæ libertatis appetiit, ut & præesset cæteris, & nulli subesset, dicens: *Ascendam super altitudinem nubium, & similis ero Altissimo* (c); cujus eo ipso similitudinem perdidit, quo esse ei superbe similis in celsitudine concupivit ..... Dum privatam celsitudinem superbe appetiit, jure perdidit participatam .... Relicto eo qui vere illi sufficere poterat, se sibi sufficere posse judicavit, & tanto magis infra se cecidit, quanto magis se contra gloriam sui conditoris erexit. Nam quem exaltabat libera servitus, dejecit captiva libertas ".

De primi vero hominis conditione sic docet: „ Ad hoc in Paradiso (d) homo positus fuerat, ut si se ad conditionis sui obedientiam in vinculis caritatis adstringeret, ad cælestem Angelorum patriam quandoque sine carnis morte transiret. Sic namque immortalis est conditus, ut tamen si peccaret, & mori posset, & sic mortalis est conditus, ut si non peccaret, etiam non mori posset, atque ex merito liberi arbitrii beatitudinem illius regionis attingeret, in qua vel peccare, vel mori non posset ". Ejus conditionem secuti sunt posteri: „ Hinc (e) nos sancti efficimur, non sancti nascimur; quia ipsa naturæ corruptibilis conditione constringimur, ut cum Propheta dicamus: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*. Ille solus veraciter sanctus natus est, qui ut ipsam conditionem naturæ corruptibilis vinceret, ex commixtione carnalis copulæ conceptus non est ". De primo homine.

Originale peccatum in Adæ posteros propagari agnoscit scribens: „ Numquid (f) si egressus ex utero statim periisset (Job), retributionis meritum ex hac ipsa perditione conciperet? Numquid æterna requie abortivi perfruuntur? Quisquis enim regenerationis unda non solvitur, reatu primi vinculi ligatus tenetur. Quod vero apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres, De peccato originali.

 „ vel

(a) *In Evang. l. 2. hom. 34. n. 8. Ed. M. T. 1. V. T. 5. p. 316.*
(b) *Mor. l. 34. n. 39. & 40. Ed. M. T. 1. V. T. 3. p. 401.*
(c) *Isai. 14. 14.*
(d) *Mor. l. 4. n. 54. Ed. M. T. 1.*
(e) *Ibid. l. 18. n. 84. Ed. M. T. 1. V. T. 2. p. 230.*
(f) *Mor. lib. 4. n. 3. Ed. M. T. 1.*

S. GREG. M.

„ vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, „ vel pro his qui ex Abrahæ stirpe prodierunt mysterium circumcisionis. Nam quia unusquisque cum primi parentis culpa concipitur, Propheta testatur dicens: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*. Et quia is, quem salutis unda non diluit, originalis „ culpæ supplicia non amittit, aperte per semetipsam Veritas perhibet dicens: " *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non habebit vitam æternam* (*a*) ". Puniri etiam pœna sensus arbitratur scribens: „ Nonnulli (*b*) prius a præsenti luce „ subtrahuntur, quam ad proferenda bona malave merita activæ „ vitæ perveniant. Quos quia a culpa originis Sacramenta non liberant: & hic ex proprio nihil egerunt, & illuc ad tormenta „ perveniunt. Quibus unum vulnus est corruptibiliter nasci, aliud „ carnaliter emori. Sed quia post mortem quoque æterna mors sequitur, occulto eis justoque judicio etiam sine causa vulnera multiplicantur. Perpetua quippe tormenta percipiunt & qui nihil „ ex propria voluntate peccaverunt ".

De baptismo Joannis & Christi.

De utilitate baptismatis Joannis sic scribit: „ Cunctis (*c*) legentibus liquet, quia Joannes non solum baptismum pœnitentiæ „ prædicavit, verum etiam quibusdam dedit: sed tamen baptismum „ suum in remissionem peccatorum dare non potuit. Remissio etenim peccatorum in solo nobis baptismo Christi tribuitur. Notandum itaque quod dicitur: *Prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum* (*d*); quoniam baptismum quod peccata „ solveret, quia dare non poterat, prædicabat ". At longe excellentiori modo prædicat Christi baptismum scribens: „ Ab originali culpa per baptismum liberamur", & ita ab aliis omnibus: „ ut si (*e*) qui sunt, qui dicant, peccata in baptismate superficie „ tenus dimitti, quid est hac prædicatione infidelius, in qua ipsum „ fidei Sacramentum festinant solvere? In quo principaliter ad cælestis munditiæ mysterium anima ligatur, ut absoluta radicitus a „ peccatis omnibus, soli illi inhæreat, de quo Propheta ait: *Mihi autem adhærere Deo bonum est* (*f*)? Ideo omnes (*g*) baptizatos „ infantes, atque in eadem infantia morientes ingredi regnum cæleste credendum est ". De ritu autem conferendi baptismatis per unam vel trinam immersionem sic scribit S. Leandro Hispalensi Episcopo: „ De trina (*h*) vero immersione baptismatis, responderi nil „ verius potest, quam ipsi sensistis; quia in una fide nihil officit „ sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa. Nos autem quod tertio mergimus,

(a) *Joan.* 3. 5.
(b) *Mor. l.* 9. *n.* 32. *Ed. M. T.* 1. *V. T.* 1. *p.* 309.
(c) *In Evang. l.* 1. *hom.* 20. *n.* 2. *Ed. M. T.* 1. *V. T.* 5. *p.* 228.
(d) *Luc.* 3. 3.
(e) *Epist. l.* 11. *ep.* 45. *Ed. M. T.* 2. *V. T.* 8. *p.* 275.
(f) *Psalm.* 72. 28.
(g) *Dial. l.* 4. *c.* 18. *Ed. M. T.* 2. *V. T.* 6. *p.* 285.
(h) *Epist. l.* 1. *ep.* 43. *Ed. M. T.* 2. *V. T.* 7. *p.* 55.

„ gimus, triduanæ sepulturæ sacramenta signamus ..... Quod si [redacted]
„ quis forte etiam pro summæ Trinitatis veneratione æstimet fie- S. GREG. M.
„ ri, neque ad hoc aliquid obsistit, baptizandum semel in aquis
„ mergere; quia dum in tribus subsistentiis una substantia est, re-
„ prehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismate vel
„ ter, vel semel mergere, quando & in tribus mersionibus perso-
„ narum Trinitas, & in una potest divinitatis singularitas desi-
„ gnari. Sed quia nunc usque ab hæreticis (Arianis) infans in
„ baptismo tertio mergebatur, fiendum apud vos esse non censeo:
„ ne dum mersiones numerant, divinitatem dividant, dumque quod
„ faciebant faciunt, se morem nostrum vicisse glorientur ".

Mos erat ut baptisma solum in Paschate & Pentecoste conferretur, nec nisi ex speciali indulgentia, & ad nascentis populi utilitatem a S. Augustino Anglorum Apostolo, ut narrat D. Gregorius, (De Ministro, & tempore baptismi.) „ in solemnitate (*a*) Dominicæ nativitatis plusquam decem millia Angli baptizati sunt ": Ideo in epistola ad Fantinum Defensorem scribit, ut Judæos Agrigentinum territorium, ad christianam fidem conversos, incolentes „ si illis (*b*) longum & triste „ videatur solemnitatem sustinere Paschalem, & eos nunc ad baptisma festinare cognoscat; ne, quod absit, longa dilatio eorum „ retro possit animos revocare, cum fratre nostro Episcopo loci „ ipsius loqui, ut pœnitentia ac abstinentia quadraginta diebus indicta, aut die dominico, aut si celeberrima festivitas fortassis occurrerit, eos omnipotentis Dei misericordia protegente baptizet .... Si vero sanctum Pascha elegerint expectare, iterum „ cum Episcopo loquere, ut modo quidem Catechumeni fiant ... „ ut quanto quæ expectatur elongatur festivitas, tanto se præparare, & cum desiderio ferventi debeant sustinere. Mulier (*c*) etiam prægnans debet baptizari, cum ante omnipotentis Dei oculos culpa non sit fœcunditas carnis .... immo baptizari & hoc „ quod genuerit sine mora, si periculo mortis urgetur, nullo modo „ prohiberi docet. Quoties vero de baptismo (*d*) aliquorum dubitatio habetur, & nec scriptis nec testibus ratio certa habetur „ utrum baptizati sint, baptizentur tales, ne talis dubitatio ruina „ fidelibus fiat, quoniam non monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur rite peractum. Quilibet vero (*e*) apud „ hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei ad sinum Matris Ecclesiæ revocantur .... Qui vero in Trinitatis nomine minime baptizantur, „ cum ad sanctam Ecclesiam veniunt baptizantur, sicut fit cum

(a) *Epist. l.* 8. *ep.* 30. *Ed. M. T.* 2. *V. T.* 8. *p.* 32.
(b) *Ibid. ep.* 23. *Ed. M. T.* 2. *V. T.* 8. *p.* 24.
(c) *Ibid. l.* 11. *ep.* 64. *Ed. M. T.* 2. *V. T.* 8. *p.* 301.
(d) *Ibid. l.* 14. *ep.* 17. *Ed. V. T.* 8. *p.* 437.
(e) *Ibid. l.* 11. *ep.* 67. *Ed. M. T.* 2. *V. T.* 8. *p.* 315.

S. GREG. M.

„ Bonosiacis, & Cataphrygis, quia & illi Christum Dominum non „ credunt, & isti S. Spiritum perverso sensu esse quemdam pra- „ vum hominem Montanum credunt ".

De Sacramento Confirmationis.

Confirmationis Sacramentum agnoscit, & prædicat scribens: „ Fideles (*a*) ad sanctum Baptisma venientes nostris precibus be- „ nedicuntur, & per impositionem nostrarum manuum Spiritum S. „ percipiunt ". De dubitantibus num sint confirmati, idem dicit præstandum quod & de dubitantibus num sint baptizati, ut superius diximus. Urget Episcopos ad Diœcesis visitationem ut confirment, scribens: „ Ecclesiis, ad quas (*b*) sine labore potestis accedere, „ Fraternitas vestra officium visitationis impendat, ut ii qui illic, „ Deo propitio, baptizantur, inconsignati non debeant remanere". Monet tamen „ ut subjectos (*c*) minime gravent, & si qua „ sunt gravamina temperent". Addit etiam: „ Episcopi (*d*) ba- „ ptizatos infantes signare bis in frontibus chrismate non præsu- „ mant; sed Presbyteri baptizandos ungant in pectore, ut Episco- „ pi postmodum ungere debeant in fronte ". Ex quo apparet, solos Episcopos agnitos a D. Gregorio Confirmationis ordinarios ministros, & ideo Presbyteris Sardiniæ hoc munus sibi usurpantibus ex antiqua consuetudine primum vetat, deinde conditionate concedit scribens Januario Episcopo: „ Pervenit (*e*) quoque ad nos, quosdam scandalizatos fuisse quod Presbyteros chrismate tangere, „ eosque baptizando prohibuimus. Et nos quidem secundum „ usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus; sed si omnino hac de re „ aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in „ frontibus baptizandos chrismate tangere debeant, concedimus ". Hæc concessio negotium facessivit Theologis docentibus solum Episcopum esse posse Sacramenti Confirmationis ministrum. Hinc plures docuere, licet Episcopus sit ordinarius hujus Sacramenti minister, posse tamen Summi Pontificis dispensatione & Presbyteros ad hoc ministerium assumi, ut moris est in Ecclesia Græca. Ita revera S. Gregorii concessionem est interpretatus D. Thomas (*f*). Et indigitavit Eugenius IV. dicens aliquando (*g*) concessum Presbyteris ut confirmarent chrismate ab Episcopo accepto. Et Pallavicinus (*h*) pluribus exemplis hanc facultatem concessam ostendit a Summis Pontificibus Hadriano V. Nicolao IV. Joann. XXII. Urbano V, Leone X. Verum si verba S. Gregorii attendantur, videtur hic nullam haberi de Confirmationis Sacramento mentionem, cum solum loquatur de unctione facienda in fronte *non baptizatorum*, sed *baptizan-*

(a) *In Evang. l. 1. hom. 17. Ed. M. T. 1.*
(b) *Epist. l. 10. ep. 45. Ed. M. T. 2. V. T. 8. ep. 214.*
(c) *Ibid. l. 13. ep. 18. Ed. M. T. 2. V. T. 8. p. 387.*
(d) *Ibid. l. 4. ep. 9. Ed. M. T. 2. V. T. 7. p. 234.*
(e) *Ibid. l. 4. ep. 26. Ed. M. T. 2. V. T. 7. p. 252.*
(f) *3. p. quæst. 72. a. 11. ad 1.*
(g) *Decret. ad Armenos Tom. 9. Concil. Arduin. p. 438.*
(h) *Hist. Concil. Trid.*

ptizandorum, ut habetur in pluribus emendatioribus codicibus. Videtur proinde hic solum sermonem haberi & concedi Presbyteris Sardiniæ cæremonialem quamdam unctionem ab ipsis in fronte baptizandorum habitam, quæ a Presbyteris Romanis in pectore fieri consueverat (1).

[redacted] S. GREG. M.

De Eucharistiæ Sacramento sic docet: „ Singulariter (a) ad „ absolutionem nostram oblata cum lacrymis, & benignitate men- „ tis sacri altaris hostia suffragatur; quia is qui in se resurgens a „ mortuis jam non moritur, adhuc per hanc in suo mysterio pro „ nobis iterum patitur. Nam quoties ei hostiam suæ passionis of- „ ferimus, toties nobis ad absolutionem nostram, passionem illius „ reparamus. Hæc namque (b) singulariter victima ab æterno in- „ teritu animam salvat, quæ illam nobis mortem Unigeniti per „ mysterium reparat, qui licet resurgens a mortuis jam non mori- „ tur, & mors ei ultra non dominabitur; tamen in semetipso im- „ mor-

De Eucharistiæ transsubstantiatione.

(1) Miror Auctorem non legisse Notam a Maurinis Editoribus huic epistolæ adjunctam, quorum tamen Editione ipse utitur. Hi itaque sic ejus ineptam explicationem refutant. Hoc sane argumento prima fronte arietari nobis videbatur communis Theologorum opinio de collato, vel confirmato Presbyteris a Sanctissimo Pontifice privilegio infantes vice absentium Episcoporum consignandi, & confirmandi. Verum ut cum eisdem ita quoque sentiamus hæc nos coegerunt. Constat S. Gregorium epistola posteriori scilicet 26. illud concessisse, quod priori (nempe nona) prohibuerat, unctionemque ac consignationem permissam, quæcumque fuerit *secundum usum veterem Romanæ Ecclesiæ*, imo Ecclesiarum fere omnium Occidentalium non a Presbyteris adhibitam unquam, sed a solis Episcopis, nec alia lege illam administrandi jus collatum nisi *ubi deessent Episcopi*. At quænam alia potest excogitari præter sacramentalem chrismationem? Unctio enim in pectore vel in vertice *baptizandorum* ex chrismate ad Presbyteros pertinet in qualibet Ecclesia, adeoque & in Romana.... At inquies: Agit Gregorius de infantibus *baptizandis*, qui cum Baptismi expertes adhuc sint, ad Confirmationem recipiendam nondum erant idonei. Agit S. Doctor de infantibus qui baptizabantur, & eodem fere tempore consignabantur pro illorum temporum more. Certe ubi legitur epistola 9. *Sed Presbyteri baptizandos ungant in pectore, ut Episcopi postmodum ungere debeant in fronte*; scilicet infantes, quos supra dixit baptizandos; eadem ratione quis arguet: Ergo Episcopi nondum baptizatos, sed tantum baptizandos consignabant, & confirmabant. Itaque de Catechumenis ante immersionem chrismate in fronte tangendis Gregorium intelligit nemo: quippe baptizandos antequam immergerent simplici quidem oleo inunctos legimus, at numquam chrismate.... Deinde, ut observavimus, Gregorium de illa frontis chrismatione loqui quæ Episcopis reservabatur, nec nisi super baptizatos fiebat, evincit concessionis ejus hæc restrictio *ubi Episcopi desunt*. Etenim ut declarat Innoc. I. epist. 1. ad Decentium c. 3. *Presbyteris seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo cum baptizant chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare quod solis debetur Episcopis cum tradunt Spiritum Paracletum*. Legatur Theologia Patuziana T. 6. Differt. 2. cap. 8. n. 4.

(a) *In Evang. l. 2. hom. 37. n. 7. Ed. M. T. 1. V. T. 5. p. 344.*

(b) *Dial. l. 4. c. 58. Ed. M. T. 2. V. T. 6. p. 352.*

S. GREG. M.

„ mortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in „ hoc mysterio sacræ oblationis immolatur. Ejus quippe ibi corpus sumitur, ejus caro in populi salutem partitur, ejus sanguis „ non jam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur . . . „ Quis enim fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis „ hora ad Sacerdotis vocem cælos aperiri in illo Jesu Christi my„ sterio.... summa imis sociari, terrena cælestibus jungi, unum„ que ex visibilibus, & invisibilibus fieri? " Sacrificii vero Missæ vim & efficaciam exemplo comprobat scribens: „ Non longe (*a*) „ a nostris temporibus fertur factum, quod quidam ab hostibus ca„ ptus; cum diu teneretur in vinculis, eum uxor sua cum a ca„ ptivitate non reciperet, extinctum putavit. Pro quo velut mor„ tuo hostias hebdomadibus singulis curabat offerre. Cujus toties „ vincula solvebantur in captivitate, quoties ab ejus conjuge obla„ tæ fuissent hostiæ pro animæ ejus absolutione. Nam longa post „ tempora revertens, admirans valde suæ indicavit uxori, quod „ diebus certis, hebdomadibus singulis, ejus vincula solvebantur. „ Quos videlicet dies ejus uxor atque horas discutiens tunc eum „ recognovit absolutum, cum pro eo sacrificium meminerat obla„ tum. Hinc ergo, fratres charissimi, hinc certa consideratione col„ ligite, oblata a nobis hostia sacra quantum in nobis solvere va„ leat ligaturam cordis, si oblata ab altero potuit in altero solve„ re vincula corporis ". Et mortuis hoc sacrificium prodesse ostendit scribens: „ Si insolubiles culpæ (*b*) non fuerint, ad absolu„ tionem prodesse etiam mortuis victima sacræ oblationis potest. „ Sed sciendum est, quia illis sacræ victimæ mortuis prosint, qui „ hic vivendo obtinuerunt, ut eos etiam post mortem bona adju„ vent, quæ hic pro ipsis ab aliis fiunt ".

De Oratoriis. De Missarum celebratione, & communione.

Non in solis Templis, sed & in privatis domibus Missæ Sacrificium celebrabatur. Hinc cum Joannes Episcopus Venantio Patritio iratus ejus oblationem refutasset, & Missas in ejus domo celebrari vetuisset, S. Gregorius illi scripsit (*c*) „ ut oblationes Ve„ nantii sicut ante susciperet, & Missam in domo ejus non solum „ celebrari permitteret, sed etiam ipse perageret". Episcopi in suis domibus Oratorium in quo Sacrificium peragerent habebant, ut apparet ex Cassio Narniensi Episcopo, de quo narrat S. Gregorius (*d*) ipso die exitus sui in Episcopii Oratorio Missas fecisse, & manu sua Corpus Dominicum, pacemque omnibus tribuisse. Plura etiam erant in uno Templo altaria: nam Palladius Episcopus (*e*) Ecclesiam in honorem B. Petri & Pauli Apostolorum, nec non Laurentii atque Pancratii martyrum construxit, atque in ea tredecim alta-

(a) *In Evang. l. 2. hom. 37. n. 8. Ed. M. T. 1. V. T. 5. p. 344.*
(b) *Dial. l. 4. c. 57. Ed. M. T. 2. V. T. 6. p. 351.*
(c) *Epist. l. 6. ep. 43. Ed. M. T. 2. V. T. 7. p. 385.*
(d) *In Evang. hom. 37. n. 9. Ed. M. T. 1. V. T. 5. p. 344.*
(e) *Epist. l. 6. ep. 49. Ed. M. T. 2. V. T. 7. p. 388.*

altaria collocavit. Tempore S. Gregorii mos invaluerat immittendi Eucharistiam in os communicantis: unde narrat mutum a S. Agapito sanatum immittendo Dominicum corpus in os ejus. Deferebatur (*a*) etiam in itinere tam terrestri, quam marino: quare narrat Maximianum Episcopum Syracusanum (*b*) in mari Adriatico navigantem, & in præsenti naufragii periculo constitutum pacem, & corpus ac sanguinem Redemptoris simul cum sociis accepisse. Dabatur etiam per modum Viatici in extremo vitæ constitutis: quamobrem narrat (*c*) Sanctum Benedictum Monachorum Parentem ingravescente morbo se in Oratorium a Discipulis portari fecisse, ibique exitum suum Dominici corporis & sanguinis perceptione munivisse: & similiter de Eleutherio venerabili Sene narrat (*d*) ad horam mortis veniente, mysterium Dominici corporis & sanguinis accepisse. Mos etiam erat ponendi Eucharistiam super pectus cadaveris, ut cum eo sepeliretur. Narrat siquidem S. Gregorius (*e*) S. Benedictum jussisse, ut Dominicum corpus super pectus poneretur defuncti fratris a terra bis projecti, & inhumati, quo præstito susceptum corpus ejus terra tenuit, nec ultra projecit (1). S. GREG. M.

Dictum est Apostolis: *Quorum (f) remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* Unde subdit D. Gregorius: „ Ecce (*g*) non solum de semetipsis securi fiunt, sed „ etiam alienæ obligationis potestatem relaxationis accipiunt, principatumque superni Judicii, ut vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent.... Horum profecto nunc in Ecclesia Episcopi locum tenent. Ligandi atque solvendi auctoritatem „ suscipiunt, qui gradum regiminis sortiuntur. Grandis honor, sed „ grave pondus istius est honoris ...... Causæ pensandæ sunt, & „ tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda. Videndum est „ quæ culpa præcessit, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam, „ ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos Pastoris sententia absolvat. Tunc enim vera est absolutio præsidentis, cum interni arbitrium sequitur judicis ". De Pœnitentia, Confessione, & potestate clavium.

„ Pœ-

(a) *Dial. l. 3. c. 3. Ed. M. T. 2. V. T. 6. p. 176.*
(b) *Ibid. cap. 36.*
(c) *Ibid. l. 2. c. 37. Ed. M. T. 2.*
(d) *Ibid. l. 4. c. 35. Ed. M. T. 2.*
(e) *Ibid. l. 2. c. 24. Ed. M. T. 2. V. T. 6. p. 148.*
(1) Multis exemplis a Menardo adductis in Notis ad Sacramentarium S. Gregorii constat olim Sacrum Corpus Christi super pectus quorumdam defunctorum in sepulchro fuisse positum. Solemnis hic mos erat in sepeliendis Episcopis. Nec hoc adversatur Decretis Conciliorum Carthaginensis 2. & Altisiodorensis, quæ prohibent Eucharistiam dari mortuis: hoc enim intelligi debet de Communione quæ concedi non debet mortuis, cum dictum sit: *Accipite & manducate.* Unde liquet eos solum accipere posse qui & manducare.
(f) *Joan. c. 20. 22.*
(g) *In Evang. l. 2. hom. 26. n. 4. & seq. Ed. M. T. 1. V. T. 5. p. 267.*

S.GREG. M.

De vera Pœnitentia.

„ Pœnitentiam agere (ſcribit S. Gregorius) eſt perpetrata (*a*) „ mala plangere, & plangenda non perpetrare. Nam qui ſic alia „ deplorat, ut tamen alia committat, adhuc pœnitentiam agere „ aut diſſimulat, aut ignorat. Hinc ſcriptum eſt: *Canis* (*b*) *re-* „ *verſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti*. Canis „ quippe (*c*) cum vomit, profecto cibum, qui pectus deprimebat „ projicit; ſed cum ad vomitum revertitur unde levigatus fuerat, „ rurſum oneratur. Et qui admiſſa plangunt, profecto nequitiam, „ de qua male ſatiati fuerant, & quæ mentis intima deprimebat, „ confitendo projiciunt, quam poſt confeſſionem dum repetunt, re- „ ſumunt. Sus vero in volutabro luti cum lavatur, ſordidior red- „ ditur. Et qui admiſſa plangit, nec tamen deſerit, pœnæ gra- „ vioris culpæ ſe ſubjicit: quia & ipſam quam flendo potuit im- „ petrare veniam contemnit, & quaſi in lutoſa aqua ſemetipſum „ volvit, quia dum fletibus ſuis vitæ munditiam ſubtrahit, ante „ Dei oculos ſordidas ipſas etiam lacrymas facit ... At contra ... „ ſunt qui admiſſa deſerunt, nec tamen plangunt; ne jam relaxa- „ tas æſtiment culpas, quas etſi agendo non multiplicant, nullis „ tamen fletibus mundant. Neque enim ſcriptor, ſi a ſcriptione „ ceſſaverit, quia alia non addidit, etiam illa quæ ſcripſerat dele- „ vit ... nec debitor abſolutus eſt, quia alia non multiplicat, niſi „ & illa quæ ligaverat, ſolvat. Ita & cum Deo delinquimus, ne- „ quaquam ſatisfacimus ſi ab iniquitate ceſſamus, niſi voluptates „ quoque quas dileximus, e contrario appoſitis lamentis inſequa- „ mur. Neque enim Deus noſtris cruciatibus paſcitur, ſed delicto- „ rum morbos medicamentis contrariis medetur, ut qui voluptati- „ bus delectati diſceſſimus, fletibus amaricati redeamus: & qui per „ illicita defluendo cecidimus, etiam a licitis noſmetipſos reſtrin- „ gendo, ſurgamus: & cor quod inſana lætitia inſuderat, ſalubris „ triſtitia exurat: & quod vulneraverat elatio ſuperbiæ, curet ab- „ jectio humilis vitæ “.

De Cenſuris.

„ Sub magno moderamine, ſcribit S. Gregorius, Paſtores Eccleſiæ „ vel ſolvere ſtudeant, vel ligare (*d*). Sed utrum juſte, an injuſte „ obliget Paſtor, Paſtoris tamen ſententia gregi timenda eſt: ne is „ qui ſubeſt, & injuſte forſitan ligatur, ipſam obligationis ſuæ ſen- „ tentiam ex alia culpa mereatur. Paſtor ergo vel abſolvere indi- „ ſcrete timeat, vel ligare. Is autem qui ſub manu Paſtoris eſt, „ ligari timeat vel injuſte: nec Paſtoris ſui judicium temere repre- „ hendat: ne etſi injuſte ligatus eſt, ex ipſa tumidæ reprehenſionis „ ſuperbia, culpa quæ non erat, fiat “. Hinc non ſemel injuſte cenſuris ligatos abſolvit, ut videre eſt in epiſtola ad Magnum Preſbyterum Eccleſiæ Mediolanenſis, cui ſic ſcribit: „ Sicut (*e*) exi- „ gente

(a) *Ibid. hom.* 34. *n.* 15. *Ed. M. T.* 1. *V. T.* 5. *p.* 321.
(b) 2. *Pet.* 22.
(c) *Reg. Paſt.* 3. *p. c.* 30. *Ed. M. T.* 2. *V. T.* 4. *p.* 94. *& ſeq.*
(d) *In Evang. l.* 2. *h.* 26. *n.* 6. *Ed. M. T.* 1. *V. T.* 5. *p.* 268.
(e) *Epiſt. l.* 3. *ep.* 26. *Ed. M. T.* 2. *V. T.* 7. *p.* 183.

„ gente culpa quis a Sacramento communionis digne abigitur, ita „ insontibus nullo modo talis debet irrogari vindicta. Comperimus „ siquidem, quod Laurentius quondam frater & coepiscopus no„ster nullis te culpis extantibus communione privaverit: ideoque „ hujus præcepti nostri auctoritate munitus, officium tuum securus „ perage, & communionem sine aliqua sume formidine".

S.GREG. M.

De sacris Ordinationibus, & Clericorum residentia.

Ordinis sacri nomine designantur etiam minores Ordines, ut patet in Clerico a dæmonio per S. Benedictum liberato (*a*), ea lege ut ad sacrum Ordinem numquam accedere præsumeret; qui tamen cum ad minores accedere post multos annos præsumpsisset, mox eum is qui reliquerat diabolus tenuit. Subdiaconatus inter sacros Ordines minime numerabatur ævo S. Gregorii (*b*). Indicta tamen per ipsum S. Gregorium imposterum illi lege continentiæ, unde scribit: „ A præsenti die Episcopis omnibus dicatur, ut nullum „ Subdiaconum facere præsumant, nisi qui se victurum caste pro„miserit . . . . Eos vero qui post prohibtionem factam se a suis „ uxoribus continere noluerint, nolumus pervenire ad sacrum „ Ordinem: quia nullus debet ad ministerium altaris accedere, nisi „ cujus castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata". Semel ordinatos iterum ordinare non licet, sicut nec baptizatos iterum baptizare (*c*). Unde scribit: „ Illud autem quod di„citis, ut is qui ordinatus est, iterum ordinetur, valde ridicu„lum est . . . Absit autem a Fraternitate vestra sic facere. Sicut „ enim baptizatus semel, iterum baptizari non debet: ita qui „ consecratus est semel, in eodem iterum ordine non valet conse„crari. Sed si quis forsitan cum levi culpa ad Sacerdotium ve„nit, pro culpa pœnitentia indici debet, & tamen ordo serva„ri". Addictus Ecclesiæ Romanæ servitio Clericus ad aliam Ecclesiam revocari non poterat, ut apparet ex D. Gregorio ad Eliam Abbatem Isauriæ sic scribente: „ Dilectissimum (*d*) filium meum „ Epiphanium Diaconum quia huic Ecclesiæ Diaconatu interve„niente ligavimus, Sanctitatem tuam non debet contristare, quod „ S. Petro Apostolorum Principi . . . per filium tuum ipse deser„vias". Jubet (*e*) ne Episcopi, bigamum „ aut qui virginem non „ est sortitus uxorem, ad sacros Ordines permittat accedere, sicut „ & ignorantes literas, vel in qualibet parte corporis vitiatum, „ vel pœnitentem, vel cuilibet conditioni obnoxium, sicut & in„cognitos, & peregrinos". Quibus addit & nimium juvenes; scribit enim Adeodato Numidiæ Primati (*f*): „ Ad sacros Ordines „ nisi provectiores ætate, & mundos opere nullatenus admittatis". Et

---

(a) *Dial. l. 2. c. 16. Ed. M. T. 2. V. T. 6. p. 134.*
(b) *Epist. l. 1. ep. 44. Ed. M. T. 2. V. T. 7. p. 59.*
(c) *Ibid. l. 2. ep. 46. Ed. M. T. 2. V. T. 7. p. 143.*
(d) *Ibid. l. 5. ep. 38. Ed. M. T. 2. V. T. 7. p. 318.*
(e) *Ibid. l. 2. ep. 37. Ed. M. T. 2. V. T. 7. p. 134.*
(f) *Ibid. l. 3. ep. 49.*

[redacted] S. Greg. M. Et in epiſtola ad Neapolitanos (*a*) fœneratores a ſacris Ordinibus repellit. Abuſum compeſcit, quo laici ad Epiſcopatum ſtatim aſſumebantur, ſcribens Childeberto Francorum Regi (*b*): „ Pervenit ad nos, obeuntibus Epiſcopis, quoſdam ex Laicis tonſurari, „ atque ad Epiſcopatum præcipiti ſaltu conſcendere; & qui diſcipulus non fuit, inconſiderata ambitione magiſter efficitur . . . . „ Talis enim paſtor non munit gregem, ſed decipit". Hinc etiam jubet & indicit Clero, & Plebi Hortonæ, ut provideant ante omnia (*c*), ne cujuslibet vitæ vel meriti laicam perſonam ad Epiſcopatum præſumant eligere, & non ſolum ille ad Epiſcopatus apicem nulla ratione provehetur; verum etiam nulla interceſſione eos veniam promereri poſſe, ſed omnes, quos ex illis de laica perſona aſpirare conſtiterit, a communione alienos faciendos proculdubio noverint. Illos etiam inter Neophytos enumerat ſcribens (*d*) ad Virgilium Epiſcopum: „ Cum ad ſacros Ordines Paulus Apoſtolus Neophytum venire prohibeat, ſciendum nobis eſt, quia „ ſicut Neophytus tunc vocabatur, qui adhuc noviter erat plantatus in fide: ita nunc inter neophytos deputamus, qui adhuc „ novus eſt in ſancta converſatione". In electione Clericorum ſic inſtruit Etherium Epiſcopum Galliæ (*e*): „ Nihil in dandis „ Eccleſiaſticis ordinibus auri ſæva fames inveniat, nihil blandi„ menta ſurripiant, nil gratia conferat: honoris præmium vita „ ſit, provectus incrementum modeſtia: ut obtinente hujuſmodi „ obſervantia, & indignus qui præmiis quærit aſcendere judicetur, „ & digne cui bonum teſtimonium actio perhibet, honoretur". In Epiſcopis poſtulabat Gregorius, ut integrum Pſalterium memoriæ tenerent: quamobrem ab Epiſcopatu repulit Joannem Presbyterum (*f*) Pſalmorum neſcium.

De vita & converſatione Epiſcoporum. „ Quid de Epiſcopis (ſcribit S. Gregorius) qui verberibus timeri volunt (*g*), canones dicant, bene Fraternitas veſtra novit. „ Paſtores enim facti ſumus, non perſecutores . . . . Nova vero, „ atque inaudita eſt iſta prædicatio, quæ verberibus exigit fidem". Eleemoſynam erogare ita proprium dicit Epiſcopi (*h*), „ ut non „ ſibi credat ſolam lectionem & orationem ſufficere, ut remotus „ ſtudeat ſedere, & de manu minime fructificare; ſed largam ma„ num habeat, neceſſitatem patientibus concurrat, alienam ino„ piam ſuam credat; quia ſi hæc non habet, vacuum Epiſcopi „ nomen tenet". Epiſcopos præſertim exules ſive ob bellum, ſive

(a) *Ibid. l.* 10. *ep.* 62. *Ed. M. T.* 2. *V. T.* 8. *p.* 226.
(b) *Ibid. l.* 5. *ep.* 55. *Ed. M. T.* 2. *V. T.* 7. *p.* 342.
(c) *Ibid. l.* 4. *ep.* 41. *Ed. M. T.* 2. *V. T.* 7. *p.* 272.
(d) *Ibid. l.* 5. *ep.* 53. *Ed. M. T.* 2. *V. T.* 7. *p.* 338.
(e) *Ibid. l.* 11. *ep.* 56. *Ed. M. T.* 2. *V. T.* 8. *p.* 287.
(f) *Ibid. l.* 5. *ep.* 48. *Ed. M. T.* 2. *V. T.* 7. *p.* 333.
(g) *Ibid. l.* 3. *ep.* 53.
(h) *Ibid. l.* 6. *ep.* 30. *Ed. M. T.* 2. *V. T.* 7. *p.* 375.

five ob fidem hofpitio fufcipere debent & providere: quamobrem fcribit Epifcopis per Illyricum (*a*): „ Oportet vos. . . . fratres „ Coepifcopos noftros, quos captivitatis, diverfarumque neceffitatum anguftiæ comprimunt, confolandos convivendofque vobifcum „ in ecclefiafticis fuftentationibus libenter fufcipere". Apparet etiam ex epiftola ad Joannem Epifcopum Syracufanum (*b*), in more pofitum apud Epifcopos, ut in menfa facri libri legerentur. S.GREG. M.

Jam fuperius vidimus indictam a S. Gregorio Subdiaconis continentiam, & quidem hæc in Ecclefia Romana ufque a S. Leonis temporibus a Subdiaconis cuftodiebatur; at hæc difciplina non ubique tenebat, & præfertim in Sicilia. Jubet proinde ut impofterum nullus Subdiaconus fiat, nifi continentiam polliceatur. Vetat etiam Clericis cum mulieribus in una domo converfari; proinde fcribit: „ Si qui (*c*) Epifcoporum . . . cum mulieribus degunt, hoc omnino compefcas, & de cætero eas illic habitare nullo modo „ patiaris, exceptis eis quas facrorum canonum cenfura permittit, „ ideft matre, amita, germana, & aliis hujufmodi, de quibus prava non poffit effe fufpicio. Melius tamen faciunt, fi etiam a „ talium fe cohabitatione contineant. Nam legitur quod beatus „ Auguftinus nec cum forore fua habitare confenferit, dicens: *Quæ* „ *cum forore mea funt, forores meæ non funt*". Quamobrem Januario Calaritano Epifcopo fcribit: „ Archidiaconum (*d*) tuum, „ ut audio, cum mulieribus habitare prohibuifti, & nunc ufque in „ ea prohibitione defpiceris. Qui nifi juffioni tuæ paruerit, eum „ facro ordine volumus effe privatum. De Clericorum continentia & cœlibatu.

De Clericis vero incontinentibus fic præfato Epifcopo fcribens ftatuit: „ Pervenit ad nos (*e*), quofdam de facris ordinibus lapfos „ vel poft pœnitentiam, vel ante, ad minifterii fui officium revocari, quod omnino prohibuimus, & in hac re facratiffimi quoque canones contradicunt. Qui igitur poft acceptum ordinem „ lapfus in peccatum carnis fuerit, facro ordine ita careat, ut ad „ altaris minifterium ulterius non accedat . . . ideo provideri debet quales ordinentur, ut prius afpiciatur fi vita eorum continens „ in annis plurimis fuerit, fi ftudium lectionis, fi eleemofynæ amorem habuerint". In hac autem fervanda difciplina conftans femper fuit S. Gregorius, ut in ejus epiftolis videre eft, & præfertim dum Venantio Epifcopo Lunenfi fic fcribit: „ Statuimus (*f*) „ Diaconum & Abbatem de portu Veneris, quem indicas cecidiffe, ad facrum Ordinem non debere vel poffe ullo modo revocari. Quem quidem facro Ordine privatum in pœnitentiam deputa- Pœna in Clericos incontinentes.

(a) *Ibid. l.* 1. *ep.* 45. *Ed. M. T.* 2. *V. T.* 7. *p.* 65.
(b) *Ibid. l.* 7. *ep.* 9. *Ed. M. T.* 2. *V. T.* 7. *p.* 418.
(c) *Ibid. l.* 9. *ep.* 60. *Ed. M. T.* 2. *V. T.* 8. *p.* 99.
(d) *Ibid. l.* 4. *ep.* 26.
(e) *Ibid. l.* 4. *ep.* 26.
(f) *Ibid. l.* 5. *ep.* 3. *Ed. M. T.* 2. *V. T.* 7. *p.* 280.

S. GREG. M. „ putare te convenit . . . . Subdiaconi quoque, quos similis culpa „ constringit, ab officio suo irrevocabiliter depositi, inter laicos „ communionem accipiant ". Saturninum vero Expresbyterum, „ ut numquam ad sacrum Ordinis ministerium præsumat accedere, „ scriptis severe decrevimus ". Rigidiorem hanc disciplinam constantissime retinuit ejus successor Martinus Papa, qui sic Amando Trajectensi (apud Harduinum T. 3. Concil. pag. 946.) scribit: „ Nullatenus in hujusmodi peccato (carnis) delinquentibus ad de- „ structionem canonum compositionem exhibeas. Nam qui semel „ post suam ordinationem in lapsum ceciderit, deinceps jam de- „ positus erit, nullumque gradum Sacerdotii poterit adipisci, sed „ sufficiet ei lamentationibus, fletibusque assiduis quousque id vixe- „ rit in eadem pœnitentia perdurare, ut commissum delictum di- „ vina gratia extinguere valeat. Si enim tales quærimus ad sacros „ Ordines, quibus nulla ruga, nullumque vitæ contagium mentes „ & corpora præpediat, quanto magis si post ordinationem suam „ quisquam in lapsum ceciderit, & prævaricationis peccato depreben- „ datur obnoxius, omnino prohibendus est cum manibus lutulentis at- „ que pollutis mysterium nostræ salutis tractare? Sitque hujusmodi „ semper juxta sacrorum canonum statuta in hac vita depositus ".

De Matrimonio. De Matrimonii indissolubilitate sic docet S. Gregorius (*a*): „ Si dicunt Religionis causa conjugia debere dissolvi, sciendum „ est, quia etsi hoc lex humana concessit, divina lex tamen pro- „ hibuit. Per se enim Veritas dicit: *Quæ Deus conjunxit, homo* „ *non separet* (*b*). Quæ etiam ait: *Non licet dimittere uxorem*, „ *excepta causa fornicationis* (*c*). Quis ergo huic cælesti legisla- „ tori contradicat? Scimus quia scriptum est: *Erunt duo in car-* „ *ne una* (*d*). Si ergo vir & uxor una caro sunt, & religionis „ causa vir dimittit uxorem, vel mulier virum in hoc mundo re- „ manentem, vel etiam fortassis ad illicita migrantem; quæ est „ ista conversio, in qua una eademque caro & ex parte transit ad „ continentiam, & ex parte remanet in pollutione? Si vero utris- „ que conveniat continentem vitam ducere, hos quis audeat accu- „ sare, quando certum est quod omnipotens Deus qui minora con- „ cessit, majora non prohibuit? Duos germanos fratres singulas „ sorores accipere nequaquam in sacris eloquiis vetitum inveni- „ tur (*e*) ". Lege humana ac jure civili, concedentibus Arcadio, & Honorio, licita erant matrimonia inter consobrinos; at modo lex sacra vetat. Unde scribebat S. Gregorius: „ Quædam ter- „ rena (*f*) lex in Romana Republica permittit, ut sive fratris „ sive

---

(a) *Epist. l. 11. ep. 45. Ed. M. T. 2. V. T. 8. pag. 275.*
(b) *Matth. 19. 6.*
(c) *Ibid. v. 9.*
(d) *Genes. 2. 24.*
(e) *Ibid. l. 11. ep. 64. Ed. M. T. 2. V. T. 8. p. 298.*
(f) *Ibid. p. 299.*

„ five fororis, feu duorum fratrum germanorum, vel duarum foro- „ rum filius & filia mifceantur. Sed experimento didicimus, ex tali „ conjugio fobolem non poffe fuccrefcere. Et facra lex prohibet „ cognationis turpitudinem revelare. Unde neceffe eft ut jam ter- „ tia vel quarta generatio fidelium licenter fibi jungi debeat. Nam „ fecunda quæ diximus, a fe omnimodo debet abftinere ". Hoc tamen fcribit S. Gregorius conceffum Anglis „ ea intentione (a) „ ut poftquam firma radice in fide fuerint folidati . . . infra affi- „ nitatis limen, ideft ufque ad feptimam generationem conjungan- „ tur ". Cum cognata quoque mifceri prohibitum abfolute pronuntiat S. Pontifex, quia per conjunctionem priorem caro fratris facta eft. Docet vero (b) „ tunc folum conjuges in admixtione „ fine culpa effe, cum non pro explenda libidine, fed pro fufcipienda „ prole mifcentur ". Damnat quoque „ in conjugatorum (c) „ moribus invectam confuetudinem, ut mulieres filios quos gignunt „ nutrire contemnant, eofque aliis mulieribus ad nutriendum tradant. „ Quod videlicet ex fola caufa incontinentiæ videtur inventum: „ quia dum fe continere nolunt, defpiciunt lactare quos gignunt ". Illicitum etiam docet cum menftruata muliere commifceri, fubdens: „ Hæ itaque, quæ filios fuos . . . aliis ad nutriendum tra- „ dunt cum confuetis menftruis detinentur, viris fuis non debent „ admifceri, ita ut morte lex facra feriat, fi quis vir ad men- „ ftruatam mulierem accedat ".

S. GREG. M.

Quantum in honore habiti fint fancti viri, oftendit S. Pontifex fcribens: „ Fideles (d) qui de nullo fuo opere confidunt, ad fan- „ ctorum Martyrum protectionem currunt, atque ad facra eorum „ corpora fletibus infiftunt, promereri fe veniam eis intercedenti- „ bus, deprecantur ". Et ipfemet Gregorius Dominicum Epifcopum Africanum rogat, ut apud S. Cyprianum pro fe oret fcribens: „ Me (e) pro vobis apud facratiffimum B. Petri Apoftolorum „ Principis corpus, & vos pro me apud fanctum Cyprianum mar- „ tyrem orationibus decet incumbere ". Rufticianæ vero Patritiæ fcribit: „ Ea quæ (f) ex puriffimo finceriffimoque corde bea- „ to Petro Apoftolorum Principi munera tranfmififtis, præfente omni „ clero fufcepta, atque illic fufpenfa funt . . . . Habet hæc ipfa „ veftra oblatio apud omnipotentem Deum vocem fuam. In ejus „ enim pietate confido, quia cujus corpus vos cooperuiftis in ter- „ ra, ejus vos interceffio ab omnibus peccatis protegat in cælo: „ omnemque domum veftram fua provifione reget, & fua vigilan- „ tia cuftodiet ". In homilia habita in Ecclefia SS. Martyrum Pro-

De cultu Sanctorum eorumque miraculis.

(a) *Ibid. l. 14. ep. 17.*
(b) *Mor. l. 32. n. 39. Ed. M. T. 1. V. T. 3. p. 334.*
(c) *Epift. l. 11. ep. 64. Ed. M. T. 2. V. T. 8. p. 302.*
(d) *Mor. l. 16. n. 64. Ed. M. T. 1. V. T. 2. p. 165.*
(e) *Epift. l. 6. ep. 19. Ed. M. T. 2. V. T. 7. p. 361.*
(f) *Ibid. l. 11. ep. 44. Ed. M. T. 2. V. T. 8. p. 268.*

S. GREG. M.

Processi & Martiniani de ipsis sic prædicat: „ Ad sanctorum martyrum corpora (*a*) consistimus . . . Numquid isti carnem suam in mortem darent, nisi eis certissime constitisset esse vitam pro qua mori debuissent? Et ecce quia ita crediderunt, miraculis coruscant. Ad extincta namque eorum corpora, viventes ægri veniunt & sanantur; perjuri veniunt & a dæmonio vexantur, dæmoniaci veniunt & liberantur ".

De Sanctorum Reliquiis.

Ex S. Gregorii epistolis apparet morem fuisse Romanæ, immo & totius Occidentalis Ecclesiæ Sanctorum corpora minime tangere, vel eorum aliquam partem auferre. Unde Constantinæ Augustæ sic scribit: „ Romanis (*b*) consuetudo non est, quando Sanctorum reliquias dant, ut quidquam tangere præsumant de corpore, sed tantummodo in pyxide brandeum mittitur (idest pannum vel velamen), atque ad sacratissima corpora Sanctorum ponitur. Quod levatum in Ecclesia, quæ est dedicanda, debita cum veneratione reconditur; & tantæ per hoc ibidem virtutes fiunt, ac si illuc specialiter eorum corpora deferantur. Unde contigit ut beatæ recordationis Leonis Papæ temporibus, sicut a majoribus traditur, dum quidam Græci de talibus reliquiis dubitarent, prædictus Pontifex hoc ipsum brandeum allatis forficibus inciderit, & ex ipsa incisione sanguis effluxerit ". Plura etiam in eadem epistola narrat portenta visa, dum corpora SS. Apostolorum Petri & Pauli volebant quidam aspicere, vel partem auferre. Ideo solebant Romani Pontifices de catenis, quas ipsi sancti Apostoli in collo & manibus gestarunt, partem transmittere, si tamen limando eam tollere poterant. „ Quia (ut scribit in laudata epistola S. Gregorius) dum frequenter ex catenis eisdem multi venientes benedictionem petunt, ut parvum quid ex limatura accipiant, assistit Sacerdos cum lima; & aliquibus petentibus ita concite aliquid de catenis ipsis excutitur, ut mora nulla sit. Quibusdam vero petentibus, diu per catenas ipsas ducitur lima, & tamen ut aliquid exinde exeat, non obtinetur ".

De Purgatorio.

Purgatorii loci existentiam confitetur, & probat S. Pontifex scribens: „ Qualis (*c*) hinc quisque egreditur, talis in judicio præsentatur. Sed tamen de quibusdam levibus culpis esse ante judicium purgatorius ignis credendus est, pro eo quod Veritas dicit, quia si quis in sancto Spiritu blasphemiam dixerit, neque in hoc sæculo remittetur ei, neque in futuro. In qua sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam vero in futuro posse laxari . . . Sed tamen . . . hoc de parvis minimisque peccatis fieri posse credendum est, sicut est assiduus otiosus sermo, immoderatus risus . . . in eo qui bonis hoc actibus in hac vita adhuc positus ut illic obtineat promeruerit ".

Hinc

(a) *In Evang. l. 2. h. 32. n. 6. Ed. M. T. 1. V. T. 5. p. 303.*
(b) *Epist. l. 4. ep. 30. Ed. M. T. 2. V. T. 7. p. 257.*
(c) *Dial. l. 4. c. 39. Ed. M. T. 2. V. T. 6. p. 324.*

Hinc infert: „ Hoc prodeſt (*a*) mortuis ſi in Eccleſia ſepelian- S. Greg. M.
„ tur, quod eorum proximi quoties ad eadem ſacra loca conve-
„ niunt, ſuorum, quorum ſepulchra conſpiciunt, recordantur, &
„ pro eis Domino preces fundunt “. Miſſam quoque defunctis
prodeſſe docet ſcribens „ de quodam Presbytero (*b*), qui hebdo-
„ mada continua ſe pro defuncto lacrymis afflixit, ſalutarem ho-
„ ſtiam quotidie obtulit, & reverſus poſt ad balneum (ubi poſt
„ mortem in pœnam deputatus fuerat) eum minime invenit.
„ Qua ex re quantum proſit animabus immolatio ſacræ oblatio-
„ nis oſtenditur, quando hanc & ipſi mortuorum ſpiritus a viven-
„ tibus petunt, & ſigna indicant quibus per eam abſoluti videan-
„ tur “.

„ Quod ante adventum (ſcribit S. Gregorius) Mediatoris Dei De locis Inferni.
„ & hominis (*c*), omnis homo quamvis mundæ probatæque vitæ
„ fuerit, ad Inferni clauſtra deſcenderit, dubium non eſt: quo-
„ niam homo, qui per ſe cecidit, per ſe ad paradiſi requiem re-
„ dire non potuit, niſi veniret ille, qui ſuæ incarnationis myſte-
„ rio ejuſdem nobis paradiſi iter aperiret . . . Nec tamen juſto-
„ rum animas ad Infernum dicimus deſcendiſſe, ut in locis pœnali-
„ bus tenerentur. Sed eſſe ſuperiora Inferni loca, eſſe alia infe-
„ riora credenda ſunt: ut & in ſuperioribus juſti requieſcerent, &
„ in inferioribus injuſti cruciarentur. Unde & Pſalmiſta propter
„ prævenientem ſe Dei gratiam dicit: *Eripuiſti animam meam ex*
„ *inferno inferiori* (*d*). Et beatus Job ante Mediatoris adventum
„ ad infernum ſe deſcendere ſciens, conditoris ſui illic protectio-
„ nem poſtulat: ut a locis pœnalibus alienus exiſtat “. Viſione
tamen beatifica caruiſſe docet, & prædicat ſcribens: „ Priores San-
„ cti (*e*) & ſuſtinere adverſa poterant, & tamen e corporibus e-
„ ducti, adhuc ab Inferni locis liberari non poterant: quia nec-
„ dum venerat, qui illuc ſine culpa deſcenderet, ut eos, qui ibi
„ tenebantur ex culpa, liberaret . . . Et quia in ipſis quoque In-
„ ferni locis juſtorum animæ ſine tormento tenebantur, ut & pro
„ originali culpa adhuc illuc deſcenderent, & tamen ex propriis
„ actibus ſupplicium non haberent, . . . Grave etenim electis tæ-
„ dium fuit, poſt ſolutionem carnis, adhuc ſpeciem non videre
„ Creatoris “. Reprobos vero æterno & corporali igne torqueri
affirmat, dum ſcribit: „ Gehennæ ignis (*f*), cum ſit corporeus,
„ in ſe miſſos reprobos corporaliter exurit, nec ſtudio humano
„ ſuccenditur, nec lignis nutritur: ſed creatus ſemel durat inextin-
„ guibilis, & ſucceſſione non indiget, & ardore non caret . . . .
„ Ut ergo Sacra eloquia, ardere & exterius & interius reprobos

(a) *Ibid. c.* 50. (b) *Ibid. c.* 55.
(c) *Mor. l.* 12. *n.* 13. *Ed. M. T.* 1. *V. T.* 2. *p.* 36.
(d) *Pſal.* 85. 12.
(e) *Mor. l.* 13. *n.* 49. *Ed. M. T.* 1. *V. T.* 2. *p.* 73.
(f) *Ibid. l.* 15. *n.* 35. *Ed. M. T.* 1. *V. T.* 2. *p.* 122.

S. GREG. M. „ demonſtrarent, eos & ab igne devorari, & ſicut clibanum poni „ teſtantur, ut per ignem crucientur in corpore, & per dolorem „ ardeant in mente ".

De pœnarum æternitate. Pœnarum æternitatem prædicat S. Gregorius ſcribens: „ Conſtat „ (*a*) nimis, & incunctanter verum eſt, quia ſicut finis non eſt „ gaudio bonorum, ita finis non erit tormento malorum ". Oppoſitum autem putantes, vel potius ſibi falſo perſuadere conantes invicte refellit: „ Si quandoque (*b*) finienda ſunt ſupplicia reproborum, quandoque finienda ſunt ergo & gaudia beatorum. Per „ ſemetipſam namque Veritas dicit: *Ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam* (*c*). Si igitur hoc verum „ non eſt quod minatus eſt, neque illud verum quod promiſit. At „ inquiunt: Ideo æternam pœnam peccantibus minatus eſt, ut eos „ a peccatorum perpetratione compeſceret, quia creaturæ ſuæ æterna ſupplicia minari debuit, non inferre. Quibus citius reſpondemus: Si falſa minatus eſt, ut ab injuſtitia corrigeret, etiam falſa pollicitus eſt, ut ad juſtitiam provocaret. Et quis hanc eorum veſaniam toleret, qui dum promiſſionibus ſuis reproborum „ ſupplicia finiri aſſerunt, aſſertione ſua etiam electorum præmia „ remunerationeſque confundunt? Quis hanc eorum veſaniam toleret, qui conantur adſtruere verum non eſſe quod Veritas de æterno igne minata eſt, & dum ſatagunt Deum perhibere miſericordem, non verentur prædicare fallacem? At inquiunt: Sine fine „ (*d*) puniri non debet culpa cum fine. Juſtus nimirum eſt omnipotens Deus, & quod non æterno peccato commiſſum eſt, æterno non debet puniri tormento. Quibus citius reſpondemus, quod „ recte dicerent, ſi judex juſtus diſtrictuſque veniens, non corda „ hominum, ſed facta penſaret. Iniqui enim ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Voluiſſent quippe ſine fine vivere, ut ſine fine potuiſſent in iniquitatibus permanere. Nam „ magis appetunt peccare, quam vivere: & ideo hic ſemper vivere cupiunt, ut nunquam deſinant peccare, quum vivunt. Ad diſtricti ergo judicis juſtitiam pertinet, ut nunquam careant ſupplicio, quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato .... At inquiunt (*e*): Nullus juſtus crudelitatibus paſcitur, „ & delinquens ſervus a juſto Domino idcirco cædi præcipitur, ut „ a nequitia corrigatur .... Et quia certum eſt quod pius, atque „ omnipotens Deus non paſcitur cruciatibus iniquorum, cur cruciantur miſeri, ſi non expiantur? Quibus citius reſpondemus, „ quod omnipotens Deus quia pius eſt, miſerorum cruciatu non „ paſcitur: quia autem juſtus eſt, ab iniquorum ultione in perpetuum non ſedatur. Sed iniqui omnes æterno ſupplicio, & quidem

(a) *Dial. l. 4. c. 44. Ed. M. T. 2. V. T. 2. p. 331.*
(b) *Moral. l. 34. n. 35. Ed. M. T. 1. V. T. 3. p. 399. & ſeq.*
(c) *Matth. 25. 46.* (d) *Ibid. n. 36.*
(e) *Ibid. n. 37.*

„ dem sua iniquitate puniuntur; & tamen ad aliquid concremantur, scilicet ut justi omnes & in Deo videant gaudia quæ percipiunt, & in istis respiciant supplicia quæ evaserunt: ut tanto in æternum magis divinæ gratiæ debitores se esse cognoscant, quanto in æternum mala puniri conspiciunt, quæ ejus adjutorio vitare potuerunt. At inquiunt (*a*): Et ubi est quod Sancti sunt, si pro inimicis suis, quos tunc ardere viderint, non orabunt, quibus utique dictum est: *Pro inimicis vestris orate* (*b*)? Sed citius respondemus: Orant pro inimicis suis eo tempore, quo possunt ad fructuosam pœnitentiam eorum corda convertere, atque ipsa conversione salvare .... Et quomodo pro illis tunc orabitur, quando jam nullatenus possunt ad justitiæ opera ab iniquitate commutari? Eadem itaque causa est cur non oretur tunc pro hominibus æterno igne damnatis, quæ nunc etiam causa est, ut non oretur pro diabolo & Angelis ejus æterno supplicio deputatis. Quæ nunc etiam causa est, ut non orent sancti homines pro hominibus infidelibus impiisque defunctis, qui de eis utique quos æterno deputatos supplicio jam noverunt, ante illum judicis justi conspectum orationis suæ meritum cassari refugiunt (1)".

S.Greg. M.

De prædestinatione & reprobatione.

Gratuitam prædestinationem prædicat D. Gregorius scribens: „ Nemo ut divina (*c*) illum gratia subsequatur, prius aliquid contulit Deo .... Nemo erga Deum meritis prævenit, ut tenere eum quasi debitorem possit: sed miro modo æquus omnibus conditor & quosdam prælegit, & quosdam in suis pravis moribus juste derelinquit. Nec tamen (*d*) electis suis pietatem sine justitia exhibet, quia hic eos duris afflictionibus premit: nec rursum reprobis justitiam sine misericordia exercet, quia hic æquanimiter tolerat, quos quandoque in perpetuum damnat. Si ergo & electi prævenientem se gratiam sequuntur, & reprobi juxta quod merentur, accipiunt; & de misericordia inveniunt electi quod laudent, & de justitia non habent reprobi quod accusent. Bene itaque dicitur: *Quis ante dedit mihi, ut reddam ei?* Ac si aperte diceretur: Ad parcendum reprobis nulla ratione compellor; quia eis debitor ex sua actione non teneor. Idcirco enim nequaquam cælestis patriæ præmia percipiunt; quia ea nunc dum promereri poterant, ex libero arbitrio contempserunt. Quod videlicet liberum arbitrium in bono formatur electis, cum eorum mens a terrenis desideriis gratia aspirante suspenditur.

T 2 „ Bo-

(a) *Ibid. n.* 38. (b) *Matth.* 5. 44.

(1) Solus hic locus sufficit ad explodendam fabellam de Trajano ab Inferni pœnis Gregorii precibus liberato, quam referunt Paulus, & Joannes Diaconi in ejus vita, quam post duo sæcula scripsere, & in qua & ipsi de veritate narrationis ambigere confitentur.

(c) *Moral. lib.* 33. *n.* 38. *Ed. M. T.* 1. *Ven. T.* 3. *p.* 367.

(d) *Ibid. n.* 39.

S.GREG. M.

„ Bonum quippe (*a*) quod agimus & Dei eſt, & noſtrum; Dei „ per prævenientem gratiam: noſtrum per obſequentem liberam „ voluntatem. Si enim Dei non eſt, unde ei gratias in æternum „ agimus? Rurſum ſi noſtrum non eſt, unde nobis retribui præmia „ ſperamus? Quia ergo non immerito gratias agimus, ſcimus quod „ ejus munere prævenimur: & rurſum, quia non immerito retri„ butionem quærimus, ſcimus quod obſequente libero arbitrio bo„ na elegimus, quæ ageremus ". Gratuitam vero electionem ad gloriam oſtendit exemplo boni latronis, ſcribens: „ Hominis meri„ tum (*b*) ſuperna gratia non ut veniat, invenit: ſed poſtquam „ venerit facit: atque & ad indignam mentem veniens Deus, di„ gnam ſibi exhibet veniendo; & facit in ea meritum, quod re„ muneret, qui hic ſolum invenerat, quod puniret. Libet (*c*) ... „ mentis oculos ad illum latronem reducere, qui de fauce diaboli „ aſcendit crucem, de cruce paradiſum .... Venit reus fraterno „ ſanguine, venit cruentus, ſed interna gratia eſt mutatus in cru„ ce .... Ille qui talis ad crucem venit ex culpa, ecce qualis a „ cruce recedit ex gratia. Confitebatur Dominum, quem videbat „ ſecum humana infirmitate morientem, quando negabant Apoſto„ li eum, quem miracula viderant divina virtute facientem ".

Fatetur tamen prædeſtinationem eſſe incomprehenſibile myſterium, non curioſe inveſtigandum, ſed fide credendum. Sic enim ſcribit: „ Incomprehenſibilitatem (*d*) divini judicii humanæ mentis ocu„ lus nullatenus penetrat. Scriptum quippe eſt: *Judicia tua abyſ„ ſus multa* (*e*). Nemo ergo perſcrutari appetat, cur cum alius „ repellitur, alius eligatur: vel cur cum alius eligitur, alius re„ pellatur: quia ſuperficies abyſſi conſtringitur, & atteſtante Pau„ lo: *Inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus* „ (*f*) ". Rurſum: „ Ordinem cæli (*g*) noſſe, eſt ſupernarum „ diſpoſitionum occultas prædeſtinationes videre .... Quod utique „ facere in hac vita poſitus nullus poteſt ... Nam quis intelligat, „ cur .... alius male inchoans, uſque ad vitæ ſuæ terminum ad „ pejora protrahitur: alius bene incipiens per longitudinem tempo„ rum proficit ad augmenta meritorum? At contra, alius male vi„ vens diu reſervatur, ut ſe corrigat: alius vero bene quidem vi„ detur vivere, ſed in hac vita eo uſque durat, quoad in perverſa „ prorumpit .... Alius celſitudinem bene vivendi appetere & vult, „ & valet: alius valet, & non vult. Quis ergo iſta judiciorum „ cæleſtium ſecreta diſcutiat?

De concordia gratiæ & liberi arbitrii.

Sic libertatem cum gratia conciliat D. Gregorius ſcribens: „ Il„ lum

(a) *Ibid. n.* 40.
(b) *Ibid. lib.* 18. *n.* 63. *Edit. M. T.* 1. *Ven. T.* 2. *p.* 226.
(c) *Ibid. n.* 64.
(d) *Ibid. lib.* 29. *n.* 57. *Edit. M. T.* 1. *V. T.* 3. *p.* 214.
(e) *Pſal.* 35. 7. (f) *Rom.* 11. 13.
(g) *Ibid. n.* 77. *p.* 223.

„ lum (*a*) in extremo examine justitia æterni judicis salvat, quem
„ hic ejus pietas ab immundis operibus liberat .... Superna ergo S. GREG. M.
„ pietas prius agit in nobis aliquid sine nobis, ut subsequente quo-
„ que nostro libero arbitrio, bonum quod jam appetimus, agat no-
„ biscum: quod tamen per impensam gratiam in extremo judicio
„ ita remunerat in nobis, ac si solis processisset ex nobis. Quia
„ enim divina nos bonitas, ut innocentes faciat, prævenit, Paulus
„ ait: *Gratia autem Dei sum id quod sum* (*b*). Et quia eam-
„ dem gratiam nostrum liberum arbitrium sequitur, adjungit: *Et*
„ *gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus*
„ *laboravi*. Qui dum se de se nihil esse conspiceret, ait: *Non au-*
„ *tem ego*. Et tamen quia se esse aliquid cum gratia invenit, ad-
„ junxit: *Sed gratia Dei mecum*. Non autem diceret, *mecum*, si
„ cum præveniente gratia subsequens liberum arbitrium non habe-
„ ret .... Munditia itaque manuum suarum innocens salvabitur:
„ quia qui hic prævenitur dono ut innocens fiat, cum ad judicium
„ ducitur, ex merito remuneratur ".

Pluribus in locis, & præsertim in suis epistolis simoniam infe- De Simonia.
ctatur, & quot modis fiat, explicat scribens: „ Præsciebat (*c*)
„ enim nonnullos hoc ipsum donum accepti Spiritus in usum ne-
„ gotiationis inflectere ..... Sed sunt nonnulli, qui quidem num-
„ morum præmia ex ordinatione non accipiunt, & tamen sacros
„ ordines pro humana gratia largiuntur ..... Unde bene cum ju-
„ stum virum describeret Propheta, ait: *Qui excutit manus suas*
„ *ab omni munere* (*d*). Neque enim dicit: *Qui excutit manus*
„ *suas a munere*; sed adjunxit, *ab omni*: quia aliud est munus ab
„ obsequio, aliud munus a manu, aliud munus a lingua. Munus
„ quippe ab obsequio, est subjectio indebite impensa: munus a
„ manu, pecunia est: munus a lingua, favor. Qui ergo sacros
„ ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in
„ divinis rebus non solum nullam pecuniam, sed etiam humanam
„ gratiam non requirit ".

(a) *Ibid. lib. 16. n. 30. Edit. M. T. 1. Ven. Tom. 2. p. 151.*
(b) *1. Cor. 15. 10.*
(c) *In Evang. lib. 1. hom. 4. n. 4. Ed. M. T. 1. Ven. T. 5. p. 156.*
(d) *Isai. 33. 15.*

S.GREG. M.

ARTICULUS QUARTUS.

Selectiora S. Gregorii M. Papæ Ascetica Vitæ documenta.

Flagella utilia. I. OMnis filius, qui a Deo recipitur, flagellatur, quo malis præsentibus durius deprimor, eo de æternis certius præsumptione respiro. (*Epist. ad Leand. Episc. in Exposit. Lib. Job*, *cap.* 5. *Ed. Venet.*).

Lectio spiritualis. II. In nobismetipsis namque debemus transformare quod legimus, ut cum per auditum se animus excitat, ad operandum quod audierat, vita concurrat. (*Lib. I. Mor. Expos. in Job*, *cap.* 24. *pag.* 28.).

Conscientia portus quietis. III. Pia mens cum se adversa ab hominibus perpeti conspicit, in divinæ gratiæ consolatione requiescit; cumque tentationum procellas increscere extrinsecus viderit, secessum spei Dominicæ appetens intra conscientiæ portum fugit. (*Ibidem Lib.* 2. *cap.* 4. *p.* 48.).

Patientia in tribulatione. IV. Cum in hac vita ea, quæ nolumus, patimur, necesse est, ut ad eum, qui injustum velle nihil potest, studia nostræ voluntatis inclinemus. Magna quippe est consolatio in eo, quod displicet, quod illo ordinante erga nos agitur, cui nonnisi justum placet. Si igitur justa Deo placere scimus: pati autem nulla, nisi quæ Domino placuerint, possumus, justa sunt cuncta, quæ patimur, & valde injustum est, si de justa passione murmuramus. (*Ibid. cap.* 18. *pag.* 51.).

Judicii dies timendus. V. *Maledictus homo*, *qui facit opus Dei negligenter*. Ad hoc vero ista proficiunt, ut ante terribilis judicis subtile, atque incomprehensibile examen, non solum mala, quæ commisimus, sed ipsa etiam, si qua in nobis sunt bene gesta, timeamus: quia sæpe in justo judicio culpa esse deprehenditur, quod virtus ante judicium putatur, & unde expectatur pia merces operis, inde supplicium justæ sequitur ultionis. (*Lib.* 3. *cap.* 13. *pag.* 83.).

Piorum justa judicia. VI. At contra hi, qui ad alta virtutum surgere veraciter appetunt, cum alienas culpas audiunt, mox cor ad proprias reducunt; & tanto rectius illas dijudicant, quanto verius istas deplorant. (*Ibid. cap.* 24. *pag.* 98.).

Peccata semper deflenda. VII. Plerumque autem jam mens quidem quod se perverse egisse meminit, deplorat; jam prave acta non solum deserit, sed amarissimis etiam lamentis punit: & tamen, dum eorum, quæ egit reminiscitur, graviter judicii pavore terretur. Tam se perfecte convertit, sed adhuc se perfecte in securitatem non erigit: quia dum quanta sit districtio extremi examinis pensat, inter spem, formidinemque sollicita trepidat: quia judex justus veniens, quid de perpetratis reputet, quid relaxet, ignorat. Nam quam prava commiserit, meminit; sed an commissa digne fleverit, nescit, ac ne culpæ

pæ immanitas modum pœnitentiæ transeat, metuit. (*Lib.* 4. *cap.* 36. *pag.* 137.).

S.GREG. M.

VIII. *Et circumdedit eum tenebris Deus*. Tenebris namque homo circumdatur; quia quamvis cælesti desiderio ferveat, quid de seipso sit dispositum intrinsecus, ignorat; & valde metuit, ne quid sibi in judicio obviet, quod se de se nunc in desiderio boni fervoris latet. Tenebris homo circumdatur; quia ignorantiæ suæ caligine premitur. An tenebris circumdatus non est, qui plerumque præteritorum non meminit, futura non invenit, præsentia vix cognoscit? Tenebris circumdatum se quidem sapiens viderat, cum dicebat: quæ in prospectu sunt, vix invenimus cum labore: & quæ in cælis sunt, quis investigabit? (*Lib.* 5. *cap.* 7. *p.* 144.). Tenebræ mentis quantæ.

IX. *Quis novit potestatem iræ tuæ?* Potestas quippe divinæ iræ nostra non potest mente comprehendi, quia ejus dispensatio, obscuris super nos dispositionibus, sæpe unde æstimatur deserere, inde nos recipit; & unde nos recipere creditur, inde derelinquit: ut plerumque hoc fiat gratia, quod ira dicitur, & hoc aliquando ira sit, quæ gratia putatur. (*Ibidem cap.* 10. *pag.* 145.). Iræ divinæ potestas.

X. *Quasi venas susurri sui aperit*, cum nobis Deus latenter insinuat, quibus modis ad nostræ intelligentiæ aurem venit. Aliquando enim nos amore, aliquando terrore compungit; aliquando præsentia, quæ nulla sint ostendit; & ad æterna dirigenda desiderium erigit; aliquando prius æterna indicat, ut post temporalia vilescant; aliquando nostra nobis mala aperit, & ad hoc nos usque, ut alienis etiam malis condoleamus, extendit. (*Ibidem cap.* 29. *pag.* 161.). Internæ gratiæ locutiones.

XI. Sed cum per contemplationem rapti, superna conspiciunt, ab ipsa aliquo modo præsumptionis suæ securitate liquescunt; & tanto magis in divino conspectu trepidant, quanto nec bona sua digna ejus examine, quem conspiciunt, pensant. (*Ibid. cap.* 32. *pag.* 165.). Timor justorum.

XII. Quisquis de persecutione murmurat, quid aliud quam justitiam ferientis accusat? Puriorem ergo se vir factore suo existimat, si contra flagellum querelam parat, eumque sibi procul dubio postponit, cujus judicium de sua afflictione redarguit .... In consideratione namque divinæ magnitudinis discitur, quam humiliter in sua animadversione timeatur; & qui superna degustat, inferiora æquanimiter tolerat; quia plene intus conspicit, quanti æstimet, quod foris agit. Male enim se rectum putat, qui regulam summæ rectitudinis ignorat. (*Ibid. cap.* 37. *p.* 170.). Dei flagella justa.

XIII. *Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit pravitatem; quanto magis hi, qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea?* Ac si aperte dicat: si præsentis vitæ viam illi sine contagione transire nequeunt, qui æterna cogitantes, se contra temporalia Nullus plene justus.

accingunt, quæ detrimenta illi sustinent, qui esse in carnalis habi-
S. GREG. M. tationis voluptatibus gaudent? *Qui enim serviunt ei, non sunt stabiles*, quia cum mens ad alta nititur, carnis suæ cogitatione dissipatur. (*Ibid. cap.* 38. *p.* 171.).

Tempus redimendum. XIV. *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Tempus quippe redimimus, quando anteactam vitam, quam lasciviendo perdimus, flendo reparamus. (*Ibid. cap.* 39. *p.* 172.).

Patientia necessaria. XV. Solerter animus ante actionis suæ primordia, cuncta debet adversa meditari: ut semper hæc cogitans, semper contra hæc thorace patientiæ munitus, & quidquid acciderit providus superet; & quidquid non accesserit lucrum putet. (*Ibidem cap.* 48. *pag.* 177.).

Modus servandæ mansuetudinis. XVI. Secundus servandæ mansuetudinis modus est, ut cum alienos excessus aspicimus, nostra quibus in aliis excessimus delicta cogitemus. Considerata quippe infirmitas propria, mala nobis excusat aliena. Patienter namque illatam injuriam tolerat, qui pie meminit quod fortasse adhuc habeat, in quo debeat ipse tolerari. (*Ibidem*).

Ira alia recta, alia prava. XVII. Alia est ira, quam impatientia excitat; alia, quam zelus justitiæ format: illa ex vitio, hæc ex virtute generatur. Si enim nulla ira ex virtute surgeret, divinæ animadversionis impetum tum Phinees per gladium non placasset. Hanc iram, quia Heli non habuit, motum contra se implacabiliter supernæ ultionis excitavit. Nam quo contra subditorum vitia tepuit, eo contra illum districtio æterni rectoris exarsit. De hac ira per Psalmistam dicitur: *Irascimini, & nolite peccare.* Quod nimirum non recte intelligunt, qui irasci nos nobis tantummodo, non etiam proximis delinquentibus volunt. Si enim sic proximos ut nos amare præcipimur, restat, ut sic eorum erratibus sicut nostris vitiis irascamur. (*Ibidem*).

Adversitates utiles. XVIII. *Et non erit, qui eripiat.* Illos quippe veritas ab æterna adversitate eripit, quos in temporalibus prosperis per disciplinam premit. Qui ergo nunc renuit premi, tunc non valet eripi; quia iniqui eum, quem per disciplinam negligunt habere patrem, afflictionis suæ tempore, per adjutorium non invenient ereptorem. (*Ibid. Lib.* 6. *cap.* 7. *p.* 185.).

Item. XIX. In eo, quod caro flagellis afficitur, mens ad appetenda altiora sublevatur. (*Ibid. cap.* 13. *p.* 187.).

Fidei mira credenda, non scrutanda. XX. Mira, quæ ex fide credenda sunt, perscrutanda per rationem non sunt; quia si hæc nostris oculis ratio expanderet, mira non essent. Sed cum in his fortasse animus titubat, necesse est, ut ea, quæ per usum novit, nec tamen per rationem colligit, ad memoriam reducat; quatenus rei similis argumento fidem roboret, quam labefactari sua sagacitate deprehendit. (*Ibid. cap.* 14. *pag.* 189.).

Conformes divinæ voluntatis simus. XXI. Restat ergo, ut in cunctis, quæ agimus, vim supernæ voluntatis inquiramus; cui videlicet cognitæ, debet nostra actio devote

vote famulari, & quasi ducem sui itineris prosequi, ne ei etiam nolens serviat, si hanc superbiens declinat. Vitari enim vis superni consilii nequaquam potest, sed magna sibi virtute hanc temperat, qui se sub ejus nutibus refrenat, ejusque se pondere levigat, qui hanc subjecto cordis humero volens portat. (*Ibid. cap.* 18. *pag.* 196.). S.Greg. M.

XXII. Torpens animus percussione tangitur, ut excitetur, quatenus qui statum suæ rectitudinis securus perdidit, afflictus consideret quo jacet. Hinc itaque ipsa asperitas correctionis, origo fit luminis. (*Ibid. cap.* 23. *pag.* 199.). Correctio licet aspera utilis.

XXIII. Corda nostra male sana sunt, cum nullo Dei amore sauciantur, cum peregrinationis suæ ærumnam non sentiunt, cum erga infirmitatem proximi, nec quamlibet minimo affectu languescunt, sed vulnerantur, ut sanentur, quia amoris sui spiculis mentes Deus insensibiles percutit, moxque eas sensibiles per ardorem caritatis reddit. (*Ibid. cap.* 25. *pag.* 200.). Cordis infirmitates.

XXIV. *Bis tinctus coccus* offerri præcipitur, ut videlicet ante interni judicis oculos, caritas nostra Dei, & proximi dilectione coloretur; quatenus conversa mens, nec sic pro amore Dei quietem diligat, ut curam proximi, utilitatemque postponat, nec sic pro amore proximi occupationi inserviat, ut quietem funditus deserens, ignem in se superni amoris extinguat. Quisquis ergo semetipsum Deo jam sacrificium obtulit, si perfecta desiderat, curet necesse est, ut non solum ad operationis se latitudinem, verum etiam ad culmina contemplationis extendat. (*Ibid. cap.* 37. *pag.* 207.). Operatio cum contemplatione.

XXV. Sed sciendum est, quia valde inter se diversæ sunt conspersiones animorum. Nonnulli namque hominum ita otiosæ mentis sunt, ut si eos labor occupationis excipiat, in ipsa operis inchoatione succumbant; & nonnulli ita inquieti sunt, ut si vacationem laboris habuerint, gravius laborent; quia tanto deteriores cordis tumultus tolerant, quanto eis licentius ad cogitationes vacat. Unde necesse est, ut nec quieta mens ad exercitationem se immoderati operis dilatet, nec inquieta ad studium contemplationis angustet. Sæpe qui contemplari Deum quieti poterant, occupationibus pressi ceciderunt; & sæpe qui occupati bene humanis usibus viverent, gladio suæ quietis extincti sunt. (*Ibidem*). Item.

XXVI. Sunt nonnulli, ut diximus, qui discrete intueri summa, & spiritalia nequaquam possunt, & tamen alta contemplationis assumunt, atque idcirco in perfidiæ foveam intellectus pravi errore dilabuntur. Hos itaque contemplativa vita ultra vires assumpta, cogit a veritate cadere, quos in statu suæ rectitudinis humiliter poterat sola activa continere ..... Cum ad contemplativam vitam idonea discretione non sufficis, solam securius activam tene. Cumque in hoc, quod pro magno eligis, deficis, eo contentus esto, quod pro minimo attendis; & si per contemplativam vitam a veritatis Contemplatio aliquibus noxia.

S. GREG. M. ritatis agnitione compelleris cadere; Regnum Cælorum per solam activam valeas saltem luscus intrare. (*Ibidem*).

Intentio in Deum dirigenda. XXVII. Si mens in Deum forti intentione dirigitur, quidquid sibi in hac vita amarum sit, dulce æstimat: omne quod affligit, requiem putat; transire, & per mortem appetit, ut obtinere plenius vitam possit: funditus extingui in infimis desiderat, quo verius ad summa conscendat. (*Ibid. Lib.* 7. *cap.* 15. *p.* 219.).

Electorum timor. XXVIII. Electi cum perpetrasse se illicita noverunt, sed perscrutantes inveniunt, quia nulla pro illis adversa perpessi sunt, in immensæ formidinis terrore tabescunt, pavore æstuant, sinistris agitati suspicionibus laborant: ne in æternum se gratia deseruerit, quos in præsenti vita mali sui retributio nulla castigat: timent ne ultio, quæ suspenditur, gravior in fine servetur: feriri paterna correctione desiderant, & dolorem vulneris medicamina salutis putant. (*Ibidem cap.* 19. *pag.* 220.).

Non declinandum a recta via. XXIX. Ecce enim reclusis domi vitulis, vaccæ quæ sub arca Domini plaustro religantur, gemunt, & pergunt, dant ab intimis mugitus, & tamen ab itinere non demutant gressus. Amorem quidem per compassionem sentiunt, sed colla posterius non deflectunt. Sic necesse est, ut incedere debeant, qui sacræ legis jugo suppositi, jam per internam scientiam Dei arcam portant, quatenus per hoc, quod propinquorum necessitatibus condolent, a cœpto rectitudinis itinere non declinent. (*Ibid. cap.* 30. *pag.* 232.)

Parum est quod finem habet. XXX. Recte dicitur: *Expectate paulisper*; quia & immensum est, quod sine termino sequitur, & parum est, quidquid finitur. Longum quippe nobis videri non debet, quod cursu sui temporis tendit, ut non sit: quod dum per momenta ducitur, ipsa hoc momenta sua, quæ differunt, impellunt: atque unde teneri cernitur, inde agitur, ne teneatur. (*Ibidem pag.* 233.)

Vita hominis tentatio. XXXI. Quietus homo possidere carnem potuit: si bene ab auctore conditus, possidere voluisset, cumque se erigere contra conditorem studuit, in semetipso protinus carnis contumelias invenit: sed quia cum culpa simul ab origine etiam pœna propagatur, inserto infirmitatis vitio nascimur, & quasi nobiscum hostem deducimus, quem cum labore superamus. Ipsa ergo hominis vita tentatio est, cui ex semetipsa nascitur, unde perimatur. Quæ etsi semper ex virtute succidit, quod ex infirmitate generat, semper tamen ex infirmitate generat, quod ex virtute succidat. Sic itaque humana vita tentatio est, ut etsi jam ab iniquitatis perpetratione compescitur, in ipsis tamen bonis operibus modo malorum memoria, modo seductionis caligine, modo intentionis suæ interruptione fuscetur. (*Ibid. Lib.* 8. *cap.* 6. *pag.* 244.)

Electis leves sunt pœnæ. XXXII. Electi quidem dum mundi hujus adversa patiuntur, cum inhonestates, contumelias, rerum damna, cruciatus corporis tolerant, esse gravia, quibus exercentur pensant; sed cum mentis o-

culum

culum ad æternæ patriæ considerationem tendunt, ex comparatione præmii, quam sit leve, quod patiuntur, inveniunt. Quod enim valde esse importabile ex dolore ostenditur, consideratione provida ex remuneratione levigatur. (*Ibid. cap.* 8. *pag.* 248.) S. Greg. M.

XXXIII. Nequaquam sic in eadem justitia inconcusse maneatur; quia etsi jam a cordis habitaculo culpam rectitudo eliminat, ipsa tamen culpa, quæ repellitur, cogitationis nostræ foribus astans, ut sibi aperiatur, pulsat. (*Ibid. cap.* 10. *pag.* 251.) De justitiæ amissione timendum.

XXXIV. Intuentur potentiam illius magnitudinis, & pensant quanto reatu constricti sunt propriæ infirmitatis. Enumerant mala proprii operis, & contra hæc exaggerant bona gratiæ conditoris. Considerant prava quam districte judicet, bona opera quam subtiliter penset, & perituros se absque ambiguitate præsciunt, si remota pietate judicentur; quia hoc ipsum quoque quod juste videmur vivere, culpa est, si vitam nostram cum judicat, hanc apud se divina misericordia non excusat. (*Ibid. cap.* 15. *pag.* 256.) Divinæ misericordiæ necessitas.

XXXV. Pavore divini judicii afflicti, dum quædam male gesta plangimus, ipsa vi nostræ amaritudinis ad discutiendos nos vigilantius excitati, alia in nobis etiam quæ amplius defleamus, invenimus. Nam sæpe quod torpentes latuit, flentibus subtilius innotescit: afflicta mens certius invenit malum, quod fecerat & nesciebat, eique rixæ sua verius aperit, quantum a veritatis pace deviavit; quia reatum suum, cujus secura non meminit, hunc in se commota deprehendit. Succrescens quippe amaritudo pœnitentiæ, verecundanti cordi importune ingerit illicita quæ commisit, districtum contra hæc judicem ostendit, suppliciorum minas incutit, pavore animam ferit, pudore confundit, motus illicitos increpat, quietem noxiæ securitatis turbat: quæ ei conditor bona contulit, quæ ipse bonis illius mala respondit, enumerat, quod mire ab eo conditus, quod gratuito nutritus, quod rationis substantia in conditione ditatus est, quod conditoris gratia vocatus, quod sequi ipse, & vocatus noluit, quod vocantis misericordia, nec surdum hunc, venientemque despexit, quod illuminatus donis, quod sua sponte pravis actibus etiam post dona cæcatus est, quod a cæcitatis suæ erroribus paternæ sollicitudinis flagellis expiatus, quod a flagellorum doloribus ad salutis gaudia misericordiæ medicamento reductus est, quod quibusdam culpis etsi non gravibus subditus, peccare tamen, & inter flagella non desinit, quod peccatorem suum superna gratia nec contempta dereliquit. (*Ibid. cap.* 22. *p.* 259.) Timor judiciorum Dei salutaris.

XXXVI. Notandum, quod *Deus postquam diluculo visitat, subito hominem probat*, quia & accedendo corda nostra ad virtutes provehit, & recedendo concuti tentatione permittit. Si enim post virtutum munera, nulla tentatione concutitur, has se habere animus ex semetipso gloriatur. Ut ergo & firmitatis dona habeat, & infirmitatem suam humiliter agnoscat, per accessum gratiæ ad Gratiæ accessus & recessus.

alta

S.GREG. M. alta sustollitur, & per recessum quid ex semetipso sit probatur. (*Ibid. cap. 19. p. 265.*)

Ægritudo spiritualis nunquam deest. XXXVII. Cumque inde molestias invenit, unde vitare molestias quæsivit, male sauciata, ut ita dixerim, de ipso suo medicamine languescit. Remotis ergo febribus cessantibusque doloribus ipsa nostra salus ægritudo est, cui curandi necessitas nunquam deest. Quot enim solatia ad vivendi usum quærimus, quasi tot nostræ ægritudini medicamentis obviamus? Sed ipsum quoque medicamen in vulnus vertitur, quia exquisito remedio paulo diutius inhærentes, ex eo gravius deficimus, quod provide ad refectionem paramus. Sic nimirum debet præsumptio corripi, sic superbia sterni: quia enim elatum semel sumpsimus spiritum, ecce defluens quotidie portamus lutum. Ipsa quoque mens nostra a secreti interioris securo gaudio exclusa, modo spe decipitur, modo pavore vexatur, modo dolore decipitur, modo falsa hilaritate relevatur, transitoria pertinaciter diligit, eorumque amissione incessanter atteritur, quia & incessanter cursu rapiente permutatur. Rebus autem mutabilibus subdita, & a semetipsa variatur. Nam quærens quod non habet, anxia percipit, cumque hoc habere cœperit, tædet hanc percepisse quod quæsivit. Amat sæpe quod desperat, despicit, quod amabat. Cum labore, quæ æterna sunt, discit, sed horum repente obliviscitur, si laborare desierit. Diu quærit, ut parum quid de summis inveniat; sed ad consueta citius relabens, nec parum in his, quæ invenerit, perseverat. Erudiri appetens, vix suam ignorantiam superat, sed eruditæ gravius contra scientiæ gloriam pugnat. Vix carnis suæ sibi tyrannidem subjicit; sed tamen adhuc intus culpæ suæ imaginem tolerat, cujus jam foris opera vincendo restrinxit. In auctoris sui inquisitione se erigit, sed reverberatam hanc corporearum rerum amica caligo confundit. (*Ibid. cap. 32. p. 268.*)

Contra hypocritas. XXXVIII. *Ecce dies venient, & auferentur omnia quæ in domo tua sunt in Babylonem: non relinquetur quidquam, dicit Dominus:* Sic nimirum hypocritæ postquam magnis virtutibus excrescunt, quia cavere malignorum spirituum insidias negligunt, & celari in eisdem virtutibus volunt, bona sua ostendendo, ostium faciunt; & prodentes subito amittunt, quidquid ditius studentes operantur . . . Hostes namque ad rapinam provocat, qui suas eorum notitiæ divitias denudat. Quousque enim ab æternæ patriæ securitate disjungimur, per latronum insidiantium iter ambulamus . . . Intus ergo sunt servanda, quæ agimus, si ab interno arbitrio vicem recipere nostri operis expectamus . . . . Occultanda sunt ergo, quæ agimus, ne hæc in hujus vitæ itinere incaute portantes, latrocinantium spirituum incursione perdamus. (*Ibid. cap. 48. p. 282.*)

Laus Dei, non propria quærenda in bono opere. XXXIX. Opus nostrum cum hominibus ostenditur, in cordis prius examinatione pensandum est, per ejusdem ostensionis studium quid quæratur. Si enim dantis gloriam quærimus, etiam publica nostra opera, in conspectu illius occulta servamus. Si vero per hæc nostram

ſtram laudem concupiſcimus, foras ab ejus conſpectu jam fuſa ſunt etiamſi a multis ignorentur: ſed valde perfectorum eſt, ſic oſtento opere auctoris gloriam quærere, ut de illata laude privata, neſciant exultatione gaudere. Tunc ſolum namque innoxie hominibus laudabile opus oſtenditur, cum per defectum mentis veraciter laus impenſa calcatur. Quam quia infirmi quique perfecte contemnendo non ſuperant, reſtat, neceſſe eſt, ut bonum hoc, quod operantur, abſcondant. Sepe enim ab ipſo oſtentationis exordio, propriam laudem quærunt, ſæpe vero in oſtentione operis, auctoris patefacere gloriam cupiunt, ſed exceptis favoribus, in laudis propriæ cupiditatem rapiuntur; cumque ſemetipſos dijudicare interius negligunt, ſparſi exterius ignorant, quod agunt, eorumque opus ſuæ elationi militat, atque hoc ſe impendere obſequio largitoris putant. (*Ibid. p.* 283.) S.GREG. M.

XL. Juſti nec oblata bona hic pro magno ſuſcipiunt, nec illata mala valde pertimeſcunt, ſed cum bonis præſentibus utuntur, ventura mala metuunt, & cum de malis præſentibus gemunt, bonorum ſequentium amore conſolantur; ſicque temporali refoventur ſubſidio, ſicut viator in ſtabulo utitur lecto, pauſat, & recedere feſtinat; quieſcit corpore, ſed aliud tendit mente. Juſte itaque hic ſe conſtruere negligunt, ubi peregrinos ſe, & hoſpites noverunt: quia enim in propriis gaudere deſiderant, eſſe in alieno felices recuſant. Injuſti autem quanto longius ab æternæ patriæ hæreditate diviſi ſunt, tanto in terra altius fundamenta cogitationis figunt. (*Ibid. cap.* 54. *p.* 283.) Juſti peregrini iu mundo.

XLI. Divinæ fortitudinis facta tunc verius exprimimus, cum hæç nos exprimere non poſſe cognoſcimus: tunc facundius loquimur, cum ab his obſtupeſcendo reticemus. Ad narranda quippe Dei opera habet defectus noſter, quam ſufficienter exerat linguam ſuam, ut quæ comprehendere idonee non valet, hæc idonee mutus laudet. (*Lib.* 9. *cap.* 12. *p.* 297.) Deus ſilendo laudatur melius quam loquendo.

XLII. Cum fatigant iſta (*immunda*) nec ſuperant, nequaquam per pollutionem trucidant, ſed per humilitatem ſervant: ut infirmum ſe animus in tentatione deprehendens, totum ſe ad divinitatis adjutorium conferat, & ſui fiduciam funditus amittat: ſicque fit, & ut inde altius Deo inhæreat, unde ſe a Deo profundius cecidiſſe ſuſpirabat. Acceſſus igitur, receſſuſque Dei a mente noſtra minime cognoſcitur, quouſque rerum alternantium finis ignoratur; quia & de tentatione incertum eſt utrum probet, an trucidet: & de donis nequaquam deprehenditur, utrum hic deſertos remunerent: an in via nutriant, ut ad patriam perducant. (*Ibid. cap.* 13. *p.* 298.) Timor ſalutaris.

XLIII. Quaſi latrunculus eſt appetitus laudis humanæ, qui recto itinere gradientibus ex latere jungitur, ut ex occultis educto gladio gradientium vita trucidetur. Cumque propoſitæ utilitatis intentio ad ſtudia privata deducitur, horrendo modo unum, idemque opus, culpa peragit, quod virtus inchoavit. Nam plerumque nonnulli terre- Avaritiæ dolus.

S. GREG. M.

terrena præmia appetunt, & justitiam defendunt, seque innocentes æstimant, & esse defensores rectitudinis exultant. Quibus si spes nummi subtrahitur, a defensione protinus justitiæ cessatur; & tamen defensores justitiæ se cogitant, sibique se rectos asserunt, qui nequaquam rectitudinem, sed nummos quærunt. (*Ibid. cap.* 25. *p.* 304.)

Munera non quærenda. XLIV. Tres sunt acceptiones munerum, ad quas ex fraude festinatur. Munus namque a corde est captata gratia a cogitatione. Munus ab ore est gloria per favorem. Munus ex manu est præmium per dationem: sed justus quisque ab omni munere manus excutit: quia in eo, quod recte agit, nec ab humano corde inanem gloriam, nec ab ore laudem, nec a manu recipere donationem quærit. Solus ergo in Dei opere fraudem non facit, qui cum ad studia bonæ actionis invigilat, nec ad corporalis rei præmia, nec ad laudis verba, nec ad humani judicii gratiam anhelat. (*Ibid. cap.* 34. *p.* 312.)

Judicia Dei. XLV. Duobus modis in hac vita Deus hominem judicat: quia aut per mala præsentia irrogare jam tormenta sequentia incipit, aut tormenta sequentia flagellis præsentibus extinguit. (*Ibid. c.* 45. *p.* 319.)

Dei deserentis, & miserentis effectus. XLVI. Cum ab auctore relinquimur, nec ipsa ullatenus destitutionis nostræ damna sentimus. Quo enim longe nos conditor deserit, eo mens nostra insensibilius obdurescit, nulla quæ Dei sunt diligit, nequaquam superna concupiscit; & quia amoris intimi calorem non habet, frigida deorsum jacet, ac miserando modo fit quotidie tanto securior, quanto pejor; cumque unde sit lapsa non meminit, & supplicia secutura non metuit, quantum lugenda sit, nescit. At si afflatu Sancti Spiritus tangitur, ad considerationem protinus suæ perditionis evigilat, in cælestium exquisitione se excutit: amoris summi æstibus inardescit, quæ se circumprimunt damna considerat, & plorat proficiens, quæ prius læta torpebat. (*Ibid. cap.* 58. *p.* 328.)

Custodia cordis necessaria. XLVII. Solerti semper custodia pensandum est, vel quid opere agimus, vel quid corde versamus; ne aut mentem præpediens, foris se terrena cura multiplicet, aut saltem de ejus moderamine intus se cogitatio exaltet, ut cum divina judicia temporali circumspectione metuimus, sempiterni supplicia horroris evadamus. (*Ibid. cap.* 46. *p.* 336.)

Lex Christi Caritas. XLVIII. Lex Christi quid congruentius intelligi, quam caritas potest? Quam tunc vere perficimus, cum fraterna onera ex amore toleramus. Sed hæc eadem lex *multiplex* dicitur: quia studiosa sollicitudine caritas ad cuncta virtutum facta dilatatur. Quæ a duobus quidem præceptis incipit; sed se ad innumera extendit, sed Dei dilectio per tria distinguitur; quia ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute diligi conditor jubetur. Qua in re notandum est, quod divinus sermo, cum Deum diligi præcipit, non solum narrat ex quo, sed etiam informat

ex

ex quanto, cum subjungit ex toto; ut videlicet, qui perfecte Deo placere desiderat, sibi de se nihil relinquat. (*Lib.* 10. *cap.* 6. *pag.* 340.) S.GREG. M.

XLIX. Quisquis præsentem gloriam quærit, profecto despectum metuit. Qui semper ad lucra inhiat, semper videlicet damna formidat; cujus enim perceptione reficitur, ejus rei procul dubio & amissione sauciatur; & quo obligatus mutabilibus, ac perituris inhæret, eo longe in infimis ab arce securitatis jacet. At contra quisquis in solo æternitatis desiderio figitur, nec prosperitate attollitur, nec adversitate quassatur, dum nil habet in mundo, quod appetat, nihil est, quod de mundo pertimescat . . . Bene itaque dicitur: *Requiescet*, *& non erit*, *qui exterreat*, quia tanto quisque a se plenius pavorem, qui ex mundo est abjicit, quanto in semetipso verius concupiscentiam mundi vincit. (*Ibid. cap.* 21. *p.* 356.) Temporalia spernenda, æterna desideranda.

L. Virtuti mortis dilectio comparatur, quia nimirum mentem, quam semel cœperit a delectatione mundi, funditus occidit: & tanto hanc valentius in authoritatem erigit, quanto & insensibilem contra terrenos reddit. (*Ibid. p.* 357.) Caritas voluptatibus mortuos nos efficit.

LI. Ut caro mollibus, sic anima duris nutritur: illam blandam refovent, hanc aspera exercent: illa delectationibus pascitur, hæc amaritudinibus vegetatur: & sicut carnem dura sauciant, sic spiritum mollia necant: sicut illam laboriosa interimunt, ita hunc delectabilia extinguunt. *Spes* itaque *carnalium abominatio animæ* dicitur: quia inde in perpetuum spiritus interit; unde ad tempus caro suaviter vivit. (*Ibid. cap.* 24. *p.* 358.) Carnis & spiritus fomenta.

LII. Hujus mundi sapientia est cor machinationibus regere, sensum verbis velare, quæ sunt vera ostendere, quæ vera sunt fallacia demonstrare . . . . . At contra sapientia justorum est nil per ostensionem fingere, sensum verbis aperire, vera ut sunt diligere, falsa devitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare, quam facere, nullam injuriæ ultionem quærere, pro veritate contumeliam lucrum putare. (*Ibidem cap.* 29. *pag.* 360.) Sapientia Mundi fallax, Justorum vera.

LIII. Non est census in crimine, sed affectus. Cuncta enim, quæ Deus condidit, bona sunt, sed qui bonis male utitur, profecto agit, ut quasi per edacitatis ingluviem, eo quo vivere debuit pane moriatur. (*Ibid. cap.* 30. *p.* 361.) Non census, sed affectus pensandus.

LIV. Quia vero infirma ætas, etiam cum recte sapit, ad prædicandum non debet incaute prosilire, subditur: *In antiquis est sapientia*, *& in multo tempore prudentia*. (*Lib.* 11. *cap.* 6. *p.* 369.) Juvenes non prædicent.

LV. Sed inter hæc intueri, necesse est, quantæ peregrinationis nostræ pœna nos perculit, qui in eam cæcitatem venimus, ut nos ipsos ignoremus. Perpetramus mala, nec tamen celerius deprehendimus, vel perpetrata. Exclusa quippe mens a luce veritatis nihil in se, nisi tenebras invenit, & plerumque in pec- Ignorantia periculosa.

cati

S.GREG. M. cati foveam pedem porrigit, & nescit. Quod nimirum de sola exilii sui cæcitate patitur, quia ab illuminatione Domini repulsa, & semetipsum videre perdidit, quæ auctoris sui faciem non amavit. (*Ibid. cap.* 42. *p.* 386.)

Hora mortis cur incerta. LVI. Ad hoc conditor noster latere nos voluit finem nostrum, ut dum incerti sumus, quando moriamur, semper ad mortem parati inveniamur, (*Lib.* 12. *cap.* 38. *p.* 408.)



CA-

CAPUT XXVIII.

S. JOANNES DAMASCENUS

Monachus, & Presbyter Hierosolymitanus.

ARTICULUS PRIMUS.

Vita S. Joannis Damasceni Breviarium.

S. JOANNES ex Damasco, ubi ortum duxit, Damascenus dictus inter celebriores VIII. Sæculi Patres merito recensetur. Quo anno natus sit, quove obierit, obscurum prorsus est; quod vel conjectura assequi nullus possit. Certum tamen videtur, natum eum esse ante exitum sæculi VII. Nam si vitæ ejus Auctori fides, ante annum 730. ea ætate erat, ut publica Saracenorum Principis negotia administraret, & de fide adversus Hæreticos scriberet (a). Ejus Parens Christianæ Religionis amantissimus etiam inter Mahumedanæ Sectæ miros in Syria progressus Quæstor Generalis Principis Saracenorum, eique familiarissimus fuit, & tantæ pietatis, „ ut divitiis, quibus florebat plurimum, „ non ad comessationes, perpotationesque, & vanas expensas abu- „ teretur; sed quidquid in auro, aliisque bonis mobilibus faculta- „ tum haberet, id totum in Christianorum captivorum redemptio- „ nem, & pretium impenderet (b)". Inter quos contigit illi a captivitate redimere captivum quemdam in mari captum Cosmam nomine, in cujus ore gravitas quædam elucebat, quæ interiorem hominis compositionem indicaret. Homo erat ex Italia oriundus, professione Monachus, dignitate Sacerdos, qui Sacræ Philosophiæ operam dederat. In eo nactus Damasceni nostri Parens virum sapientiorem, & incomparabili doctrina præditum Filio suo præceptorem dedit, qui sub ejus disciplina tum in virtute, tum in scientia plurimum profecit.

S. Jo. Dam. Nativitas, & educatio S. Jo. Damasceni.

Cosmas itaque, cum discipulum suum optime instituisset, illum patri suo restituit; & obtenta ab illo venia, ad Lauram S. Sabæ, quæ in solitudine sita est, perrexit (c). Illic ad mortem usque commoratus ad Deum migravit. Perinde Joannis quoque Parens e vivis excessit. Quocirca Saracenorum Princeps accersitum ad se Joan-

Ejus apud Saracenos officia, & infortunium.

(a) *In Vit. T. 1. Op. in not. 1. pag. 5.*
(b) *Ibid. n. 6. pag. 4.*
(c) *Ibid. n. 13. pag. 9.*

S. Jo. DAM. Joannem primi a Consiliis dignitate ornavit, & in majore, quam ejus pater, munere constituit. Eo porro tempore Leo Isauricus imperium Romanum gubernabat, qui adversus venerandas Imagines, & orthodoxum Ecclesiæ cœtum ut leo rapiens, rugiensque debacchabatur. Hæc ubi primum ad Joannis aures pervenere, cognominis sui Baptistæ libertatem in reprehendendo imitatus, ad rectæ fidei alumnos epistolicas orationes pro venerabilium Imaginum tuendo honore misit, quibus illos adhortabatur in fide stare; & epistolas suas omnibus ostendere (*a*). Quæ ubi Leo Imperator agnovit, & ex ejus epistolis unam obtinuit, accitis Notariis quibusdam, epistolæ exemplum illis ad imitandum proponit, ut tam epistolæ characterem, quam sententias, locutionesque repræsentaret. In ea sibi scriptum simulabat a Damasceno, ut ex improviso strenua, & numerosa missa manu Damascum occuparet, ad hanc expeditionem operam suam collaturum spondens. Adornata hac epistola, illam ad Damasci Principem misit, qui, ea accepta, Joanni ad se accersito tradit, illumque objurgat; nec illum breve tempus ad se purgandum deposcentem exaudiens, e vestigio dexteram amputari præcepit. Ejus vitæ Auctor, qui creditur Joannes Patriarcha Hierosolymitanus, a Saracenis igne consumptus anno *969.* narrat a Tyranno impetrasse sibi abscissam manum restitui; qua accepta in sacellum domesticum ingreditur, totoque corpore pronus ante divinam Dei Genitricis imaginem provolvitur, admotaque dextera abscissa ad pristinam ejus commissuram, Dei genitricem lacrymis interpellat, ut manum suam sanet, qua possit fidei causam adversus Iconoclastas tueri. „ Hæc Joannes cum lacrymis recitans „ somno corripitur, & sacram Dei Genitricis imaginem videt ocu- „ los in se convertere, atque affari: En tibi manus sanata est... „ fac eam calamum esse scribæ velociter scribentis". Evigilans manum abscissam, restitutamque contemplatur; quod ubi rescivit Saracenorum Princeps, ejus innocentiam agnovit, & principem locum inter Consiliarios retinere jussit (*b*).

In Monasterium secedit. Verum Damascenus Mundo renuntiare cupiens, obtenta ægre a Principe recedendi venia, distributis in consanguineos, & pauperes bonis, servisque libertate donatis, Hierosolymam petiit, & S. Sabæ Lauram assequitur, comitem & socium habens cum itineris, tum propositi Cosmam illum, quem ejusdem educationis, ac institutionis habuerat participem (*c*). Monasterium ingressus pedibus Pastoris advolvitur rogans, ut inter suas oves admitteretur. Gavisus est ea re sacri gregis Præfectus, & operæ pretium esse duxit, novitium tum vitæ splendore, tum eximia scientia illustrem uni e præcipuis senioribus committere: verum pluribus accitis una omnes voce deprecari a se cœperunt Joannis instituendi curam, donec

(a) *Ibid. n.* 14. *pag.* 10.
(b) *Ibid. n.* 18. 19. *pag.* 11. *& seq.*
(c) *Ibid. n.* 22. *pag.* 14.

nec ex senioribus unus moribus simplex, sed plurima scientia ornatus prompto animo Joannem excepit (a). In Monastica palæstra diu exercitatus tandem sibi relinquitur, qui proinde cæteris solutus curis, pluribus conscribendis Operibus vacavit. Interim ejus fama ad Patriarcham Hierosolymitanum delata, qui vel Joannes III. fuit, vel ejus successor Eusebius, illum ad se accersitum divino instinctu Presbyterum constituit (b). Suscepto Presbyteratu ad Divini Sabæ Lauram regressus est, pœnitentiæ laboribus, & libris conscribendis vacaturus, ad quos elucubrandos hortatorem habuit Cosmam illum institutionis, & religiosæ exercitationis participem, qui etiam ab Hierosolymorum Patriarcha Majumæ Episcopus ordinatur non sponte, sed vi coactus, ut cederet (c). Porro Opera in defensionem Sanctarum Imaginum a Damasceno elucubrata mirum in modum fidelibus omnibus, sed præcipue Constantinopolitano populo profuerunt. Quare Constantinus Copronymus, qui tunc Imperio potiebatur, id ægerrime ferens, cum aliter de S. Doctore ulcisci non posset, quippe qui extra Imperii fines Saracenorum suberat imperio, ipsum excommunicatione feriendum a suæ communionis Episcopis curavit. Verum Damascenus & brutum fulmen aspernatus, & iram Principis non pertimescens, Lauram relinquens pro Dei legibus dimicando, Damasci primum, tum subinde Palæstinæ, & Constantinopoli eos, qui colendas imagines pessumdabant, & contumeliose habebant, adoritur spe etiam illectus Martyrii coronam assequendi: verum Deo aliter disponente, ad Lauram reversus inibi in pace quievit. S. Jo. Dam.

Obitus annus certo designari, ut supra diximus, minime potest. Hoc unum statuere merito possumus, Pseudo-Constantinopolitanæ Synodo Constantinopoli jussu Imperatoris Constantini Copronymi anno 754. celebratæ superstitem fuisse; quippe qui illam Synodum, ejusque Præsides libris suis exagitavit. Laudes vero in VII. Generali Concilio illi merito tributæ ostendunt jam ad plures transiisse. Hinc ejus obitum figendus inter annum 754. & 787. Obitus post ann. 754.

Inter Opera S. Joannis Damasceni eminet ejus Tractatus de Fide Orthodoxa: cæterorum vero librorum in sequenti articulo apparebit Catalogus. Opera ejus primo Basileæ typis vulgata sunt græco-latine anno 1556. At P. Lequienius O. P. novam, & locupletiorem græco-latinam Editionem adornavit Parisiis anno 1711. qua nos utimur. Ejus Opera, & Editiones.

S. Joannis Damasceni Opera italico sermone edita hæc habentur. I. *Paracletica* sub hoc titulo: *Suppliche affettuose alla Beatissima Vergine Madre di Dio, Opera di S. Giovanni Damasceno chiamata da Greci Paracletica;* primum ex græco latine, postea etiam

V 2

(a) *Ibid. n.* 23. 24.
(b) *Ibid. n.* 34. *pag.* 20.
(c) *Ibidem.*

iam italice reddidit P. Ludovicus Marracci Lucensis Clericus Regularis Matris Dei. Romæ per Komark Boemum 1687. Et iterum Lucæ per Hyacinthum Pacci 1690. II. *Historia* seu *Vita* SS. Barlaam & Josaphat. Romæ apud Joannem Mariam Salvioni Typographum Vaticanum 1738. Ex Argelato & Paitono.

ARTICULUS SECUNDUS.

Operum S. Joannis Damasceni Analysis.

Dialectica Damasceni.

PRIMO loco inter Opera S. Jo. Damasceni locantur Dialectica, Tractatus de Hæresibus, & Liber de Fide Orthodoxa, non quia hæc ante cætera fuerint elucubrata, sed quia hunc ordinem ipse statuit in nuncupatoria sua ad Cosmam Majumæ Præsulem epistola. Hæc sane omnium Damasceni Operum præstantissima sunt, & pluribus nominibus apud utriusque gentis Theologos summo semper in pretio fuere. Et ipsa nostri Auctoris Dialectica magni momenti esse videtur, quippe qui in ea expositionem collegit vocum omnium, quas Sancti Patres Græci sive disputando adversus hæreticos, sive apud Catholicos fidei doctrinam enucleando adhibuerunt, atque eas insuper, quibus hæretici Gentilium Philosophorum placitis imbuti in suam, simpliciorumque perniciem abutebantur. Porphyrium in quinque vocum, sive universalium, & Aristotelem in categoriarum enarratione secutus est; quorum tamen sententias peculiares quasdam, mysteriis fidei tradendis parum idoneas, aut etiam eisdem contrarias ex Ecclesiasticis Auctoribus emendare fategit (*a*).

Tractatus de Hæresibus.

Cum *art.* 75. Tractatus de Hæresibus de Aerio hæc legantur: *Hic etiamnum hodie tentatio est vitæ hominum*, indigitare videntur, Auctorem scripsisse IV. sæculo, quo Aerius Ecclesiam devastabat. Nihilo tamen secius non esse hoc opus Damasceno nostro abjudicandum, quisque facile deprehendet, qui animadverterit, Damascenum Epitomen novam de Hæresibus non composuisse, sed integram Synopsim, seu anacephalæosim Epiphanii, ut in libris ejus jacebat, transcripsisse, adjecta viginti, seu vigintiquatuor posteriorum Sectarum enarratione, quam ex Theodoreti, Timothei Constantinopolitani Presbyteri, Sophronii, & Leontii Byzantini libris concinnavit. Quæ vero de Mohamedanis habentur, nulli alteri, præterquam Auctori nostro, tribuenda sunt. Qui nec Iconomachorum hæresim ex toto omittere debebat, quam ipse expugnaverat, & ipsius ætate Orientis, & Occidentis Ecclesiæ proscripserant (*b*).

De

(a) *In Præf. ad Dialecticam.*
(b) *In Præf. ad Tract. de Heres.*

De Mohamedana secta articulus unus est ex præcipuis. Mohamedanos Damascenus modo Ismaelitas, modo Saracenos vocat. De illis dicit, „ quod usque ad Heraclii tempora palam est idola coluisse, & stellam matutinam, ac Venerem. At illis falsus exortus est Vates Mamed nomine, qui cum in libros veteris, novique Testamenti incidisset, habitis cum Ariano quodam Monacho colloquiis, propriam sectam condidit, exaratis in libro suo lucubratiunculis quibusdam risu dignissimis (*a*) ". Recenset deinde plures articulos cultum Deo reddendum statuentes. Nam docet, „ unum esse Deum universi auctorem, qui nec genitus sit, nec genuerit: Christum autem Dei Verbum esse dicit, ejusque Spiritum, sed creatum, & servum ex Maria sorore Moysis, & Aaron sine semine natum. Verbum quippe Dei, inquit, cum in Mariam introiisset, Jesum genuit, qui Propheta, & Dei servus fuit. Hunc cum Judæi per summum nefas in crucem agere voluissent . . . . ipsius quidem umbram affixerunt cruci: Christus vero nec crucem, nec mortem subiit. Eum quippe Deus, quia sibi carissimus erat, transtulerat in cælum ". Dialogum deinde institutum a Mohamede inter Christum, & Deum refert, qui vanissimus, & ridiculus plane est. Et postea subdit: „ Alia insuper multa portento similia in hoc libro comminiscitur, ac plane ridicula (*b*) ". Cum vero Mohamedani adorationem Crucis, quam ipsi detestantur, Christianis exprobrarent, illis interrogando objicit Damascenus: „ Quî fit, ut lapidi, qui in Chabatha vestra est, vos adfricetis, eamque complexantes deosculemini "? Et ridendas, quas proferunt, rationes refellit; & Crucem Christi ideo a Christianis adorari dicit, „ quia per eam potestates Dæmonum, & Diaboli fraudes profligatæ sunt (*c*) ". Leviter tangit obscœna Mahumedis facta, ob quæ legem tulit & de uxore dimittenda, & de polygamia, ne, ut ipse scribit, omnia, ut ille, obscœna proferret.

S. Jo. Dam. Mohamedanorum Secta.

Iconoclastarum sectam postea refert, illorum videlicet, „ qui Christianos uni vivo, & vero Deo servientes criminantur, ac si venerandas Domini Jesu Christi, & Sanctæ Dei Genitricis, Sanctorumque Angelorum, nec non Beatorum imagines veluti Deos more Gentilium colant. Hinc ipsi Sacras Imagines comminuunt, ignique tradunt, & eas, quæ depictæ in muris sunt, abradunt, vel calce, & atramento oblinïunt (*d*) ".

De Iconoclastis.

Postremo loco hæresim collocat Apochistarum, seu Doxariorum. Hi „ nec legi Dei subjiciuntur, nec Sacerdotibus ejus . . . . Quidam eorum sacrum Baptisma non admittunt, nec divinæ communionis participes fiunt. Alii neque figuram pretiosæ Crucis

(a) *Num.* 101. *pag.* 110.
(b) *Ibidem.*
(c) *Ibid. pag.* 113.
(d) *Ibid. n.* 101. *pag.* 115. & 116.

S. Jo. Dam. „ recens expressam, aut venerabilem quamlibet imaginem salutant .... cum cunctis se putent antecellere, Sacerdotem ne quidem recipiunt (a)". Horum nomine Paulinianos significasse videtur Damascenus. Hi enim ævo suo Manichæorum hæresim excitarunt, a Paulo quodam, & Joanne Syris hoc nomine donati.

Fidei Professio. Tractatui de hæresibus coronidem imponit Damascenus, emissa, ut fecerat & S. Epiphanius, professione fidei, in qua summatim dicit, „ se credere in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, „ unam in tribus hypostasibus Deitatem ..... Dei Filii in carne „ dispensationem ex Virgine inenarrabili modo sine semine factam, „ ut idem ipse sine confusione, & conversione Deus & Homo fuerit. Sanctissimam Dei Genitricem Mariam tamquam Dei Matrem adora, & venerare (hæc enim duo vocabula seu synonyma „ usurpat Damascenus), & omnes Sanctos uti servos illius". Illis vero, qui interrogant: *Quomodo in Deo Trinitas est?* respondet: „ Trinitas pervestigabilis non est. Sin vero Deum studiosius „ scruteris, te ipsum mihi primo edisseras velim, & quæ circa te „ sunt. Quis animæ tuæ existendi modus? Quo pacto mens tua „ movetur? Qua ratione mortalis simul, & immortalis es? (b)".

De Fide Orthodoxa. Christianæ Dialecticæ regulis, recensitisque priscarum Hæresum erroribus succedit liber *de Fide Orthodoxa*, in quo non ex Scriptura solum, verum etiam ex conglobatis SS. Patrum sententiis ea, qua par erat, tum perspicuitate, tum brevitate inexhaustum Traditionis promptuarium protulit, & qui norma fuit subsequentibus Scholasticis. In eo nihil reperire est, quod vel Œcumenicis Synodis sancitum non fuerit, vel a probatis Ecclesiæ Magistris acceptum. In primis sequutus est Gregorium Nazianzenum, cujus libros ea legerat assiduitate, ut omnes fideli memoria complexus videatur. Non omittit testimonia etiam Basilii Magni, Gregorii Nysseni, Nemesii Emeseni in Syria Episcopi, Cyrilli Alexandrini, Leonis Magni, Leontii Byzantini, Maximi Martyris, Athanasii, Chrysostomi, Epiphanii, & illius etiam Scriptoris, qui Dionysii Areopagitæ nomen assumpsit. Id enim sibi proposuerat Damascenus, ut sua nequaquam, aut nova cuderet, sed veterum potius placita variis in voluminibus sparsa in unum opus theologicum congereret (c). Lequienius Operum Damasceni Editor in margine fontes, ex quibus hausit doctrinas suas S. Monachus, indigitare non omisit. Inscribitur hoc Opus *de Fide Orthodoxa*. Hujus nedum in Oriente, verum etiam in Occidente, & apud Latinos magna fuit apud Theologos auctoritas; quod præsertim Eugenio III. Summo Pontifice latine redditum est a Burgundione Cive Pisano. Hac translatione usi sunt Magister Sententiarum, S. Thomas, aliique subinde Theologi.

(a) *Ibid. pag.* 116.
(b) *Ibid. pag.* 117. *& seq.*
(c) *Lequien in Præf. pag.* 119.

logi. Priore accuratior opera Combefisii, & Lequienii prodiit translatio (*a*).

S. JO. DAM.

Operis Analysis 1. & 2. lib.

Liber primus quatuordecim constat Capitulis, in quibus de essentia, & existentia Dei, de Divinæ Naturæ proprietatibus, de ejusdem unitate, & Personarum Trinitate differit. In secundo vero libro quid Sæculi, & Creationis vocabulis significetur, exponit; & quomodo omnia Deus creaverit. Deinde ea, quæ ad Angelorum, & Dæmonum naturam spectant, explicat. Quid sint Cælum, quod videtur, lux, ignis, Sol, Astra, Planetæ, Signa Zodiaci, & Cometæ, declarat. De istis sic scribit: „ Cometæ Regum mortem portendentes non ex illis syderibus sunt, quæ in primo rerum ortu procreatæ fuere, verum Dei jussu sub ipsum tempus conflantur, rursusque dissolvuntur. Quandoquidem ne sydus quidem illud, quod tum cum Domini Nostri causa, cum natus est, Magis apparuit, non ex illis Stellis erat, quæ Mundi initio conditæ fuerunt (*b*) ". Prosequitur disputare de Terra, Aere, Ventis, Aquis, Mare, & de iis, quæ in illo producuntur, de Paradiso terrestri, de homine, ejusque naturæ proprietatibus, passionibus, facultatibus; de providentia, & præscientia Dei, & de Prædestinatione. Duplicem in Deo distinguit voluntatem, nimirum „ antecedentem, & beneplaciti, cujus ipse est causa; secundam autem consequentem, & permissivam ex nostra causa ortum habentem; eaque duplex est, altera dispensatione quadam fit, & ad salutem erudit; altera a reprobatione proficiscitur, ad absolutam omnino pœnam pertinens (*c*) ". Addit: „ Illud scire interest, Deum omnia quidem præscire, sed non omnia præfinire. Præscit enim ea, quæ in nostra potestate sunt; at ea non præfinit. Nec etiam malitiam patrari vult (*d*); nec rursum virtuti vim affert (1) ".

V 4 In

(a) *Ibidem.*
(b) *Lib. 2. cap. 7. pag. 166.*
(c) *Ibid. cap. 29. pag. 198.*
(d) *Ibid. cap. 30. pag. 198.*
(1) Græci Patres cum caverent, ne divina futurorum cognitio humanæ libertati nociva putaretur, juxta ac Gnostici, ac Manichæi asserebant, hoc frequenter inculcarunt, actiones hominum liberas non ideo fieri, quia noverit Deus, sed esse a Deo cognitas, quia futuræ erant: Deum quippe malarum actionum causam non esse. Hoc præstituto principio ipsorum de Prædestinatione sententia alia non erat ab ea, quam Prosper sincere refert Epistola ad Augustinum. *Retractatis*, inquit, *priorum Doctorum hac de re opinionibus, pene omnium par invenitur, unaque sententia, qua propositum, & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt, & ab hoc Deus vasa honoris, & vasa contumeliæ fecerit, qui finem uniuscujusque præviderit, & sub ipso gratiæ adjutorio, in qua facturus esset voluntate, & actione præviderct*. Ita quidem veteres illi pro libertate hominis vindicanda disputabant. Ex quo vero theologicis hujusmodi placitis Pelagiani abusi sunt, ut concluderent, gratiam ob meríta

S. GREG. M.

Liber tertius.

In tertio Libro modum explicat, quo Deus hominem ab interitu per originalem noxam contracto liberavit. Hinc de Incarnatione disputat; & ostendit: „ Verbum Dei in propria jam persona „ subsistens in Sanctæ Virginis utero ex castis ipsius sanguinibus „ carnem anima rationali, & intelligente præditam humanæ con„ spersionis primitias assumpsit, Verbum ipsum carnis factum hy„ postasis ...... absque confusione, aut mutatione, aut divisione „ unitum (*a*) .... sic videlicet, ut nec a sua simplicitate divina „ natura desciverit, nec rursus humana aut in Deitatis naturam „ conversa, aut in nihilum redacta, aut denique una ex duabus „ naturis composita natura effecta sit ..... Verbum porro quia „ ipsius sunt, quæ sanctæ ejus carnis sunt, ea, quæ humanitati „ conveniunt, sibi vendicat, & vicissim carni, quæ sua sunt, im„ pertit (unde oritur communicatio Idiomatum, ut Theologi lo„ quuntur) ..... Eo porro nomine Dominus ipse gloriæ crucifi„ xus dicitur, quamvis alioqui divina ipsius natura minime passa „ sit: & rursum Filius hominis ante passionem in Cælo esse di„ ctus est, veluti Dominus ipse asseruit (*b*) ". Ostendit deinde, „ unam ex Sancta Trinitate Personam Dei Verbum, quidquam „ eorum, quæ cum nos initio rerum fingeret, naturæ nostræ inse„ ruit, non assumtum omisisse, sed omnia assumpsisse, puta cor„ pus, & animam intelligentem, rationabilemque cum eorum pro„ prietatibus (*c*) .... atque ita ipsa Verbi hypostasis, hyposta„ sis etiam carnis facta fuerit, & Verbi persona, quæ ante sim„ plex erat, composita evaserit; composita, inquam, ex duabus „ naturis perfectis, divinitate nimirum, & humanitate (*d*) ..... „ Quapropter unus est Christus, Deus perfectus, & homo perfe„ ctus,

merita etiam præcognita dari, Latini Doctores satius duxerunt, bona opera divinæ prædefinitioni adscribere, mala vero præsciri dumtaxat concedere. Sententiam hanc, dimissa priore, amplexus est Augustinus, hoc Apostoli testimonio victus: *quis te discernit?* „ Cum hac de re aliter „ saperem (inquit), quam mihi Deus in hac quæstione solvenda, cum „ ad Episcopum Simplicianum scriberem, revelavit ". Interim vetus opinio in Oriente perseveravit, cum nullas illic radices egisset Pelagianus error, cujus de divina gratia capita Græci non noverunt, tametsi ejus de peccato originali doctrinam Synodus Ephesina proscripserit. Præterea Græci Patres *Prædestinationis* voce non intellexerunt, quemadmodum Augustinus, *præparationem beneficiorum, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur;* sed *voluntatem* illam *consequentem*, seu decretum, quo Deus præmia, vel supplicia singulis destinavit, prout quisque vel odio, vel amore dignus erit. Chrysostomus siquidem hom. 19. in Epistol. ad Rom., ubi quærit, cur, antequam Jacob, & Esau nati essent, *ille honore afficiebatur, hic supplicio?* respondet: *Ille, cui aperta sunt arcana cogitationum, perspicue novit, quinam coronarum digni sint, quive suppliciorum.*

(a) *Lib. 3. cap. 2. pag. 205.*
(b) *Ibid. cap. 3. pag. 208.*
(c) *Ibid. cap. 6. pag. 212.*
(d) *Ibid. cap. 7. pag. 214.*

„ ctus, cui unam, eamdemque adorationem cum Patre, & Spiri-
„ tu, non exclusa immaculata ejus carne, adhibemus .... Ambas
„ Christi naturas ob unitam carni divinitatem adoro. Non quar-
„ tam Trinitati personam infero; sed unam Dei Verbi, carnisque
„ ipsius personam confiteor. Trinitas quippe etiam post Verbi In-
„ carnationem Trinitas mansit (*a*)". Hinc deducit, appendicem illam, quam Petrus Cnaphæus, seu Fullo (1) Trisagio adjecit: *Qui passus es pro nobis*, impiam esse. Nam illud *Sanctus Deus* de Patre accipimus: illud *Sanctus Fortis* Filio tribuimus; ac denique illud *Sanctus Immortalis* Spiritui Sancto adscribimus. Hinc addendo: *Qui crucifixus es pro nobis*, vel quarta adjicitur Persona, vel Trinitas Sancta passioni obnoxia enunciatur (*b*). Et hic occasionem nactus compendiose narrat, quæ in Ecclesia contigere & circa præfatum Trisagion, ejusque additionem. Dein adversus Nestorium evincit, Virginem vere esse, & dici debere *Deiparam* (*c*). Et de duabus in Christo naturis disputans, de ejus proprietatibus tractat ostendens, „ in Christo ut duas naturas, ita duplices dua-
„ rum naturarum proprietates inesse, idest duas naturales operatio-
„ nes, divinam & humanam; duas naturales liberi arbitrii liber-
„ tates, divinam & humanam; ac denique sapientiam, & scien-
„ tiam duplicem, divinam & humanam (*d*)". Explicat quoque, in quo sensu Dionysius dixerit unam *theandricam*, idest Dei simul & viri operationem; videlicet, „ non ut naturales actiones tollat,
„ unam ex humana, & divina actionem conflatam docet .... sed
„ ut novum illum, & arcanum modum, quo naturales Christi a-
„ ctiones se explicant, & alternæ illius communicationis, quæ ex
„ ineffabili unitione oritur, rationem indicaret (*e*)". Postea de Christi naturalibus, & inculpatis passionibus sermonem instituens ostendit, „ non alias ab eo assumptas, nisi naturales, & minime
„ reprehendendas: nam suscepit totum hominem, & quæcumque
„ hominis sunt, excepto peccato. Naturales porro (subdit), &
„ inculpatæ passiones hæ sunt, quæ in arbitrio nostro sitæ non
„ sunt ..... ut fames, sitis, defatigatio, labor, lacrymæ, interi-
„ tus, mortis fuga, metus, & agonia (*f*): quæ omnia ipsum
„ quidem Dei Verbum carne pertulit, divina interim, ac sola im-
„ passibili ipsius natura ab omni perpessione immuni persistente (*g*):
„ & dum

S. Jo. Dam.

(a) *Ibid. cap.* 8. *pag.* 216.
(1) Petrus Fullo Monachus ex Acœmetis primum revera Fullonis artem exercuit; postea Antiochenum Patriarchatum invasit. Concilium Chalcedonense respuebat; & Trisagio illa verba addiderat: *Qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis*.
(b) *Ibid. cap.* 10. *pag.* 218.
(c) *Ibid. cap.* 12. *pag.* 223.
(d) *Ibid. cap.* 13. *pag.* 224.
(e) *Ibid. cap.* 19. *pag.* 243.
(f) *Ibid. cap.* 20. *pag.* 244.
(g) *Ibid. cap.* 26. *pag.* 249.

S. Jo. Dam.

„ & dum Christus ut homo mortem obiit, sanctaque ipsius anima „ ab immaculato corpore distracta est, divinitas tamen a neutro, „ hoc est neque ab anima, neque a corpore quoquo modo sejuncta „ est (*a*) “.

Liber quartus.

Docet, „ post resurrectionem Christum omnes quidem exuisse „ ægritudines, puta famem, sitim, somnum &c. Nam etsi post „ Resurrectionem cibum gustavit, non tamen id naturæ lege contigit ..... sed certa dispensatione, ut fidem faceret, se vere ad „ vitam rediisse (*b*). Similiter, dum ad dexteram Dei sedere corporaliter Christum dicimus, nec proinde loci instar esse Patris „ dexteram affirmamus; sed per paternæ dexteræ vocabulum significamus divinitatis honorem, & gloriam, cum Dei Filius tamquam Deus, Patrique consubstantialis ante sæcula esset, ad extremum caro factus corporeo quoque modo considet, in eandem „ nimirum gloriam adscita ejus carne (*c*) “. Adversus eos vero, qui dicunt: si duæ naturæ Christus est, aut creaturam colitis humanitatem adorando; aut alteram naturam dicitis adorandam, alteram vero non adorandam; sic refellit: „ Dei Filium simul cum „ Patre, & Spiritu Sancto adoramus, corpore quidem, antequam „ humanitatem assumsisset, nunc autem eumdem hominem factum, „ incarnatumque cum eo, quod Deus est. Ac proinde caro suapte „ natura, si subtili quadam consideratione id, quod visibile est, ab „ eo, quod ratione tantum intelligitur, distinxeris, nequaquam adoranda est, utpote creata, & cum Deo Verbo unita sit, propter ipsum, & in ipso adoratur (*d*) “. Sciscitantibus vero, an Sancta Dei Genitrix duas naturas genuerit, respondet, „ gigni „ non ad naturam, sed ad personam pertinere. Eam ob rem Sancta Dei Genitrix personam genuit in duabus naturis agnitam, divinitatis quidem ratione citra ullum temporis spatium ex Patre „ genitam, ad extremum autem in tempore ex ipsa incarnatam, „ & carne natam (*e*) “. Subdit vero: „ Ex sancto, & immaculato latere suo veniæ fontem nobis Christus emisit: aquam scilicet ad regenerationem, nec non peccati, & corruptelæ abstersionem; sanguinem vero in potum, qui vitam æternam procuraret. Aqua in Baptismate abluimur, quod in Sanctam Trinitatem trina immersione peragitur. Aliud etiam Baptisma sanguinis „ profusione, ac martyrio perficitur; & rursum aliud, quod in „ pœnitentia, & lacrymis versatur, durum sane est, grave, & molestum (*f*) ..... Venerabile lignum, in quo se Christus pro „ nobis hostiam obtulit, uti sanctissimi Corporis, & Sanguinis ta-

„ ctu

(a) *Ibid. cap. 27. pag. 251.*
(b) *Ibid. cap. 1. pag. 253.*
(c) *Ibid. cap. 2.*
(d) *Ibid. cap. 3. pag. 254.*
(e) *Ibid. cap. 7. pag. 258.*
(f) *Ibid. cap. 9. p. 260. & seq.*

„ ctu sanctificatum, jure debet adorari: Clavi item, & lancea, „ & indumenta, & sacræ ejus mansiones, præsepe, specus, salutaris Golgotha, vivificum sepulchrum, ac similia ..... Figuram „ quoque vivificæ, ac pretiosæ Crucis adoramus, non quod materiam colamus (hoc avertat Deus); sed figuram, velut qua „ Christus designatur ...... Materia vero, ex qua constat figura „ Crucis, destructa forte figura, nequaquam adoranda est. Cuncta „ igitur, quæ Deo dicata, consecrataque sunt, ita adoramus, ut „ cultum illorum ad eum referamus (*a*). Non temere, nec sine „ causa olim Christiani ad Orientem conversi adorabant, quia Christi adventum expectabant ex Oriente ad judicandum venturi. Est „ autem Apostolorum hæc traditio, in sacras Literas minime relata (*b*). In Eucharistia panis ipse, & vinum in Corpus, & Sanguinem Dei transmutantur (*c*). Sanctis ceu Christi amicis suus „ habendus est honor, qui conservis optimis habetur; propensi erga communem Dominum animi argumentum est (*d*). Sed reliquiarum, & imaginum Sanctorum honor exhibitus ad exemplar „ transfertur (*e*)". Integro capite de genere Domini, deque Sancta Dei Genitrice pertractat, quam ex Joachim, & Anna natam dicit (*f*). S. Jo. Dam.

Viginti duos scribit libros esse Veteris Testamenti; totidem nempe, quot Hebraicæ Linguæ elementa (*g*): quem Canonem ex Epiphanii libro *de Ponderibus*, & *Mensuris* desumpsit. Hinc de libro Judith nihil habet, cum nihil & in Epiphanio. Libros quoque Sapientiæ, & Ecclesiastici licet in honore habeat, inter Canonicos tamen libros non enumerat. Novi vero Testamenti libros eosdem enumerat, quos & nos habemus: sed addit *canones Apostolorum per Clementem concinnatos*. Ad Incarnationem vero iterum sermonem convertens, pluribus Scripturæ testimoniis evincit, Jesum Christum Deum simul & hominem esse. Varias recenset perfectiones, & nomina illi in Scripturis tributa: „ Aliqua enim naturæ „ conjunctionem, & consubstantialitatem cum Patre declarant, ut: „ *Ego & Pater unum sumus*. Alia perfectionem, ut: *Filius Dei*, „ *& figura substantiæ ejus*. Alia Personarum circumincessionem, „ ut: *Ego in Patre*, *& Pater in me est*". Illa Christi verba: *Pater major me est*, de ipsa æterna generatione dicit intelligenda, scribens: „ Ab ipso quippe habet tum quod est, tum ea omnia, „ quæ habet; quod est, inquam, per generationem, non per creationem". De duarum naturarum in Christo proprietatibus differens Ejusdem libri continuatio.

(a) *Ibid. cap.* 11. *p.* 264. & 265.
(b) *Ibid. cap.* 12. *pag.* 266.
(c) *Ibid. cap.* 13. *pag.* 269.
(d) *Ibid. cap.* 15. *pag.* 277.
(e) *Ibid. cap.* 16. *pag.* 280.
(f) *Ibid. cap.* 14. *pag.* 275.
(g) *Ibid. cap.* 17. *pag.* 283.

S. Jo. Dam. rens observat cum S. Cyrillo, quod, „ licet in naturali qualitate „ non idem sit divinitas, & humanitas, unus tamen sit Filius, & „ Christus, & Dominus, & unus cum sit, una quoque sit ejus „ Persona (a)". Adversus Gnosticos, & Manichæos ostendit, non esse admittenda duo principia, alterum bonum, alterum malum, cum mali nulla sit causa efficiens. „ Malum enim nihil aliud „ est quam privatio boni, atque ab eo, quod naturæ consentaneum „ est, in id, quod naturæ repugnat, deflexio. Hinc nulla res sua„ pte natura mala est. Omnia quippe, quæ fecit Deus, quatenus „ extant, valde bona sunt (b)". Observat, quod quando lex non erat, nec Scriptura divinitus inspirata, ne Sabbatum quidem Deo consecratum erat; sed, „ cum sciret Deus, Israeliticum populum „ pinguem esse, & carni addictum, inque res terrenas impense „ pronum, Sabbatum ordinavit, ut ipsi terrenis occupationibus fe„ riati ad Deum se colligerent: septimum nempe diem in psal„ mis, & hymnis, & canticis spiritualibus, Divinarumque Scri„ pturarum lectione totum impenderent, & Dei meditationi vaca„ rent (c)". Matrimonium occasione peccati inductum arbitratur Damascenus; unde scribit: „ Postquam violato præcepto mors per „ transgressionem in Mundum introivit, tum demum *cognovit A„ dam uxorem suam, & concepit, genuitque*. Itaque ne mors hu„ manum genus obtereret, & absumeret, Matrimonium invectum „ est .... At fortasse dicetur: quid igitur sibi vult *masculum, & „ fœminam; &* *crescite, & multiplicamini?* Cui quæstioni respon„ debimus, per hæc verba: *crescite, & multiplicamini*, non eam „ omnino propagationem significari, quæ per conjugalem comple„ xum efficitur. Deus enim alio modo genus nostrum propagare „ poterat, si integrum ejus mandatum ad extremum servassent". Honorifice tamen de Matrimonio loquitur; at longe excellentiorem, & ceu angelicam prædicat Virginitatem (d). Denique in altero capite de Antichristo pertractat, & de dolis, ac fraudibus, queis homines seducere conabitur, ac de universali sequutura Resurrectione; & dicit: „ Mittentur autem Enoch, & Elias Thesbites ad „ pugnandum adversus Antichristum, ac trucidabuntur. At tum „ Deus veniet de Cælo cum gloria, & potestate; & hominem ini„ quitatis, filium perditionis interficiet spiritu oris sui (e)".

Sermones Apologetici tres de Imaginibus. Vix Damascenus Leonem Isaurum Imagines evertendas constituisse novit, adversus illum classicum cecinit, „ epistolares tractatus „ (ut inquit ejus Vitæ Scriptor) ad rectæ fidei alumnos mittens, „ ut & illi quoque eosdem accurate descriptos spargerent in fide„ les". Tres successive de hoc dogmate sermones concinnavit.

In

(a) *Ibid. cap.* 18. *p.* 284. *& seq.*
(b) *Ibid. cap.* 20. *pag.* 291.
(c) *Ibid. cap.* 23. *pag.* 293.
(d) *Ibid. cap.* 24. *p.* 295. *& seq.*
(e) *Ibid. cap.* 26. *p.* 300.

In priori sermone sic humilitatem professioni Monasticæ convenientem ostendens exorditur: „ Nos quidem decebat indignitatis „ propriæ conscios æternum tacere, Deoque potius peccata nostra „ confiteri. Verum cum Ecclesiam, quam Deus ædificavit, ab irruente improborum spirituum impetu valido misceri, jactarique „ videam .... tacendum non censui, & iram Dei pertimescens veritati Imperatoris majestatem antepofui ..... quin etiam ob id „ sum vehementius incitatus. Enimvero ad subditos pelliciendos „ multum valet Regis auctoritas; quippe cum pauci hactenus fuerint illi, qui, cum Reges terræ Regis Cælestis imperio subesse, „ Regesque legibus obnoxios esse noverint, iniqua ipsorum jussa „ contemsere (a) ". Deinde pro suæ argumentationis base, & fundamento constituit, „ erroris pravam notam esse, veterem Ecclesiæ disciplinam consuetudine roboratam convellere, majoresque „ nostros quocumque modo damnare, quorum conversationem intuentes imitari fidem oportebat, & in Ecclesia tot prærogativis „ præfulgente tamquam Dei veri nescia prolapsionem ad Idolorum „ cultum subvereri (b) ". Dein sic in campum prodit. S. Jo. Dam. Analysis primi Sermonis.

„ Illum novi, qui citra mendacium dixit: *Dominum Deum tuum* „ *adorabis, & illi soli servies. Non facies tibi sculptile omnem* „ *similitudinem eorum, quæ in Cælo sunt sursum, & in terra deorsum* .... ideo Deum unum adoro .... Creaturæ non servio potius, quam Creatori, cui soli Latriæ cultum adhibeo. Verum „ ipsi Creatori, qui instar mei creatus factus est ..... atque ad „ creaturam descendit, ut .... divinæ naturæ me consortem faceret, simul cum Rege, ac Deo corporis, ut ita loquar, purpuram adoro .... Quamobrem invisibilis Dei imaginem efformare „ non dubito, non qua invisibilis est, sed qua propter nos carni, „ & sanguini participando factus est visibilis (c). At inquiunt: „ Deus ait: *Non facies omnem similitudinem*.... Sed disce, quonam sensu id Legislator interpretetur ..... *Et loquutus est Dominus ad nos de medio ignis. Vocem verborum vos audistis, &* „ *similitudinem non vidistis, sed vocem tantum*; .... *ne forte elevatis oculis ad Cælum, & Solem, & Lunam intuitus, & astra,* „ *omnemque Cæli ornatum, errore deceptus adores ea, & servias* „ *ipsis* (d). Cernis hoc unum consilium esse, ne scilicet Creaturæ potius, quam Creatori serviamus, neve præter ipsum cuiquam servilem cultum offeramus (e) .... Judæis quidem, quoniam ad Idola colenda propensiores erant, hæc injuncta fuerunt. „ Nos autem, quibus datum est, ut, agnita veritate, cum Deo „ pure versemur, & infantiæ ætate transacta, in virum perfectum „ eva-

(a) *Ibid. n. 1. pag. 307.*
(b) *Ibid. n. 2. pag. 308.*
(c) *Ibid. n. 4. & 5. pag. 309.*
(d) *Ibid. n. 6. p. 309.*
(e) *Ibid. n. 7. pag. 310.*

S. JO. DAM. „ evasimus, non sumus amplius sub pædagogo; quippe qui discernendi facultatem, & habitum consequuti illud sciamus, quid „ imagine exprimi possit, quidve delineare non liceat ..... Quomodo illius, quod formæ est expers, forma adumbrabitur? Quibusnam qui corporeus non est, coloribus describetur? At cum „ eum, qui incorporeus est, propter te hominem factum conspexeris, tum humanæ illius formæ similitudinem poteris exprimere... „ Ortum ex Virgine, Baptismum in Jordane, Transfigurationem „ in Monte Thabor, cruciatus, & mortem ... Crucem illam salutarem, sepulturam, resurrectionem, in Cælos ascensum ..... „ coloribus describe, nihil prorsus vereare (*a*)". Dein ad explicandas progreditur voces *Imago*, & *Adoratio*, scribens: „ Viva, „ naturalis, ac nulla re dissimilis imago Dei invisibilis est ipse Filius (*b*).... Sunt item in Deo imagines, & exempla rerum „ ab ipso producendarum (*c*).... Rursum imagines sunt visibilia „ illa, quæ res invisibiles, atque expertes figuræ corporeis formis „ exprimunt, quo subobscure saltem percipiuntur. Nam Divina „ Scriptura Deum, & Angelos circumvestit figuris .... Videmus „ siquidem in creatis rebus imagines, quæ subobscure nobis revelationes divinas indicant; ut cum dicimus, Trinitatem supremam „ per Solem, lucem, & radium, aut per rosæ plantam, florem, „ & odorem significari (*d*). Ad hæc imago dicitur futurorum, „ quæ ænigmatice, ea quæ futura sunt, adumbrat, ut Arca, Virga, Urna Beatam Virginem, ac Deiparam, ut serpens æneus „ Christum, ut denique mare, aqua, & nubes Baptismi spiritum „ designabant (*e*). Præterea rerum gestarum imago dicitur, quæ „ in rei alicujus stupendæ recordationem ad posterorum, qui id conspexerint, utilitatem. Atque ejusmodi imago duplex est: tum „ quæ per sermonem in libris exaratur, quomodo Deus legem tabulis insculpsit .... tum quæ per sensibilem considerationem præterita revocat, ut cum in perenne monimentum urnam, virgamque in Arca reponi jussit. Aut igitur omne genus imaginum „ tolle... aut singulas juxta rationem, ac modum unicuique convenientem suscipe (*f*)".

Explicata voce *Imaginis*, *Adorationis* quoque nomen exponit dicens: „ *Adoratio* est obsequii, ac reverentiæ signum; atque hujus „ varios modos novimus. Prior ea est, quam per Latriam Deo soli suapte natura adorando exhibemus. Hanc sequitur altera, „ quam propter ipsummet Deum ..... amicis ipsius, ac famulis „ præstamus, ut cum Jesus Nave filius, & Daniel Angelum ado-

„ rave-

(a) *Ibid. n. 8. pag. 310.*
(b) *Ibid. n. 9. pag. 311.*
(c) *Ibid. n. 10. pag. 311.*
(d) *Ibid. n. 11. pag. 312.*
(e) *Ibid. n. 12. pag. 312.*
(f) *Ibid. n. 13. pag. 312.*

„ raverunt; vel locis Dei præsentia sacris, vel Principibus ab ipso „ creatis, ut Jacob tum Esau fratrem suum primogenitum, tum „ Pharaonem constitutum a Deo Principem adoravit; itemque Jo- „ sephum ipsiusmet fratres. Novi quoque honoris mutui gratia ado- „ rationem adhiberi, qualem Abraham filiis Emmor exhibuit. „ Aut ergo omnem aufer adorationem, aut omnem admitte, cum „ debita tamen ratione, ac modo (a)".

S. Jo. Dam.

„ At vero mihi dicas velim: nonne Deus unus Deus est? Quid? „ Contraria sanxit? Nam extra creatarum rerum numerum non „ sunt Cherubim. Ergo eccur hominum manu fabrefactis Cheru- „ bim obumbrari Propitiatorium jubet? .... Quid Arcam? quid „ Urnam? quidve Propitiatorium fuisse ais? Annon hominum ma- „ nibus fabricata? Nonne ex vili, ut ipse loqui amas, materia „ constructa sunt? Quid vero totum Tabernaculum? nonne ima- „ go, nonne umbra, atque exemplum erat? Quocirca Divinus A- „ postolus ait: *qui exemplari, & umbræ deserviunt cælestium* .... „ Quare si lex, quæ imagines prohibet fieri, imaginis figura est; „ quid jam dicemus? At si Tabernaculum umbra est, & figura „ figuræ; cur lex imagines non pingi jubeat? (b) .... An non- „ ne materia erat lignum Crucis fortunatissimum? .... Nonne ma- „ teria mons sanctus, ille Calvariæ locus? .... Numquid materia „ non est sanctum Monumentum nostræ fons Resurrectionis? An „ non materia tum atramentum, tum Sanctissimus Evangeliorum „ liber? Nonne quoque materia mensa vivifica, ... aurum, & „ argentum, e quibus Cruces, Disci, Calicesque conficiuntur? ... „ Numquid materia non sunt Corpus, & Sanguis Christi? Ho- „ rum omnium cultum, adorationemque e medio tolle, aut Ec- „ clesiasticis institutis obtemperans, sine, imagines adorentur (c)": Ex hoc loco apparet, plures res sensibiles, & materiales ab ipsis Iconoclastis venerationis loco habitas.

Prosequitur Damascenus: „ Si propter legem imaginibus interdi- „ cis, jam satage, ut Sabbatum, Circumcisioque serventur. Ast „ illud scito, quod *si legem observetis, Christus nihil vobis pro- „ derit*. Ast inquiunt: Satis tibi fuerit Christi, vel Matris ejus „ Deiparæ imaginem conficere. O rem absurdam! Te ipse ergo „ Sanctorum inimicum profiteris. Nam si Christi quidem imaginem „ pingis, nequaquam vero Sanctorum, plane non imagines prorsus „ prohibes, sed Sanctis potius suum denegas honorem . . . Non „ adversus Imagines, sed adversus Sanctos bellum moves . . . (d) „ Templi parietibus Salomon cælatos insculpsit Cherubim, & pal- „ mas intus, & foris, . . . boves præterea, leones, & malogra- „ nata. An non igitur multo honorificentius fuerit, Sanctorum „ figu-

(a) *Ibid. n. 14. pag. 312.*
(b) *Ibid. n. 15. pag. 315.*
(c) *Ibid. n. 16. pag. 316.*
(d) *Ibid. n. 19. pag. 315.*

S. JO. DAM. „ figuris omnes domus Dei parietes ornare, quam animantium, „ & arborum (*a*)? . . Quocirca Christum Regem, & Dominum oculis ita subjicimus, ut nec suo spoliemus ipsum exercitu. „ Nam exercitus Domini sunt Sancti. Exercitum suum prius dimittat Imperator terrenus, quam Regem, ac Dominum suum „ spoliare audeat . . . . Nullum olim cujusvis hominum nomine „ Templum erigebatur, neque mors justorum ulla festivitate celebrabatur, quin plangebatur potius. Qui mortuum tetigisset, „ immundus habebatur; etsi vel ipsum Moysem. Nunc autem „ Sanctorum memorias festivis prosequitur honoribus . . . . Aut „ igitur solemnes Sanctorum memorias præter veteris legis præscriptionem receptas tolle; aut illorum imagines, quas contra legis „ tenorem confectas asseris, haberi permitte. Verum fieri nequaquam „ potest, ut Sanctorum memoriæ celebritate sua careant; quippe „ quas Sanctus Apostolorum, divinorumque Patrum chorus agi „ præcipiat. Nam ex quo Deus Verbum factus est Caro . . . . „ jam tum reipsa in Sanctos evasimus . . . . adoptivi filii, hæredesque Dei vere facti sumus . . . Unde non luctu, quin potius „ gaudio Sanctorum exitum prosequimur (*b*) . . . Apostolorum „ umbra, sudaria quoque morbos pellebant, dæmones fugabant; „ eccur umbræ, & imagini Sanctorum suus pariter honos non „ erit? Aut illud omne, quod materia constat, adorari prohibe; „ aut nihil obtrudas novi, neu terminos transferas, quos posuerunt „ Patres nostri (*c*) ". Et hic recitat Damascenus celebre Basilii testimonium (*d*), & illud Apostoli: *Itaque, fratres, state, & tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram* (*e*).

Solvit deinde objectionem ex facto S. Epiphanii, qui velum dilaceravit, in quo imago picta erat, scribens: „ Primum illud respondendum, libellum istum fictum, suppostitiumque esse (in „ quo scilicet illud enarrabatur factum). Secundo: Quemadmodum B. Athanasium prohibuisse novimus, ne Sanctorum corpora capsis reconderentur, quin potius humo tegi præcepisse, eo „ quod absonum morem Ægyptiorum, qui mortuos suos terra non „ humabant, sed in lectulis, & scimpodiis reclinabant, vellet abrogare: Epiphanius . . . ut tale quid corrigeret, imagines faciendas non esse censuerit. Quod enim Epiphanius hujus sententiæ non fuerit, ut illas penitus auferret, testis est ipsamet Ephanii Ecclesia, quæ ad hanc nostram usque ætatem imaginibus „ undequaque decoratur (*f*) ".

In

(a) *Ibid. n.* 20. *pag.* 316.
(b) *Ibid. n.* 21. *pag.* 316.
(c) *Ibid. n.* 22. *pag.* 318.
(d) *De Spir. Sanct.* 1. *Cap.* 27.
(e) *Ad Thessal.* 2. 14.
(f) *Ibid. n.* 26. *pag.* 319.

In calce sermonis plura recitat SS. Patrum testimonia pro cultu Sanctarum Imaginum; nimirum Dionysii vulgo Areopagitæ, Basilii, Gregorii Nysseni, qui de se scribit: Sacrificii Abrahamitici *imaginem depictam sæpius vidi*, *nec a lacrymis temperare unquam potui*, *cum ars perspicue rem gestam oculis explicaret*; S. Jo. Chrysostomi, Leontii Neapolis in Cypro Episcopi, de quo, recitatis ejus testimoniis, subdit: „ An non B. Epiphanii dictorum fidelis „ interpres fuit Leontius, qui sua quoque doctrina Cyprum insu„ lam exornavit “? Deinde sic concludit: „ Cum itaque multi „ antehac Sacerdotes, Regesque fuerint a Deo Christianis con„ cessi, qui sapientiæ, religionis, doctrinæ, sanctitatis laude cla„ ruerunt; plura item Concilia a Sanctis, divinoque Spiritu affla„ tis Patribus celebrata sint; quidnam causæ fuit, ut eorum ne„ mo tale quid agere ausus sit? . . . Non committemus, ut aliud „ alias sentiendo pro temporum ratione mutemur; neque ut fi„ des nostra apud illos, qui ab ea alieni sunt, ludibrio fiat, „ ac derisioni. Imperatoris edicto obtemperari non permitte„ mus, Patrum consuetudinem evertere conantis. Neque enim „ religiosorum fuerit Imperatorum Ecclesiasticas convellere san„ ctiones. Hæc paternam pietatem non sapiunt. Nam quæ per „ vim, & non libera suasione patrantur, prædatoria sunt. Hoc „ testatur celebrata secundo Ephesi Synodus, quæ ad hanc usque „ diem *Latrocinii* nomen obtinet . . . . His de rebus aliquid sta„ tuere non ad Imperatores spectat, sed ad Concilia . . . Ligan„ di, atque solvendi potestatem non Regibus tradidit Christus, „ sed Apostolis, eorumque successoribus, & Pastoribus, atque Do„ ctoribus. *Licet vos* (inquit Paulus Apostolus), *aut Angelus evan„ gelizet præter id*, *quod accepistis*; quod sequitur modo tacebimus „ (idest *anathema sit*) parcentes illis, quorum conversionem spe„ ramus. Sin autem, quod avertat Deus, in opinione perversa „ obstinatos viderimus, tum reliqua pronuntiabimus (*a*) “. Hæc postrema verba indicare videntur, Damascenum hunc a se elucubratum sermonem statim vulgasse post edictum Leonis Imperatoris adversus Imagines, idest anno 730. priusquam de exilio S. Germani Patriarchæ certior fieret; de qua re solum in secundo sermone meminit.

S. Jo. Dam.

Sermonis secundi & tertii analysis.

Se scribere coactum dicit in initio secundi sermonis Damascenus, „ ne ceu inutilis servus sermonis talentum sibi a Domino commis„ sum in terram fodere videatur, sed apud mensarios deponat “. Cum vero sermonis talento designet potestatem prædicandi in Ecclesia, pronum est colligere, tunc eum Presbyterii honore fuisse insignitum. Subdit: „ Quin ut alteram hanc pro Imaginibus dis„ sertationem scriberem, mihi suggesserunt quidam Ecclesiæ filii, „ & alumni, quia intelligentiam prioris multi satis assequuti non „ essent

(a) *Ibid. pag.* 329.

S. Jo. Dam. „ essent (*a*) “. Enumerat deinde varias Satanæ artes, & dolos, queis elapsis temporibus homines dementavit, scilicet atheismum, idololatriam, hæreses. „ Nunc vero (inquit) Diabolus veritatis „ inimicus . . . . cum non Gentes modo, sed & ipsosmet Judæos „ sæpe decepisset, ut corruptibilium hominum, volucrum, bellua- „ rum, & serpentium conderent Imagines, quas tanquam Deos „ adorarent; Ecclesiam perturbare nititur excitando, qui dicerent, „ quæ pro nostra salute a Christo mirabiliter, & a Sanctis forti- „ ter gesta sunt, imaginibus pingenda non esse, quæ contemple- „ mur, veneremur, admiremur, & imitemur (*b*) “. A pronunciando tamen anathemate adversus illos abstinendum modo esse dicit, quando emendationis expectandæ locus est (*c*). Deinde argumenta in primo sermone proposita rursum repetit: & verba legis omnem imaginem fieri prohibentis sic iterum explicat scribens: „ Illud nosse oportet, in omni negotio id præsertim quæri, quid „ verum, quidve falsum sit, & quo quisque consilio aliquid fece- „ rit, an bono, an malo. Nam in Evangelio & Deus, & An- „ gelus, & Homo, Cælum, Terra, Aqua, Ignis, & Aer, Sol, „ Luna, Astra, Satanas, Dæmones, & Serpentes . . . . omnia „ bona, & mala descripta sunt. Verum quandoquidem omnia, „ quæ de illis feruntur, vera sunt . . . illa nos adoramus, com- „ plectimur, & osculamur, atque oculis, labiis, & corde saluta- „ mus... At turpem, & execrabilem ... Manichæorum, Genti- „ lium, aliorumque Hæreticorum Scripturam. . . reprobamus, ac „ rejicimus, quamlibet Dei nomen contineat. Ita pariter ubi de „ Imaginibus agitur, veritas quærenda est, sensusque illorum, qui „ illas faciunt. Atque siquidem verus, rectusque sit, & ad Dei „ gloriam, Sanctorumque ejus illæ conducant . . . venerari nos „ oportet, & osculari, & oculis, & labiis, & corde comple- „ cti (*d*) “.

Discrimen etiam urget, & limites signat Potestatis temporalis, & spiritualis scribens: „ Attende, quid dicat Apostolus: *Et quos-* „ *dam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secun-* „ *do Prophetas, tertio Pastores, & Doctores*. Non adjecit: *Impe-* „ *ratores* . . . Verbum loquuti non sunt vobis Reges, sed Aposto- „ li, & Prophetæ, Pastores, & Doctores . . . Ad Imperatores „ spectat recta rei administratio; Ecclesiæ regimen ad Pastores, „ & Doctores. Ejusmodi invasio latrocinium est. Cum Samuelis „ pallium scidisset Saul, quid ei contigit? Regnum ejus abscidit „ Deus. . . Eliam Jezabel insectata est, sanguinemque ipsius lin- „ xerunt canes, & sues . . . . Joannem Herodes interfecit, & a „ ver-

(a) *Serm. 2. n. 1. pag.* 330.
(b) *Ibid. n. 4. pag.* 331.
(c) *Ibid. n. 6. pag.* 332.
(d) *Ibid. n. 10. pag.* 334.

„ vermibus consumtus periit. Nunc quoque B. Germanus . . . . „ plagis affectus exulat cum aliis Episcopis, quorum nomina igno- „ ta nobis sunt; nonne hoc prædatorium est "? Ad Imperatorem vero sermonem convertens sic eum alloquitur: „ Tibi parebimus, „ o Imperator, in his, quæ ad hujus sæculi negotia pertinent, „ in tributis solvendis, in vectigalibus . . . . Verum ad res Ec- „ clesiæ statuendas Pastores habemus, qui nobis verbum loquun- „ tur, atque Ecclesiastica instituta tradiderunt (a) ". Orientis Christiani licet in ditione Infidelium Principum positi Constantinopolitanos Imperatores ut suos legitimos Principes habebant: Romanas leges, ut poterant, custodiebant, græcoque idiomate, in quo & Damascenus scripsit, utebantur. Sic deinde prosequitur: „ Evangelium secundum Thomam scripserunt Manichæi; vos pe- „ rinde secundum Leonem Evangelium scribitote. Imperatoribus „ non assentior, qui Sacerdotium sibi Tyrannorum more vindi- „ cant. Valentem Imperatorem novi, qui cum Christianus au- „ diret, orthodoxam fidem persequebatur; Zenonem quoque, „ & Anastasium, Heraclium, & Constantinum illum, qui in Si- „ cilia occubuit, Bardaniscemque, qui & Philippicus appellatus „ est (b) ". In calce sermonis iterum Patrum testimonia in superiori recitata describit, nonnulla alia addens SS. Joannis Chrysostomi, Ambrosii, Maximi, & Joannis Antiocheni. S. Jo. Dam.

Tertius sermo pro cultu Imaginum fere nihil habet ultra, eo quod in prioribus continetur. Solum fusiorem habet testimoniorum catalogum.

Ex Præfatione conjectare licet, opusculum istud a Joanne Damasceno conscriptum fuisse, quando Damasci adhuc morabatur, & *Sanctissimo Metropolitæ Petro* (quem ideo Pastorum Principem appellat) suberat, antequam in Palæstinam monasticæ vitæ nomen daturus migrasset. Aliud non est, nisi professio fidei argumentis confirmatæ, in qua mentem suam, & Ecclesiæ doctrinam de Fidei Mysteriis, ac præsertim Trinitatis, & Incarnationis exponit summa claritate, fuse, & exacte. Duas in Christo agnoscit voluntates, & operationes naturales (c). Additionem insani Petri Fullonis Trisagio factam rejicit, & execratur; quia (inquit) „ aut Trinitati crucifixionis passionem affingit, aut quartam Tri- „ nitati personam profane inserit (d) ". Detestatur quoque Origenis nugamenta, præexistentiam animarum, stultamque earum transmigrationem (e). Œcumenicas Synodos, quas enumerat, se recipere profitetur; & omnia, quæ ab eis definita sunt. Detestatur, & anathematizat omnes, quos abjecerunt; itemque „ hære- Libri de recta sententia analysis pag. 390.

X 2 „ sim

(a) *Ibid. n. 12. p. 335. & seq.*
(b) *Ibid. n. 16. pag. 336.*
(c) *Ibid. n. 4. pag. 394.*
(d) *Ibid. n. 5.*
(e) *Ibid. n. 6.*

S. JO. DAM. „ sim omnem a Simone Mago usque ad eas, quæ nunc excitatæ „ sunt adversus Sanctam Christi, Deique nostri Ecclesiam “; & sancte jurat, „ se non communicaturum cum altero, qui fidem „ hanc non confiteatur, ac præsertim cum Maronitis (1) “; ac tandem „ observatorem futurum sacrorum Canonum Sanctorum „ Apostolorum, Sanctarumque Synodorum, & Sancti, rerumque divinarum enuntiatoris Basilii “: iisque firmiter adhæsurum (a).

Analysis Tractatus adversus Jacobitas. Libellum hunc conscripsit Auctor, cum Damasci adhuc ageret, antequam monasticæ se vitæ dedisset, jubente Petro Metropolita, qui illi hoc pensum injunxerat, ut Episcopum Jacobitam (2), cujus nomen latet, sed qui fortassis eidem Petro erat affinitate conjunctus, ab errore revocaret. Solidissimus est, & fortissimus iste Tractatus, in quo licet plurima argumenta ex Leone Bizantino in libro contra Monophysitas, illos videlicet, qui unicam in Christo post unionem naturam admittebant, sit mutuatus; alia tamen Damascenus, & quidem validiora de suo penu addidit. Quæstio itaque erat, num Christus esset ex duabus naturis, vel in duabus naturis; vel solum una facta esset post unionem in ipso natura, ut putabant Monophysitæ? Hinc S. Joannes Damascenus primo loco statuit: „ Confessa res est apud omnes SS. Patres, ex humanitate, „ & divinitate factam esse unionem, Christumque esse in divini- „ tate perfectum, & eumdem perfectum in humanitate, quæ nulla „ sui parte deficit (b) “. Quam veritatem plurimis confirmat Patrum testimoniis in calce ab ipso recitatis. Deinde pluribus argumentis ex Metaphysica depromptis ostendit, ex duabus diversis naturis nunquam unam fieri: unio enim nec unam, nec aliam destruit. „ Nam si, quæ (scribit) unita sunt, per omnia unum sunt, „ necessum est dicere, quod anima, & corpus per omnia unum „ sunt; adeoque quod incorporeum est, illud corpus erit, & corpus, „ incorporeum. Itemque quia divinitas, & humanitas unitæ sunt, „ idcirco unum erunt secundum substantialem differentiam, ut quod „ divi-

(1) Maronitæ ideo a Damasceno Hæreticis adnumerantur, quia Trisagio additamentum Petri Fullonis apponebant. Et licet illud additamentum Catholico sensu accipi possit, a S. Ephremio Antiocheno Patriarcha adprobato, nimirum si Trisagion ad solum Verbum incarnatum referatur: attamen Damasceni ætate hæreticus habebatur, qui ad solam Verbi personam hymnum hujusmodi restringeret, adjecta in primis crucifixione; non solum quia hujusmodi Cantica, quibus Deus ter *Sanctus* celebratur, ad Trinitatem referri Patres censuerunt; sed etiam quia, ut can. 81. Trullano declaratur, interpolationis hujus, ut superius notavimus, parens fuit Petrus Fullo Monophysita, qui passiones carnis in divinam Christi naturam refundebat.

(a) *Ibid. n.* 8. *pag.* 395.

(2) Jacobitæ erant Eutychiani, & Monothelitæ, quorum plures adhuc in Oriente supersunt.

(b) *Ibid. n.* 14. *pag.* 400.

„ divinum eſt, creatum ſit, & quod humanum, increatum (*a*)". Sicut itaque anima, & corpus etiam poſt eorum unionem ſuas ſervant naturæ proprietates, idem eſt & de humanitate, & divinitate dicendum etiam poſt earum unitionem. Immo Damaſcenus ulterius progreditur ſcribens: „ In omni unione quæ uniuntur, quamvis confundantur, quamvis permiſceantur, manent, ut a natura propria nihil deſciſcant. Licet enim vinum admiſceatur „ aquæ, duæ naturæ ſunt in illa temperatione: cera quoque, & „ pix, licet confuſæ ſint, neutrum tamen a natura ſua excidit, „ ſed in mixtione naturæ duæ perſiſtunt (*b*)". Explicat autem, quo in ſenſu nonnulli Patres dixerint: *Unam naturam Dei Verbi incarnatam*, ſcilicet „ per abuſionem, non proprie. Naturæ no„ mine hypoſtaſim ſignificarunt, ut proinde ſit iſta locutio, ac ſi „ dixiſſent: *Unam hypoſtaſim divini Verbi incarnatam*. Non enim „ natura divini Verbi incarnata eſt, ſed hypoſtaſis. Cujus etiam „ teſtis eſt Evangeliſta, hoc modo diſerte clamans: *Verbum caro* „ *factum eſt*. Atqui Verbum non eſt natura, ſed hypoſtaſis (*c*)". Tandem in illos invehitur, qui additionem Triſagio fecerunt; quam blaſphemam decernit, ceu qua Trinitati quarta Perſona inſeratur (*d*). Vide ſuperiorem notam. S. JO. DAM.

De Dialogo hoc nihil habet Auctor Gallus; ſic nec de duobus libellis, qui ſequuntur, fortaſſis quia minime genuinos Damaſceni fœtus habuit. Verum, ne nihil deſit Lectori ad ejus eruditionem, & plenam Operum Damaſceni notitiam, eos indicare ſaltem operæ pretium duximus. Revera Jacobus Billius in dubium vertit, num Dialogus adverſus Manichæos genuinus ſit Damaſceni fœtus? cui dubitationi & Combefiſius adhæſit. Uterque tamen fatetur, diſputationem hanc dignam plane eſſe, quæ Damaſceni nomen præſeferat. Quin adjicit Combefiſius, *vix ovum ovo ſimilius Damaſceni reliquis, ac indubitatis Operibus*. Suſpicionis vero, & dubitationis illud in cauſa fuit, quamobrem Auctor cæteroquin Catholicus in ea fuerit ſententia, ut ignem, quo torquentur Dæmones, & impii, verum corporeumque eſſe negaret, aut ſaltem metaphorico ſenſu intelligeret. Verum non eſt, cur miremur, Orientalem Theologum ea ſentire, & dicere, quæ nonnulli etiam Occidentales Doctores, & Patres docere non formidarunt. Legantur S. Ambroſius *in cap.* 14. *Evang. ſecundum Lucam*, & Hieronymus in calce *Commentarii in Eſajam*. Immo nunc quoque Theologi non deſunt, qui doceant, fidei caput non eſſe, igne vero, & corporali plectendos eſſe damnatos, ut videre eſt in Catechiſmo Epiſcopi Monſpelienſis (*e*), qui & Eſtium citat (*f*). Dialogum hunc ſcri- Dialogus adverſus Manichæos.

(a) *Ibid. n.* 17. *pag.* 401.
(b) *Ibid. n.* 44. *pag.* 406.
(c) *Ibid. n.* 52. *pag.* 408.
(d) *Ibid. n.* 85. *pag.* 418.
(e) *Part.* 1. *ſect.* 2. *cap.* 5. §. 21.
(f) *In* 4. *ſent. diſt.* 44. §. 12. *&* 13.

S. JO. DAM. scripsit Damascenus, quando in Syriæ partibus sub Paulacianorum nomine denuo pullulare, & invalescere cœpit Manichæorum secta. In eo eorum impia deliria, profanaque dogmata præcipue exponit; variis eos argumentis exagitat, innumeras ex principiis ipsorum conclusiones deducendo, quibus persentiscant omnes, hæresim hanc talem esse, quæ non fidei solum, sed etiam probis moribus perniciosissima sit, & Rerumpublicarum statui, & regimini insidietur (*a*).

Disceptationes cum Sarraceno. Disceptationes subsequuntur cum Sarraceno, de quibus quoque Gallus Auctor silet. Harum græcus textus nondum prodiit, sed Lambecius latere dicit in Bibliotheca Cæsarea Cod. 257. Hinc Latina tantum habetur versio rudis, & recens. Græcum magna ex parte deprompsit Lequienius, ut ipse scribit, ex Dialogis Theodori Abucaræ, qui ex ore Joannis nostri excepit. In primo autem Dialogo ostendit, quomodo probari possit Sarracenis, Christum esse Verbum Dei, & verum Deum; quomodo natus sit, passus, & crucifixus pro nobis. Deinde de causa mali disputat ostendens, omnium bonorum causam Deum, mali autem non, sed solum liberum hominis arbitrium a recto tramite declinans. In secundo vero Dialogo, qui brevissimus est, ostendit, quare Moysi, & Christo credendum sit, non vero Muhametho; quia scilicet illi missionem suam miraculis comprobarunt a Deo esse; quod a Muhametho præstitum nequaquam fuit.

De Draconibus. De Draconibus opusculum, ut animadvertit Lequienius, prolixioris lucubrationis fragmentum videtur. Damasceno tribuunt Codex XV. Bibliothecæ Seldeni, nec non alius Romanus S. Mariæ de Vallicella. Nihil est, quod illud Damasceno auferre cogat. In eo ostendit, Dracones incubos nullos esse: familiares enim erant apud Sarracenos de Draconibus incubis fabellæ. Dracones vero non Dæmones esse, sed animantia, & quidem sine veneno; nec a fulmine exagitari, atque in aera tolli, & occidi. Deinde ostendit, quam periculosa sit ignorantia divinarum Scripturarum. Nonnulla subduntur de Strygibus.

De Sancta Trinitate p. 474. Tractatus de Trinitate, qui certe vel Damasceni est, vel ex genuinis ejus Operibus excerptus, in Dialogi formam est exaratus. In eo Trinitatis doctrinam accurate exponit, & nonnulla passim de Incarnatione interserit. In Christo duas distinctas, & inconfusas statuit naturas, divinam scilicet, & humanam. „ In Dei „ Verbi subsistentia unam naturam incarnatam dicit esse adoran„ dam una adoratione, quoniam ex duabus essentiis congressis una „ persona facta est, quæ adoratur “. In ipso duas essentias, duas operationes, duas voluntates confitendas docet (*b*).

Epistola ad Jordanem de Trisagio p. 480. Cum Severus Orientalibus persuasisset, Trisagium totum Christo potius cani debere, quam Trinitati, Ephremius, qui paulo post

(a) *In Præf. libri pag. 427. & seq.*
(b) *Ibid. n. 5. pag. 477.*

post ipsum Antiochenam rexit Ecclesiam, etsi Catholicæ Fidei studiosissimus foret, ne turbis, seditionibusque occasionem præberet, satius duxit concedere, ut Trisagium ab Orientalibus secundum interpretamentum istud cum interpolatione caneretur; quod summopere placuit præcipue Monophysitis, qui nonnisi unam post unitionem in Christo profitebantur naturam. Hinc factum est, ut cum Constantinus Imperator plures ex Syris hisce Monophysitis ex Germanicia, aliisque Syriæ urbibus a Musulmanis recuperatis Constantinopolim traduxisset, in ea urbe, & aliis Thraciæ, ubi degebant, canerent Trisagion cum ea additione: *Qui crucifixus es pro nobis*, ad Christum illud dirigentes. Interim Sergius Abbas sciens, Anastasium S. Euthymii in Palæstina Abbatem nonnulla Sanctorum Patrum loca protulisse, quibus ostenderet, Trisagion hymnum ad solum Filium referri; hac de re certiorem reddit Damascenum, addens, Anastasium hoc affirmare, ipsum quoque Damascenum huic sententiæ annuisse, & calculo suo comprobasse, quin & Beatissimum quoque Hierosolymorum Patriarcham Joannem ejusdem secum sententiæ fuisse. His delatis ad Damascenum literis per Abbatem Job, statim Jordani Abbati respondet, primo dicens, „ se valde mirari, si hæc ita sint; & rursum mirari, si „ ita non sint. Nam & rectam... Anastasii vitam perspectam „ habemus (scribit) . . . & rursum, quam a mendacio accusa- „ tor alienus sit, plane novimus (a) “. Deinde ad quæstionem procedens, demonstrare conatur, recitationem Trisagii cum additione illa cantare, & hymnum ad Filium solum referre, ad renovandam hæresim Petri Cnaphæi, seu Fullonis quam maxime conducere. Nam scribit: „ Definite pronuncio, Deum per „ Seraphim, ac per Trisagium hymnum unam in tribus hypostasi- „ bus divinitatem, ac dominationem tanquam per arithmeticam „ quamdam declarationem Isajæ revelasse. Cur enim non bis; „ aut quater, aut sexcenties vocem hanc *Sanctus* cecinerunt? Quid „ item est, cur nec bis, aut quater, aut sexcenties hæc verba: „ *Dominus Deus Sabaoth* . . . pronunciarunt? Verum vocem *San-* „ *ctus* ter, vocabulum autem *Dominus* semel dumtaxat Seraphim „ exclamarunt. Annon ut ostenderent, tres quidem esse san- „ ctas hypostases, unam vero trium dominationem, unum impe- „ rium (b)? . . . Hinc Trisagius Hymnus, quandoquidem tres „ Personas indicat, uni dumtaxat Personæ nequaquam conve- „ nit (c) . . . Si quis a nobis sciscitetur, cur baptizando tripli- „ cem immersionem facimus, quidnam aliud respondebimus, nisi „ quod pro qualibet Persona semel immergamus, ac ter, quia tres „ Personæ sunt; non autem ter pro qualibet Persona? Nam alio-

S. Jo. Dam.

X 4 „ quin

(a) *Ibid. n. 1. pag.* 481.
(b) *Ibid. n. 2. pag.* 482.
(c) *Ibid. n. 3. pag.* 483.

S. Jo. Dam.

,, quin novem immerſiones adhibendæ forent; quod omnino nefas ,, eſt (*a*)... Similiter in ſancta oblatione divinorum Myſteriorum, ,, poſtquam populus triſagium hymnum cecinit, Sacerdos velut hy- ,, mnum intrepretans ſubjungit: *Sanctus es Rex ſæculorum*, *atque* ,, *Sanctitatis omnis Dominus*, *ac largitor*. *Sanctus etiam Unigeni-* ,, *tus Filius tuus* . . . *Sanctus item unus Spiritus Sanctiſſimus* ... ,, At in elevatione ſacræ Euchariſtiæ non dicimus ter *Sanctus*, aut ,, ter *Dominus*; ſed: *Unus Sanctus*, *unus Dominus Jeſus Chriſtus* ,, *in gloria Dei Patris cum Sancto Spiritu* (*b*) ". Urget etiam traditionem Eccleſiæ ſcribens: ,, Ritus, & traditiones Eccleſiæ ,, ſuum vigorem obtinere debent: *Ne tranſgrediaris terminos anti-* ,, *quos*, inquit Scriptura, *quos poſuerunt Patres tui*. Atque, ut ,, Magnus monet Baſilius: *Quidquid antiquitate excellit*, *venera-* ,, *tionem meretur*. Igitur Eccleſiæ hic ritus antiquitus traditus ,, fuit, ut ad modum textus dicatur: *Gloria Patri*, *&* *Filio*, *&* ,, *Spiritui Sancto* (*c*) ". Expendit deinde teſtimonia SS. Athanaſii, Epiphanii, Cyrilli, Procli Conſtantinopolitani, Baſilii, & Gregorii Nyſſeni ab Anaſtaſio producta, ut evinceret, Triſagion eſſe ad Filium referendum. Et evincit, nullum ex Patribus a Triſagio excluſiſſe vel Patrem, vel Spiritum Sanctum, nec opinioni Anaſtaſii ullo modo favere. ,, Cum autem Filius nec a Patre, ,, nec a Spiritu Sancto ſeparari queat, profecto nec hymnus etiam ,, dividi poteſt (*d*) ". Seraphim ter *Sanctus* clamantes, non Patrem ſolum, non ſolum Filium, non Spiritum Sanctum ſolum indicant, ſed totam divinitatem in tribus Perſonis coexiſtentem. Si enim Triſagium ad ſolum Filium referretur, Seraphim ſemel tantum *Sanctum* dixiſſent, ſicut ſemel *Dominum* pronuntiant. Denique ſic libellum claudit: ,, Hæc ut omnibus Patribus, fratribuſque, & ,, univerſo Eccleſiæ cœtui recitentur, obſecramus; verbiſque placi- ,, dis rogetur . . . Abbas Anaſtaſius . . . ut hujuſmodi conten- ,, tioni finem imponat (*e*) ". Recitat vero formulam Triſagii uſurpatam in Eccleſia Hieroſolymitana, quæ hujuſmodi eſt: ,, Sanctus Deus & Pater, Sanctus fortis, Filius Dei incarnatus, ,, & pro nobis crucifixus carne, Sanctus immortalis Spiritus San- ,, ctus, unus Dominus Sabaoth miſerere nobis (*f*) ". Illam vero ideo protulit (ut ipſe ſcribit, ,, ne nos deinceps quis accuſet, nec ,, beatum Patriarcham Joannem, quaſi certum habeamus, de una ,, dumtaxat Perſona divina Triſagium Hymnum dicendum eſſe ... ,, Quis enim Beatiſſimi Patriarchæ Joannis mentem me melius ,, novit? . . . . quippe qui nullam unquam ſpiritualem doctri- ,, nam

(a) *Ibid. n.* 5. *pag.* 485.
(b) *Ibid. n.* 27. *pag.* 496.
(c) *Ibid. n.* 6. *pag.* 486.
(d) *Ibid. n.* 3. *pag.* 483.
(e) *Ibid. n.* 26. *pag.* 495. (f) *Ibidem.*

S. Jo. Dam.

„ nam efflavit, quam mihi ceu discipulo suo non communicave- „ rit (a)".

Epistola de Sanctis Jejuniis p. 499.

Ante postremam Editionem Operum Damasceni hujus ad Cometam Monachum Epistolæ nonnisi fragmenta vulgata fuerant. At integram dedit Lequienius ex Codice Florentino Mediceo. Hujus porro parentem esse Damascenum suadet inscriptio, quam MM. SS. Codices varii præferunt. Suadet familiare nostro Auctori adagium illud: *Ne bonum quidem est bonum, nisi bene geratur*. Suadent etiam illa verba, quibus se ostendit Presbyterum Ecclesiæ Resurrectionis Christi, quæ Hierosolymis est. Respondet Cometæ Monacho, quem *spiritualem fratrem* appellat, sciscitanti, num ipse Quadragesimæ jejunium ad octo hebdomadas prorogari posse alicubi concessisset? Nam hic hebdomadarum numerus jejunio Quadragesimali deputatus apud Hæreticos dumtaxat, præsertim Severianos obtinebat. Porro Cometæ Monacho incredibile videbatur, Damascenum contra Ecclesiæ consuetudinem cum Hæreticis sentire. Sic itaque illi respondet Damascenus: „ Cum dissensio- „ nem de sanctis jejuniis in aerem usque attolli cernerem, gravi- „ ter lugebam, mœrebamque . . . . Quocirca illis quidem, qui „ septem hebdomades sacris jejuniis impendendas esse dicerent, con- „ silium dabam ne litigarent, pulchrumque Christi corpus, Eccle- „ siam dico, discinderent, quinimmo morem potius gererent iis, „ quibus præsulatus, verbique dispensatio credita essent . . . Illis „ vero, qui octo hebdomadas statuunt, suggerebam, nec bonum „ ipsum esse bonum, nisi bene geratur . . . . In ejusmodi rebus „ neutiquam convenit sancire, aut cogere, aut commissum gre- „ gem necessitate imposita adigere, sed suasione magis, mansuetu- „ dine, & sermone sale condito (b)". Hæc sunt, quæ se dixisse ingenue confitetur Damascenus. Dein subdit: „ Si vero, quæ „ nostra sententia sit, palam facere oportet... Sic Ecclesiæ con- „ suetudinem ex traditione non scripta novimus, ut hebdomadem „ jejuniis præviam observaremus, in qua tantummodo a carnibus, „ & usque ad vesperam jejunando abstineretur . . . tum sex de- „ inde . . . etiam ab ovis, caseoque, & aliis ejusmodi, simul- „ que a carnibus abstinentia esset. Hebdomade vero Passionis xe- „ rophagia, seu ex siccis cibis constaret . . . . Tum denique in „ sancta, tremendaque Parasceve omnimoda abstinentia esset usque „ ad Sabbati vesperam. Cæterum vespera Sabbati omnibus qui- „ dem eduliis vesci liceret, præter quam carnibus: demum Do- „ minica sancta Resurrectionis carnes comederent, quibus place- „ ret (c)". In calce Epistolæ nonnulla Patrum testimonia recitat, quæ Quadragesimale jejunium septem hebdomadibus constituunt; & alia nonnullorum Hæreticorum, qui jejunia sancta octo hebdomadibus constare asserebant. At hæc fortasse missa dici possunt-

(a) *Ibidem*. (b) *Ibid. n.* 3. *p.* 500.
(c) *Ibid. n.* 5. *pag.* 502.

S. JO. DAM.

ſunt a Cometa Monacho, ut Damaſcenus diſcrimen notaret inter Patrum doctrinam, & Hæreticorum errorem. Illud tamen advertendum, utroſque in eo convenire, quod juxta Apoſtolorum Canonem nec Sabbato, nec Dominica jejunabant. Hinc in ſingulis hebdomadibus nonniſi quinque eſſent jejunii dies, excepto Sabbato Majoris Hebdomadæ, in quo Sabbato Vigilia Paſchæ jejunabant.

Epiſtola de octo vitiis p. 505.

Sequitur Epiſtola de octo Vitiis Capitalibus, cujus non meminit Auctor Gallus. In ea ad quemdam Monachum data vitiorum capitalium genera recenſet, modoſque inſinuat ea tum vitandi, tum ſuperandi, in compendium redigens, quæ de eodem argumento Caſſianus, Nilus, aliique præſtantiſſimi aſceticæ Vitæ Magiſtri fuſius ediſſeruerunt. Capitalia vitia hæc enumerat: 1. *gula*; 2. *mala & turpis cupiditas*; 3. *avaritia*; 4. *triſtitia*; 5. *ira*; 6. *accidia*; 7. *vanagloria*; 8. *ſuperbia*. Contra turpem cupiditatem ſic decertandum docet: „ frænando corpori, conterendæ ani„ mæ; cum aſſiduis precibus te ipſum exerce . . . modeſtiam co„ le . . nullam prorſus cum mulieribus conſuetudinem habe, ut „ nec earum vultum intuearis (*a*) “. Contra mundanum mœrorem inſinuat; „ cum Religioſis, Deumque timentibus Monachis „ converſari; lætitiam cæleſtem animo concipere, nec non remu„ nerationes juſtorum “. Accediam ſubjugare ſic docet: „ Labore „ manuum tantiſper defatigare, incumbe lectioni, & aſſiduæ ora„ tioni vaca cum certa bonorum obtinendorum ſpe. Qui vero a „ vana gloria, & laudibus hominum exagitatur, operæ pretium „ eſt, ut nihil, quod hominibus oſtentatur, agat; ſed omne opus „ in abſcondito faciat . . . . neve pulchras veſtes, neque primas „ partes, neque primum locum ambiat. A dæmoniaca vero ſu„ perbiæ paſſione oppugnati neminem prorſus debent ſannis appete„ re, aut judicare, aut ſpretim habere, quin potius ſe ipſum re„ putare tamquam omnium peripſema, & purgamentum (*b*) “.

Tractatus de Virtutibus, & vitiis p. 509.

Epiſtolam ſuperius recenſitam ſubſequitur Tractatus de Virtutibus, & Vitiis a Gallo Auctore omiſſus. Superioris Epiſtolæ appendicem eſſe, non inepte conjectat Lequienius. Duo diſtinguit vitiorum, & virtutum genera juxta duplicem hominis partem, corpus, & animam. Animi virtutes has enumerat; „ fortitudinem, „ prudentiam, temperantiam juſtitiam, . . . fidem, ſpem, chari„ tatem, orationem, humilitatem, placiditatem, tolerantiam, cle„ mentiam, bonitatem, lenitatem; Dei cognitionem, ſimplicita„ tem, tranquillitatem, ſinceritatem, modeſtiam, incurioſitatem, „ liberalitatem, ſui demiſſionem, integritatem, pecuniarum contem„ ptum; compaſſionem, miſericordiam, ſeveritatem, munificen„ tiam, indolentiam, compunctionem, pudorem, reverentiam, „ pietatem, futurorum bonorum deſiderium, regni Dei appeten-

tiam

(a) *Num. 4. pag.* 506.
(b) *Ibid. pag.* 507.

„ tiam, & ut in filios adoptemur, concupiscentiam ". Virtutes vero corporis, seu potius instrumenta virtutum, hæc sunt: „ Continentia, jejunium, famis, sitis, vigilia, . . genuum spissa flexio, a balneis abstinentia, . . . aquæ potus, humi dormitio, „ paupertas, inopia, austeritas, . . . penuria, frugalitas, silentium ". Vitia vero, seu animi ægritudines has recenset: „ impietas, blasphemia, furor, iracundia, amaror, . . . obtrectatio, . . . contentio, æmulatio, invidentia, vanagloria, . . . „ simulatio, mendacium, avaritia, acedia, pusillanimitas, & alia „ plura ". Corporis vitia hæc esse dicit: „ gula, voracitas, luxus, ebrietas, fornicatio, adulterium, incontinentia, impuritas, „ incestus, puerorum stuprum, ... desideria prava, . . . furtum, „ sacrilegium &c. ". Deinde vitiorum radices indigitat, & quomodo evellendæ sint, vel mortificandæ, edocet. De triplici quoque parte animæ facultatis, scilicet rationali, irascibili, & concupiscibili disputat, & totam tractationem brevi epilogo complet. S. Jo. Dam.

Disputaturus Damascenus triplici tractatu adversus Acephalos, Monothelitas, & Nestorianos, introductionem quamdam elementarem viva voce dictavit, quæ veluti præparatoria esset ad intelligenda quæcumque de Fidei dogmatibus docturus erat præfatis tribus sive orationibus, sive tractatibus. Nondum enim Dialecticum opus conscripserat, nec librum de Fide Orthodoxa, in quo postea pressiori, compendiariaque magis ratione omnia contulit, quæ in tribus istis Dissertationibus fusius, explicatiusque digesserat. In hac itaque elementari institutione verba omnia explicat, quæ sunt ad rectam intelligentiam prænoscenda; nimirum voces substantiæ, naturæ, formæ, hypostasis, personæ, individui, differentiæ, qualitatis, proprietatis, generis, speciei, & similia. De Institutione elementari p. 515.

Præter Dissertationem contra Jacobitas, de qua superius diximus, breviorem hanc alteram scripsit adversus Monophysitas (qui & Acephali audiebant), non agnoscentes nisi unam in Christo post unionem naturam. Ideo Tractatum hunc *de Natura composita* inscripsit Damascenus; quippe quia Acephali docebant, Christum ita ex duabus naturis compositum, ut tamen post unionem nonnisi una consurrexerit ex ambabus natura. Porro inter alia argumenta sic eos refellit: „ Si divinitatis Christi, & carnis ipsius una est „ natura, itemque natura una Patris, & Christi, omnino una erit „ etiam natura Patris, & carnis (*a*) ". Et iterum: „ Si Christus „ unius est compositæ naturæ, nequaquam consubstantialis est Pa„ tri. Simplicis quippe naturæ est Pater; quod autem simplex „ est, quodve compositum est, ejusdem substantiæ non sunt (*b*) ". Urget rursum: " Si unum, & idem sunt, ut vobis placet, natu„ ra, & persona; sequitur, ut cum tres sint in Deitate personæ, „ totidem etiam naturæ sint; vel quia una natura est, una quoque „ sit Dissertatio contra Acephalos pag. 521.

(a) *Ibid. n. 2. pag.* 522.
(b) *Ibid. n. 4. pag.* 522.

„ sit persona (*a*)“. Objicientibus vero Monophysitis, quod,
S. Jo. Dam. sicut una est natura hominis, licet ex corpore, & anima constantis; ita una quoque sit dicenda natura Christi; respondet: „ Cum „ homo homini comparatur, ejusdem esse naturæ dicuntur; quip„ pe qui sub una specie comprehenduntur, & quia omnes ex „ anima, & corpore concreti sunt. At quando hominis natura „ Physicorum more consideratur, duplex in eo natura conspicitur, „ puta corporis, & animæ in una hypostasi composita. Quis e„ nim tam rudis fuerit, qui ubi anima cum corpore confertur, „ unam amborum esse naturam dicat? Porro Christi nulla est spe„ cies: neque enim multi Christi sunt & Deitate, & humanitate „ constantes .... Quin potius unus Christus ex duabus, inque „ duabus naturis agnoscendus. Gregorius siquidem Theologus ait: *Duæ quidem sunt naturæ, Deus, & homo; quemadmodum anima,* „ *& corpus: at non item duo Filii* (*b*)“.

Tractatus adversus Monothelitas p. 527. Tametsi Monothelitarum error in VI. Synodo Generali proscriptus fuisset, non omnino tamen extinctus. Ævo enim Damasceni non deerant, qui adhuc sectam illam servarent. Ideo adversus illos hanc conscripsit *de duabus in Christo voluntatibus* Dissertationem, in qua pluribus argumentis, ac præsertim Scripturæ, & Sanctorum Patrum testimoniis luculenter evincit: „ In Domino No„ stro Jesu Christo, quoniam duæ sunt naturæ, duæ quoque sunt „ naturales voluntates, ut sit tum perfectus Deus, tum perfectus „ homo; nec ei ulla divinitatis, ullave humanitatis proprietas de„ sit (*c*). Sunt autem pro naturarum diversitate duæ voluntates, „ non contrariæ. Non enim humana naturalis voluntas divinæ „ adversatur, nec naturalis volendi facultas, nec quæ ei natura „ subjecta sunt, nec ejusmodi facultatis usus. Divina quippe vo„ luntas naturalium omnium creatrix est: Quæ autem contra na„ turam sunt, ea voluntati divinæ repugnant, nempe crimina„ lium voluptatum pro sui sententia animi appetitus, idest pecca„ tum. Hoc Dominus non assumpsit: *Peccatum enim non fecit, nec* „ *dolus inventus est in ore ejus* (*d*)“.

Tractatus adversus Nestorianos p. 555. Eadem ferme methodo & adversus Nestorianos dimicat, ut evincat, unam esse in Christo Personam, & quidem Verbi etiam post Incarnationem Patri consubstantialis. In hoc vero tractatu ea vi, arte, perspicuitate pugnat, ut vel unum hoc opusculum sufficere valeat tum ad obfirmandos fidelium animos contra grassantem Socinianorum luem, tum etiam ad illos ad Catholicam Fidem revocandos. Ad unicum monumentum, quo de primæva traditione constare potest, Auctor provocat; ad Nicænum videlicet Symbolum, quod Nestoriani ceu tesseram fidei amplecti non dubitabant. De

---

(a) *Ibid. pag.* 523.
(b) *Ibid. n.* 7. *pag.* 525.
(c) *Ibid. n.* 26. *pag.* 542.
(d) *Ibid. n.* 27. *pag.* 542.

De æterna Christi generatione loquens, dicit esse *ex Patre ante sæcula sine corpore, & causa* (a); sumens scilicet nomen *causæ*, tamquam quid distinctum a principio; ut solent Latini Patres, qui Patrem quidem principium Filii dicunt, at non *causam*, cum *causæ* notio penes ipsos dependentiam, & inferioritatem in effectu arguat: at non ita notio *principii*. Consentit, Virginem dici posse & *Christiparam*, quippe quæ Christum genuit. „ At quia (subdit) justo Dei judicio immissus, pestilentissimusque Nestorius ea „ voce ad dominis *Deiparæ* extinctionem est abusus, non *Christiparam*, sed a meliori *Deiparam* eam nominamus (b) ". S. Jo. Dam.

In altero vero Tomo, cujus non meminit Auctor Gallus, vel ut compendiosius ageret, vel quia in eo contenta opera pleraque ægre Analysim admittunt, hæc continentur Opera, quæ quoquomodo recensenda sunt, ut uberior habeatur Operum Damasceni notitia. Primo itaque loco sunt Commentaria in Epistolas D. Pauli, ante Lequienii editionem nunquam edita. Sunt autem illa brevia quædam Scholia, ex Chrysostomi præsertim, & aliorum Auctorum expositionibus accepta. Hinc integræ quandoque Chrysostomi sententiæ; nonnihil mutatis vocibus, referuntur; quandoque voces dumtaxat aliquot, quandoque nihil præter S. Doctoris sensum, quem identidem quibusdam in locis Damascenus clarius reddit. Occurrunt etiam hinc inde multa, quæ Chrysostomus in homiliis non habet; in primis vero in Commentario in Epistolas ad Ephesios, ad Colossenses, ad Philippenses, & ad Thessalonicenses, in quo nihil, quod ex S. Doctore acceptum sit, occurrit. Sæpe vero concordat cum Theodoreti, nec non cum Cyrilli Alexandrini expositionibus, quas Œcumenii catena exhibet. Commentaria in epistolas D. Pauli pag. 1.

Sunt parallela Damasceni veluti collectanea tum ex Scripturis, tum ex selectissimis quibusque, & elegantissimis eruditissimorum Theologorum sententiis contexta, atque in locos varios digesta; ex quibus uberem non modo pietatis, sed etiam doctrinæ fructum Lectores decerpere queunt. Sunt autem in viginti quatuor libros, quot sunt Alphabeti Græci literæ, digesta; omniaque in illis contenta ad tres classes revocari possunt: prima ea complectitur, quæ ad res divinas pertinent; secunda de rerum humanarum statu pertractat; tertia denique vitia, & peccata respicit. Paralella p. 279.

Sequuntur nonnullæ Damasceni homiliæ, quarum prima est de Christi Transfiguratione, quam licet in aliquo Codice Joanni Antiocheno Presbytero nescio cui attribui referat Combefisius in Bibliotheca Concionatoria, stylus tamen, dictio, & perorandi modus Damasceno congruunt. In Palæstina habita est ipso Transfigurationis Dominicæ Festo in Ecclesia celebratissima, quæ in ejusdem Transfigurationis memoriam, & honorem in Monte Thabor extructa est. Nam vetustissima traditio erat, Dominum in montis hujus vertice Homiliæ S. Joannis Damasceni p. 791. Homil. de Transfigurat.

(a) *Ibid. n.* 43. *pag.* 570.
(b) *Ibidem*.

vertice divinæ gloriæ suæ Discipulis suis tribus specimen exhibuisse (*a*). In hac Homilia de S. Petro sic habet: „ Eum, qui primus „ vocatus, sequutusque est, erudit, quem prænotione sua dignum „ Ecclesiæ prædestinaverat Antistitem (*b*) ". Quærens autem, cur non omnes Apostoli ad Transfigurationis miraculum accersiti sint, hanc causam assignat: „ Oportebat, ut gloriæ inspectores „ fierent, qui postmodum essent spectatores cruciatuum futuri. Tres „ autem numero, ut Trinitatis Mysterium subindicaret; quia item „ sub duobus, vel tribus testibus omne verbum stabit (*c*) ".

Homilia de Resurrectione Domini pag. 804. Homilia secunda est de Resurrectione Christi, habita in secunda sancta, & magna feria. In ea adversus Docetas, & Apollinaristas assumptam a Christo animam ostendit, quam pro amicis suis poneret.

Sermo in Sancta Parasceve p. 810. Sermo tertius est de Parasceve, & Cruce Domini. In aliquibus Codicibus Chrysostomo perperam adscribitur. Passionem Domini describit, Christumque in Cruce pro omnibus orasse dicit, scribens: „ Ecquibus tandem peccatorum remissionem postulavit Christus di- „ cens: *Pater, dimitte illis peccatum?* Græcis, Judæis, peregri- „ nis, barbaris denique omnibus (*d*) ".

Sermo in Sabbatum Sanctum p. 815. Sequitur quarto loco sermo in Sabbatum Sanctum. In eo totus est Damascenus in explicando duplici Trinitatis, & Incarnationis Mysterio. Duas contra Eutychen ostendit in Christo naturas (*e*); non unius ex duabus compositæ; proinde duplicem in eo admittendam voluntatem, & operationem contra Monothelitas (*f*). Quærit autem, quomodo Christus, qui in Parasceve mortuus est, revixitque una Sabbatorum, eum tres dies egisse in corde terræ dicendus sit? Et respondet, noctis tenebras in Christi morte super universam terram offusas pro nocte computandas (*g*).

Homiliæ de Beata Virgine p. 833. Quatuor subsequuntur Homiliæ de Beata Virgine, quarum prima est in Annunciationem Dei Genitricis, quæ cum græce non reperiatur, est ex Arabico Codice desumpta; sed magna ex parte manca videtur, & mutilata, nec integre reddita ab Interprete Arabico. Hinc est, quod Damasceni ingenium, venamque non satis ubique referat, quam tamen prima orationis pars non male repræsentat. Altera est in ejusdem Virginis natalitium diem, quæ plurimas complectitur Deiparæ laudes. Illud tamen notandum, quod Damascenus non futuram Incarnationem sensit, si peccatum defuisset. Sic enim scribit: „ Ubi abundavit peccatum, superabundavit „ gratia. Nam si primam cum Deo societatem conservavissemus, „ præstantiorem, atque admirabiliorem nequaquam nacti esse- „ mus

(a) *Lequien. in Notis pag.* 791.
(b) *Ibid. n. 6. pag.* 795.
(c) *Ibid. n. 7. pag.* 796.
(d) *Ibid. n. 9. pag.* 815.
(e) *Ibid. n. 14. pag.* 821.
(f) *Ibid. n. 16. pag. ead.*
(g) *Ibid. n. 26. pag.* 826.

S. Jo. Dam.

„ mus (*a*)". Ejusdem est argumenti, quæ consequitur, homilia. Quarta vero, quinta, & sexta sunt *in dormitionem gloriosissimæ, ac benedictæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ*. De ea scribit: „ Ad Filium suum emigrantem ... stipa-
„ bant Apostoli, atque afflatorum a Deo Patrum infinita multi-
„ tudo, ab ipsis Orbis finibus divino Filii sui jussu ... in sacram
„ Hierusalem congregata (*b*)"; quod & repetit homilia secunda, in qua fusius dormitionem Virginis, ejusque in Cælum assumptionem juxta Hierosolymitanæ Ecclesiæ traditionem describit; juxta quam dicit, „ Christum ad jamjam morituram Matrem advenisse,
„ ut divinis suis, ac purissimis manibus intaminatam, & labis ex-
„ pertem ejus animam susciperet (*c*) ... Postquam vero spiri-
„ tum suum in Filii manibus deposuit, audita sunt Angelorum can-
„ tica ... quorum alii in Cælum scandentem animam stipabant,
„ quousque regio Solio Reginam sisterent; alii divinum, & sacrum
„ corpus cingebant, & hymnis Dei parentem celebrabant ....
„ Abluitur aqua pura, non quæ ipsum mundaret, sed quæ potius
„ mundaretur ... deinde puris linteis purum corpus involvitur,
„ lectoque imponitur; mox lampades adhibitæ, & unguenta, hy-
„ mnique funeri deducendo idonei (*d*)... Tum Arca Domini...
„ venerandis Apostolorum humeris gestata ... primum per me-
„ diam urbem ducitur ... atque ita ad Sanctissimum Gethsema-
„ nes locum defertur (*e*) ... ubi sanctissimum corpus clarissimo,
„ præstantissimoque tumulo imponitur; unde triduo post in Cælum
„ attollitur ... Nam sicut sanctum, incorruptumque illud cor-
„ pus, quod Deus ex ea personæ suæ copulaverat, tertia die e
„ monumento surrexit; sic etiam hanc e tumulo abripi, Matrem-
„ que ad Filium migrare par erat (*f*)". Quam traditionem confirmat ex quadam Euthymiaca Historia, quam integram recitat (*g*).

Sequitur Homilia in laudem S. Joannis Chrysostomi; & alia laudationem continens Sanctæ Martyris Christi Barbaræ; ac denique Tomum claudunt precationes tres Damasceni ante divinæ Eucharistiæ sumptionem recitandæ.

Sunt vero & nonnulla Opera vel dubia, vel supposititia, quæ in Calce Voluminis primi rejecta sunt.

AR-

(a) *Homil. in Nativit. Mariæ Virginis n. 8. pag. 846.*
(b) *Homil. 1. n. 9. pag. 864.*
(c) *Homil. 2. n. 10. pag. 874.*
(d) *Ibid. n. 11. pag. 875.*
(e) *Ibid. n. 12. pag. ead.*
(f) *Ibid. n. 14. pag. 876.*
(g) *Ibid. n. 18.*

S. Jo. Dam.

ARTICULUS TERTIUS.

Præstantiora Damasceni testimonia, Dogmata, Mores, & Fidem spectantia.

De Sacra Scriptura. „ PER Spiritum Sanctum & lex, & Prophetæ, & Evangelistæ, & Apostoli, & Pastores, & Doctores loquuti sunt... „ Hoc asserunt Scripturæ Sanctæ, ut ad bonas actiones, & ad puram contemplationem nos componant. In eis namque tum cohortationem ad omnem virtutem, tum ab omni vitio dissuasionem invenire est (*a*)... Maxima damna patimur, ubi sacros „ libros legere, eosque secundum Dei sermonem scrutari negligimus. At miles quidem dicit: sum miles, nec opus mihi est „ lectione; Agricola vero agrorum prætendit culturam; & alii „ subinde idem effutiunt: & omnes deficientes sumus (*b*) “. Damascenus sentit, „ tantum viginti duos libros esse Veteris Testa- „ menti, totidem quot Hebraicæ linguæ elementa sunt “; & licet honorifice sentiat de libro *Sapientiæ*, & *Ecclesiastici*, dicit tamen: „ Hi libri, quamvis alioquin præclari, & elegantes sint, „ non tamen illis aliis annumerantur, neque in Arca positi e- „ rant (*c*) “. De libris vero Judith, Tobiæ, & Machabæorum nihil habet. Novi Testamenti communem Canonem amplectitur, solumque addit canones Sanctorum Apostolorum per Clementem, ut ipse arbitrabatur, concinnatos (*d*).

De Traditione. „ Non solum Ecclesiæ leges scriptis sanxerunt, verum etiam ci- „ tra Scripturam certa quædam tradiderunt Apostoli. Unde Basi- „ lius... ait: Ex illis dogmatibus, & prædicationibus, quæ in „ Ecclesia conservantur, alia ex scripta doctrina tenemus, alia ex „ Apostolica traditione secreto concessa accepimus; quæ quidem „ utraque vim parem habent ad pietatem... Nam si consuetu- „ dines illas, quæ scriptæ non sunt, tamquam magni non sint „ momenti, rejicere aggressi fuerimus, imprudentes profecto iis, „ quæ in Evangelio potiora sunt, damnum inferemus... Sed „ enim undenam novimus Calvariæ locum? vitæ sepulcrum?... „ Unde habemus ut Baptismus terna mersitatione fiat? Unde quod „ ad Orientem conversi precemur? Unde Sacramentorum insti- „ tutio (*e*)? Est autem hæc traditio ex illis, quæ in Scripturis minime expressæ sunt, ut Crucem, & Imagines venere- „ mur (*f*) “.

„ San-

(a) *De Fid. Orthod. cap. 17. pag. 282. Tom. 1.*
(b) *De Draconib. Tom. 1. pag. 472.*
(c) *De Fid. Orthod. lib. 4. cap. 17.* (d) *Ibidem.*
(e) *Orat. 1. de Imag. n. 23. pag. 318. Tom. 1.*
(f) *De Fid. lib. 4. cap. 16. pag. 281.*

„ Sanctas sex Synodos recipio (scribit Damascenus)... & omnia, „ quæ ab eis definita sunt, amplector, lubensque suscipio omnes, „ quos susceperunt; & detestor, & anathematizo omnes, quos ab- „ jecerunt (*a*). Penes Imperatores non est, ut Ecclesiis leges „ sanciant... Attende, quid dicat Apostolus: *Et quosdam quidem* „ *posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas,* „ *tertio Pastores, & Doctores ad perfectionem Ecclesiæ.* Non adjecit „ *Imperatores* (*b*). His de rebus aliquid statuere non ad Impera- „ torem spectat, sed ad Concilia (*c*)“.

S. Jo. Dam. De Conciliis.

„ Credo (scribit) in Patrem, & Filium, & Spiritum San- „ ctum; Trinitatem consubstantialem, & unitatem in tribus hy- „ postasibus subsistentem, in nulla re discrimen habentibus, nisi „ in eo, quod alia ingenita, alia genita, alia procedit (*d*)“. De Processione Spiritus Sancti non uno modo loquitur Damascenus. Modo enim dicit, „ procedere a Patre, & in Filio con- „ quiescere, ipsumque declarare, & exprimere (*e*)“; modo „ Fi- „ lii quoque spiritum dici non veluti ex ipso, sed per ipsum a Pa- „ tre procedens (*f*)“ (1). „ Unigenitus Filius infinita sua bo- „ nitate

De Trinitate & Incarnatione.

(a) *De rect. sent. n. 7. pag. 394. T. 1.*
(b) *Orat. 2. de Imag. n. 12. pag. 336. T. 1.*
(c) *Orat. 1. pag. 329. T. 1.*
(d) *De rect. sent. n. 1. pag. 391. T. 1.*
(e) *De Fid. Orthod. lib. 1. cap. 7. pag. 130. T. 1.*
(f) *Ibid. cap. 12. pag. 149.*

(1) Alicubi tamen Damascenus asserere videtur, Spiritum Sanctum a Filio non procedere. Sic enim scribit; „ At vero illum (Spiritum „ Sanctum) ex Filio esse non dicimus. Filii tamen Spiritum vocita- „ mus (*g*)“. Et alibi repetit: „ Spiritus Filii, & non ex Filio (*h*)“. Et rursum: „ Spiritum Sanctum colimus tamquam Dei, & Patris Spiri- „ tum, ex ipso nempe procedentem, qui tamen etiam Filii dicitur, quod „ per ipsum manifestatum, rebusque conditis impertitum, non autem ex „ ipso habens, ut existat (*i*)“. Quibus permotus testimoniis, veritus non est D. Thomas, alioquin modestissimus in censura ferenda de Patrum dictis, Damascenum inter eos enumerare, qui Theodoreti errorem sequuti sunt (*k*). Sed mox subjungit: „ quamvis a quibusdam dicatur, Dama- „ scenum, sicut non confitetur, Spiritum Sanctum esse a Filio, ita et- „ iam non negare ex vi verborum illorum“. Unde apparet, S. Doctorem benigniori expositioni non se opponere. Explicare itaque possumus Damasceni verba, quibus Spiritus Sancti processionem potius per Filium, quam ex Filio appellandam censet, & soli Patri dicit esse tribuendam; non quia Filius Spiritum Sanctum non edat, sed quia nonnisi per virtutem a Patre acceptam eumdem spirat, ac proinde solus Pater sit *a se* principium Spiritus Sancti. Doctores enim Græci negant quidem, Spiritum Sanctum ex Filio procedere, vel existere; ne speciali quadam actione, quæ a Paterna distincta sit, putetur a Filio produci. Docent vero, per Filium progredi, ut illius actionis naturalis, qua Pater profundit Spiritum Sanctum, nequaquam exors sit Filius, quamvis Pater solus fons, principium, auctor Spiritus habeatur. Vide Lequien. hic p. 141.

(g) *Ibid. cap. 10. pag. 141.* (h) *Ibid. cap. 12.*
(i) *Hom. de Sabb. Sancto* T. 2. (k) *1. p. q. 36. a. 2.*

S. Jo. Dam.

„ nitate beneplacito Patris incarnatus est absque semine de Spiritu Sancto ex Maria Sancta, perpetuaque Virgine, & Deipara „ postremis temporibus . . . cum maneret id, quod erat. Deus „ perfectus, & consubstantialis Patri factus est, quod non erat, „ perfectus homo cum matri, tum nobis consubstantialis, carne „ animata anima rationis, & intelligentiæ participe. Unumque „ adeo esse Christum, unum Dominum, unum Filium Dei, & „ Hominis, hypostasi una composita ex deitate, & humanitate (*a*). Ex duabus naturis perfectis, hoc est divina, & humana unio facta est non ad modum conspersionis, nec per confusionem, vel commixtionem . . . sed per compositionem, hoc „ est secundum hypostasim sine ulla conversione, nec confusione, „ nec mutatione, nec divisione, nec distantia (*b*) “. Pluribus in locis invicte probat Damascenus, in Christo „ sicut duas naturas, „ ita duas esse & voluntates, & operationes (*c*). Quamobrem „ in Domino Jesu Christo, quia duplex est natura, duplex quoque „ est actio, ut sit perfectus Deus, & perfectus homo . . . ut divino, atque humano modo velit; omnipotenti, ac sine passione „ ratione divinæ naturæ, imbecilliter, & patiendo ratione humanæ (*d*) . . . Nulla tamen contrariæ voluntatis sententia. Ejus „ enim humana voluntas subjecta erat divinæ ipsius, Patrisve voluntati, ut ea vellet, quæ divina ejus voluntas ipsum volebat „ velle (*e*) . . . Hinc Sanctam Virginem Dei proprie, & vere „ Genitricem prædicamus . . . Non enim hominem purum Sancta Virgo genuit, sed Deum verum; non nudum, sed carne „ vestitum; nec ita, ut, corpore de Cælis allato, per eam veluti „ per canalem transierit, sed ex ipsa carnem ejusdem, ac nos, „ substantiæ acceperit (*f*) . . . . Sanctam Virginem neutiquam „ *Christiparam* nuncupamus, quia ad abolendum *Deiparæ* vocabulum Nestorius hoc nominis excogitavit (*g*) “. Tradit: „ Consueto tempore, novem expletis mensibus, & inchoato decimo, „ sua lex partui constitit, pariens autem sine ullo sensus dolore „ generationis legem superavit. Quam enim voluptas non anteivit, nec dolor sane ea parte subsequutus est . . . . & ille, qui „ conceptus fuit, eam, quæ conceperat, Virginem servavit; sic „ nascendo virginitatem ejus incolumem custodivit (*h*) “.

De Sacramentis.

„ Circumcisio Abrahæ ante legem . . . data est tamquam signum, quod eum, liberosque ejus, ac posteros a Gentibus, „ quibuscum morabatur, distingueret . . . Ea porro Baptismi fi-

„ gura

(a) *De rect. sent. n.* 2. *pag.* 392. T. I.
(b) *De Fid. lib.* 3. *pag.* 207. T. I.
(c) *De rect. sent. n.* 4. *pag.* 394. T. I.
(d) *De duab. volunt. n.* 35. *pag.* 348.
(e) *Ibid. n.* 39.
(f) *De fid. lib.* 3. *cap.* 12. *pag.* 222.
(g) *Ibid. pag.* 223.
(h) *Ibid. lib.* 4. *cap.* 14. *pag.* 276.

„ gura erat. Sicut enim circumcisio superfluum excrementum abscindit, ita per Sanctum Baptisma peccatum a nobis amputatur (*a*) . . . Baptismus mortem Domini significat: per Baptismum enim cum Domino sepelimur . . . . Qui in Patrem, & Filium semel baptizati Baptismum repetunt, ii Christum rursus crucifigunt (*b*). At qui in Sanctam Trinitatem baptizati non sunt, hi denuo baptizentur necesse est (*c*) . . . Baptismus, qui trina immersione peragitur, tres dies significat, quibus Dominus tumulo conditus jacuit. Quare in Christum baptizatum esse, nihil aliud indicat, quam in illum credendo salutifera aqua tingi. Fieri non potest, ut in Christum credamus, nisi Patris, & Filii, & Spiritus Sancti confessione imbuti simus (*d*) ". Octo enumerat Baptismi genera, inter quæ & Pœnitentiæ Baptismum collocat, „ quod in Pœnitentia (scribit), & lacrymis versatur, „ est sane grave, & molestum "; & Baptismum, „ qui sanguinis profusione & martyrio perficitur . . . estque illud perquam augustum, & beatum quod nullis posthac sordibus inquinetur (*e*). „ Christus ex sancto, & immaculato suo latere veniæ fontem emisit, aquam scilicet ad generationem . . . sanguinem vero in potum, qui vitam æternam procuraret (*f*) . . . Si sermo Dei vivus, & efficax, & omnia quæcumque voluit, Dominus fecit . . . si ipse Deus Verbum ex sanctis, semperque purissimis Virginis, intaminatisque sanguinibus ipse sibi nullo semine carnem compegit; cur demum panem Corpus, vinum item, & aquam Sanguinem suum efficiendi potens non sit? In principio dixit: *Producat terra herbam virentem*; & ad hanc usque diem, accedente imbre, divino præcepto impulsa, & roborata fœtus suos profert. Dixit perinde Deus: *Hoc est corpus meum*; &: *Hic est Sanguis meus*; &: *Hoc facite in meam commemorationem*; idque omnipotenti ejus præcepto, donec veniat, efficitur (ita quippe dictum est: *donec veniat*); per invocationem huicce novæ segeti imbre superveniente; Spiritus Sancti nimirum obumbrante virtute. Velut enim quidquid fecit Deus, id Spiritus sancti fecit opera; ita nunc quoque Spiritus Sancti operatione facta sunt, quæ naturæ modum excedunt, quæque nisi fide sola nec capi queunt, nec intelligi. *Quomodo mihi accidet istud*, inquiebat Virgo Sancta, *quoniam virum non cognosco?* Cui Gabriel Angelus: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Tu quoque nunc quæris; qui panis fiat corpus Christi, & vinum, & aqua Sanguis illius? Ego vero tibi repono, Spiritum Sanctum supervenire, & ea facere, quæ sermonem, conceptumque omnem exsuperant. Panis „ por-

S. Jo. Dam.

(a) *Ibid. cap. 25. pag. 298.*
(b) *Ibid. cap. 9. pag. 289.*
(c) *Ibid. pag. 260.* (d) *Ibidem.*
(e) *Ibid. pag. 261.* (f) *Ibid. pag. 260.*

S. Jo. Dam. „ porro, vinumque adhibentur; quia, cum Deo explorata sit imbecillitas humana, quæ ut plurimum ea aversatur, quæ usu minime trita sunt, hinc fit, ut pro solita sua erga nos indulgentia per ea, quæ naturæ familiaria sunt, res natura sublimiores efficiat. Et sicut in Baptismo quoniam in more hominum positum est, ut aqua laventur, & ungantur oleo, Spiritus gratiam cum aqua, & oleo copulavit, ut lavacrum illud regenerationis faceret: consimili modo quia hominum consuetudo est, ut panem edant, vinumque, & aquam bibant; idcirco, conjuncta cum illis sua divinitate, hæc Corpus, & Sanguinem suum fecit, ut per usitata, & naturæ consentanea assurgamus ad ea, quæ supra naturam sunt. Corpus est divinitati vere unitum, quod ex Sancta Virgine ortum habuit, non ut illud, quod in Cælo receptum est, corpus descendat; sed quia panis ipse, & vinum in Corpus, & Sanguinem Dei transmutantur. Si requiras, quo pacto istud fiat, sat tibi sit audire, hoc fieri per Spiritum Sanctum . . . nec amplius quidquam nobis perspectum est, & exploratum, quam quod Dei sermo verax, efficaxque est, atque omnia potest: modus vero investigari prorsus nequit. Illud vero dicere alienum non est, quemadmodum naturaliter panis per comestionem, vinumque, & aqua per potationem in corpus, & sanguinem comedentis, & bibentis transmutantur, ut nec corpus fiant aliud a corpore, quod antea existebat; sic panem, qui in prothesi præparatus fuit, vinum item, & aquam per Spiritus Sancti invocationem, & adventum modo, qui naturæ viribus, & conditione sublimior est, in Christi Corpus, & Sanguinem converti, ut nequaquam duo sint, sed unum, & idem. Quocirca illis, qui cum fide digna suscipiunt, in remissionem peccatorum, & vitam æternam cedit . . . Nec vero panis, & vinum Christi Corporis, & Sanguinis figura sunt (absit); sed ipsum Domini Corpus Deitate donatum, cum ipse Dominus dixerit: *Hoc est* non figura corporis, sed *Corpus meum*; neque figura sanguinis, sed *Sanguis meus* (a) . . . Quod si nonnulli panem, vinumque Corporis, & Sanguinis Domini *antitypa*, seu imagines, figurasque vocarunt, velut divinus Basilius; non hoc post consecrationem dixerunt, sed antequam oblatio ipsa consecraretur, vocem hanc usurparunt (b)".

De Angelis. „ Angelus (scribit) est natura rationalis, intelligens, libera, mutabilis, cui liberum sit manere in bono, vel in malum inflecti; incorporea, immortalis non quidem natura, sed Dei munere, & gratia (1) . . . Per Verbum omnes Angeli creati sunt,

„ & San-

(a) *Ibid. cap. 13. p. 268. & seq.* (b) *Ibid. p. 273.*

(1) Solemne est Patribus sic asserere Deo immortalitatem, ut cætera ex natura sua subsint interitui, nisi Dei munere immortalitatis participes efficiantur. Id ut astruant, eo utuntur adagio; *ea, quæ initium habuerunt, finem habitura.* Eam igitur solam denegant immortalitatem, quæ essentialis sit, & a Deo non accepta.

„ & Sancto Spiritu sanctificante consummationem acceperunt . . . S. Jo. Dam.
„ Hinc aliunde, quam a natura sua, sanctitatem habent; nimirum a Spiritu Sancto, Dei illustrante gratia, futura prædicunt . . . aliquam etiam quisque terræ partem custodiunt . . . res nostras gubernant, ac nobis opem ferunt . . . . Et quidem nonnulli eos ante alias res conditas factos esse dicunt, quemadmodum testatur Gregorius Theologus, in cujus sententiam manibus, & pedibus eo (*a*). Ex his Angelicis virtutibus Diabolus non natura malus conditus est, sed libera voluntate immutatus est, atque adversus opificem suum Deum se extulit, & malus evasit . . . Nullam adversus quempiam potestatem habet, nisi ipsi a Deo concedatur. Dæmones prædicunt, interdum scilicet, quia ea, quæ procul geruntur, cernunt, interdum sola conjectatione; unde & sæpe mentiuntur . . . Quamvis homines pulsare suggestionibus ipsis permissum sit, nemini tamen vim inferre possunt: in nobis enim situm est suggestionem aut admittere, aut non admittere. Diabolo, & Angelis ejus inextinguibilis ignis paratus est, ac supplicium æternum (*b*) ".

„ Deus nobis boni operis potestatem dedit, liberique nos arbitrii fecit, ut tum ex ipso, tum ex nobis oriatur bonum. Deus quippe omni, qui bonum eligit, adjutor est in bonum; ut servato, quod naturæ consentaneum est, consequamur illa, quæ naturam superant, immortalitatem videlicet, divinitatisque participationem per unionem cum Deo. Si iis vero naturæ facultatibus contra quam ratio præscribit, utamur, comparemur jumentis insipientibus, iisque similes efficiamur (*c*). Deus ita omnis boni fons, & auctor est, ut citra ipsius opem, & auxilium bonum velle, nec facere possimus; cæterum nobis liberum esse in virtute præstare, vel a virtute abscedere, hoc est vitio inhærere (*d*) ". De Gratia, & libero arbitrio.

Duplicem Damascenus in Deo distinguit voluntatem: „ prima *antecedens* dicitur, & beneplaciti, cujus ipse causa est, & hac vult omnes homines salvos esse, & regni sui compotes fieri. Non enim nos, ut puniret, condidit; sed quia bonus est ad hoc, ut bonitatis suæ participes essemus . . . Secunda *consequens* voluntas, & permissio ex nostra causa ortum habens; eaque duplex: altera dispensatione quadam fit, & ad salutem erudit; altera a reprobatione proficiscitur, ad absolutam pœnam pertinens; atque hæc in illis, quæ in nostra potestate non sunt: eorum vero, quæ in nobis sita sunt, bona quidem primario Deus vult, & secundum beneplacitum; mala autem neque primario, neque consequenter vult, sed libero arbitrio permittit De voluntate Dei salvandi omnes.

(a) *Ibid. lib. 2. cap. 3. pag. 155.*
(b) *Ibid. cap. 4. pag. 158.*
(c) *De duab. volunt. n. 19. pag. 538.*
(d) *De Fid. cap. 30. pag. 199.*

S. JO. DAM.

,, tit (*a*) ". Quam duplicis in Deo voluntatis distinctionem adstruit etiam Chrysostomus (*b*).

De cultu Sanctorum Imaginis, & Crucis.

,, Sanctis ceu Christi amicis, ceu Dei Filiis, & hæredibus suus ,, habendus est honor ; & quia totius generis humani patroni ,, sunt, Deoque pro nobis supplices preces adhibent . . . . Honorandi certe, & quidem ita, ut in eorum nomine Deo Templa ,, extruamus, dona offeramus, quin immo in psalmis, & hymnis, ,, & canticis spiritualibus celebremus. Statuas & visibiles Imagines ,, erigamus. Inter Sanctos vero præcipue honoremus Deiparam, ,, Baptistam Joannem, Apostolos, & Martyres, Prophetas, Patriarchas (*c*). Dominus Sanctorum reliquias veluti salutares ,, fontes præbuit, ex quibus plurima ad nos beneficia manant, suavissimumque unguentum profluit (*d*) . . . Pretiosum sane, ac ,, venerabile lignum, in quo se Christus pro nobis hostiam obtulit, utpote sanctissimi Corporis, atque Sanguinis tactu sanctificatum, jure debet adorari. Clavi item, & lancea, & indumenta ,, & sacræ ejus mansiones, hoc est præsepe, specus, golgotha, sepulcrum (*e*). Figuram quoque Crucis adoramus, quamlibet ex ,, alia materia constructa sit, non quod materiam colamus (hoc ,, avertat Deus); sed figuram veluti, quæ Christum designat (*f*). ,, Quisnam est, qui invisibilis, incorporei, ac figura vacantis Dei ,, simulacrum effingere queat? Unde extremæ dementiæ, & impietatis fuerit Deum figurare (*g*) ". Doctrinam suam de cultu Imaginum Damascenus, pluribus Patrum adductis testimoniis, confirmat.

De duplici potestate spirituali, & temporali.

,, Ad Imperatorem (scribit) spectat recta administratio: Ecclesiæ regimen ad Pastores, & Doctores. Tibi parebimus, o ,, Imperator, in his, quæ ad hujus sæculi negotia pertinent, in ,, tributis solvendis, ac vectigalibus . . . Verum ad res Ecclesiæ ,, statuendas Pastores habemus, qui nobis verbum loquuntur, atque ,, Ecclesiastica instituta tradiderunt ". Illud adprobat axioma, quod Chrysostomo tribuit: ,, Præfectos, qui ab Imperatore creantur, etsi improbi sint, metuere debemus, nec eos aspernari propter improbitatem, sed dignitatem revereri ".

A R-

(a) *Ibid. lib.* 2. *cap.* 29. *pag.* 198.
(b) *Tom.* 9. *pag.* 711.
(c) *De fid. lib.* 4. *cap.* 15. *pag.* 279.
(d) *Ibidem.* (e) *Ibid. cap.* 11. *pag.* 264.
(f) *Ibid. pag.* 265.
(g) *Ibid. cap.* 16. *pag.* 280.

ARTICULUS QUARTUS.

Selecta vitæ spiritualis documenta.

I. CARITAS omnium virtutum apex, ac veluti arx. (*Orat. de Dom. Transfiguratione.*) Caritas virtutum apex.

II. Accedamus ad eum ardenti desiderio . . . Divinum carbonem sumamus, ut desiderii nostri ignis, accepto carbonis ardore, peccata nostra comburat, corda illuminet, divinique adeo ignis commercio inardescamus, & in Deos evadamus. (*De fide orthodox. lib.* 4.) Eucharistiæ salutares effectus.

III. Nec vero panis, & vinum Christi corporis & sanguinis figura sunt, (absit) sed ipsum Domini corpus deitate donatum; cum ipse Dominus dixerit: *Hoc est*, non figura corporis, *sed corpus meum:* neque figura sanguinis, *sed sanguis meus*. (*Ibidem*.) Præsentia realis J.C. in Eucharistia.

IV. Crucis signum adorandum nobis est: ubi enim signum fuerit, ibi quoque, & ipse erit. Cæterum materia, ex qua constat figura crucis, nequaquam adoranda est. (*Ibid. cap.* 11.) Crux adoranda.

V. Cum ille, qui in forma Dei existens, forma servi suscepta, ad quantitatem, qualitatemque sese contraxerit, ac corporis figuram induerit, tunc eum in tabellis exprime, & conspiciendum præbe, qui conspici voluit. Inexplicabilem ipsius demissionem exora, ortum ex Virgine, Baptismum in Jordane, Transfigurationem in monte Thabor, cruciatus, & mortem, crucem illam salutarem, sepulturam, resurrectionem, in Cælos ascensum, hæc omnia tum verbis, tum coloribus describe. (*Orat.* 1. *de imag.*) Imaginum cultus.

VI. Ad Imperatores spectat recta rei administratio; Ecclesiæ regimen ad Pastores, & Doctores. Tibi parebimus, o imperator, in his, quæ ad hujus sæculi negotia pertinent, in tributis solvendis, ac vectigalibus, muneraque tua accipiendo, & in quibus rerum nostrarum administratio tibi credita est; verum ad res Ecclesiæ statuendas Pastores habemus, qui nobis verbum loquuntur, atque Ecclesiastica instituta tradiderunt. (*Orat.* 2. *de imag.*) Duplex potestas temporalis & spiritualis.

VII. Hæc est firma illa, & immota fides, super quam, tanquam petram, Ecclesia fundata est, cujus tu, Petre, merito cognomentum geris. Adversus hanc inferorum portæ, Hæreticorum ora, Dæmonum organa, impetunt quidem inducent, sed non expugnabunt . . . Hanc suo quidem ipse Christus cruore comparavit: tibi autem, ut fidissimo famulo in fidem tradit. Hanc precibus tuis ita conserva, ut ab omni perturbatione, ac fluctibus immunis sit... Id ab eo pete, ut tempestas sedetur, tumultus comprimatur, paxque tranquilla ac fluctuum omnium expers, nobis concedatur. (*De Domin. Transfig. Orat.*) Ecclesia immobilis.

VIII. Mater orationis est solitudo: oratio autem divinæ gloriæ demonstratio. Nam cum occlusis omnibus sensibus nobiscum ipsi, & cum Deo versamur, atque ab extrema hujusce mundi jactatione velut Oratio solitaria.

S. Jo. Dam. velut in libertatem vindicati intra nosipsos sumus, tum demum perspicue Dei regnum in nobis ipsis conspicimus. Regnum enim Cælorum, hoc est Dei regnum, intra nos est, quemadmodum Christus pronuntiavit. (*Ibidem.*)

Virgo Deipara. IX. Pignus promissionis, & genitale votum nascituri Dei . . . Oportebat eam (Virginem) in lucem edi, quæ rerum omnium conditarum primogenitum paritura erat. (*Orat.* I. *de Nativ. Virg.*)

Laus Deiparæ. X. Beata Virgo omnium encomiorum legem excedit . . . Maria est civitas refugii omnibus confugientibus ad eam . . . devotum tibi esse, o beata Virgo, est arma quædam habere, quæ Deus iis dat, quos vult salvos fieri. (*Orat. de Assumpt.*)

Assumptio Deiparæ in Cælum. XI. Jam vero, o sacrorum omnium sepulcrorum, dumtaxat post Domini sepulcrum, quod vitæ initium dedit, ac resurrectionis fons fuit, sacerrimum (tecum enim tamquam cum anima prædito sermo erit) ubinam tandem illud minime adulterinum aurum est, quod Apostolorum manus in te condiderunt? Ubi inexhaustæ opes? Ubi pretiosus ille thesaurus, qui vitam suscepit? . . . Ubi denique desideratissimum illud, atque amabilissimum Dei genitricis corpus? Quidnam eam in sepulcro quæritis, quæ ad cælestia tabernacula elata est? quid custodiæ rationem a me exposcitis? Non eæ meæ vires sunt, ut divinis jussis obluctler. Relicta sindone sanctum illud, ac sacrum corpus, postquam mihi sanctitatem impertivit, atque unguento, & suavissimo odore me complevit, divinumque delubrum effecit, abreptum hinc abiit, stipantibus Angelis, & Archangelis, atque omnibus cælestibus virtutibus. (*Ibidem.*)

FINIS TOMI SEPTIMI.



